This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

101


1837
ARTES
SCIENTIA
VERITAS
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
TUEBOR
SI QUAERIS PENINSULAM AMOENAM
CIRCUMSPICE

QC
886
.G57



Carie 10

TRACTATUS PHILOSOPHICUS DE BAROMETRO.

AUTORE

R. P. LAURENTIO GOBART

E SOCIETATE JESU.

AMSTELODAMI,

Typis STEPHANI ROGER,

Apud quem omnia Muſicalia proſtant.

M DCCIII.



Library com
Perella
5-22-24
9949

PROOEMIUM.

INter arcana naturæ, quæ mentem humanam torqueant, recenseri possunt ea quæ in Barometro notantur. Difficilior non est cognitio fluxus & refluxus maris per causas, quàm expositio vicissitudinis aëris ope Barometri. Mare habet æstus suos, sed ita conjunctos cum incremento & decremento Lunæ, ut huic, si non soli, potiori tamen cuidam agenti, non improbabiliter tribuantur. Et verò, cum crescit Luna, crescit & commotio maris; minuitur hujus agitatio, ubi illius aspectus minuitur. Cæterum Lunæ claritatem, ut totalem motuum causam, nemo sustineat: fervent quædam maria, ubi Luna in conjunctione est, fervent in oppositione, fervent & in quadraturis; sed minùs in his, quàm in illâ. Oportet ad emissos à Sole & Lunâ spiritus recurrere. Nec satis: admittere insuper opus erit, in ipso maris sinu, reperiri aptam fermentationi materiem, jungendam cum spiritibus Solis & Lunæ, quibus intumescat. His constanter positis, constans fervet mare: sed nulla fit commotio, ubi desunt illa. Hinc Maria Caspium, Euxinum & Balticum non æstuant, tum ex defectu spirituum, tum quia frequentibus aquis dulcioribus miscentur. Citiùs uno loco, tardiùs altero littora supervadunt; quia ibi major aut minor spirituum copia: citiùs ibi fluunt, tardiùs alibi refluunt, propter majorem divexitatem terræ, & obliquos aquarum sinus: quia Sol in nòviluniis conjungitur cum Luna, ut agens conjunctum & totale agunt fortiùs: in pleniluniis opponitur Lunæ, & crescit æstus; quia radios simul projiciunt rectilineos: in quadraturis minus fervent; nempe radios obliquè vibrant, & ut Sol hyeme minus calefacit ex obliquitate radiorum, ita tunc Maria minus fervent ex obliquitate influxuum.

Quod si hæc non faciant satis, concludes forsan inesse naturæ secreta, quæ mens humana miretur quidem,

11-20-35. Hop.

dem, ſed non comprehendat, ut diſcat homo divina non metiri modulo brevioris intellegentiæ dum humana à longè tantùm & præcisivè intuetur, nec obiutu ſuo diſcriminas.

Barometrum, quod & nomen habet à voce græca βάρος, *id eſt pondus, &* μέτρον *id eſt menſura, & Toricellianum experimentum dicitur, quia ingenioſum Toricelli Itali opus; Barometrum inquam, ſuos habet fluxus, refluxusque. Fluxus eſt, dum aſcendit, & dum deſcendit, refluxus. In hoc Barometri fluxus, maris fluctibus præſtat, quòd hi nihil præ ſe ferant, ex illo ſequantur varia, ſerenum, pluvia, nix, grando, venti, tempeſtates. Facile non eſt cauſam hic & nunc aſcenſus noſcere, & quid aſcenſu portendat hic & nunc, laborioſum. Enimverò Mercurius aſcendit pluvio tempore, deſcendit ſereno.*

Dicis futurum præmonſtrare, non præſens tantùm; eſto: deſcenſu pluviam, & aſcenſu ſerenum notet, nonnumquam ſerenum eſt, poſtquam deſcendit, & cum aſcendit, pluvioſum. Aſcenſu prænotat nivem aut grandinem, deſcenſu ventos, tempeſtates. Elevatur multum Mercurius exiguo tempore, nec durat ſecuta ſerenitas; deſcendit etiam ſubitò, nec durat ſecuta pluvia: Lentè elevatum, ſequitur diuturnior ſereni tas; Lentè depreſſum, ſequitur conſtans pluvia. Sæpe non aſcendit multum & ſerenum eſt, deſcendit parum, & tamen multum pluit. Cerè non rarò deſcenderit Mercurius intra limites auræ tempeſtuoſæ, gradu uno aſcenderit, & habetur aura ſerenior: aliàs attigerit terminum ſereni, gradu uno deſcendit, & habetur pluvia.

Non eſt quod ad Solem aut Lunam recurras; & ex eorum aſcenſu vel deſcenſu motus Mercurii dirigas; æque deſtendit Mercurius, cum Sol ſtat in Auge, ac in oppoſito Augis. Ne Philoſophos antiquos conſulueris, ii, neque, ſi Barometrum foret poſſibile cognovere runt. Hæc tamen oportet ſoluiſſe, ſiquis Barometri myſteria reſerare volueris.

TRA-

TRACTATUS PHILOSOPHICUS DE BAROMETRO.

1. DUo duntaxat quæremus hîc. Primum, quæ cauſa aſcensûs & deſcensûs Mercurii. Secundum, quid aſcenſus, deſcenſusque portendat.

QUÆSTIO I.

Quæ cauſa aſcensûs & deſcensûs Mercurii in Barometro.

DUBIUM PRIMUM.

An aſcenſus Mercurii habeatur per horrorem vacui?

2. VAcuum eſt locus carens corpore. In hac aula annihiletur aër, tollatur

tur etiam omne aliud corpus intermedium, dabitur vacuum. Hæc definitio vacui, duo importat, primò superficiem aptam continere corpus, secundò carentiam corporis. Primum est significatum materiale, & positivum, secundum est formale & negativum.

3. Dico primò. Natura non admittit vacuum.

Probatur. Deus ita naturam disposuit, ut ubi unum corpus locum deserit, aliud succedat; ergo natura non admittit vacuum.

4. Dico secundò. Natura non horret vacuum.

Probatur. Natura non horret id quod non est, & cujus nullum esse potest periculum; atqui vacuum non est, ut probatum est conclusione præcedenti, & nullum exstat illius periculum; quia naturaliter impossibile; ergo &c.

5. Dico tertiò. Ascensus Mercurii non fit ex vacui metu. Hæc conclusio sequitur ex præcedentibus, & probatur. Si Mercurius vacui metu assurgeret in tubo, non hæreret in statione triginta octo vel quadraginta digitorum, quia sicut metus adigeret illum eò usque, ita posset ad altitudinem quinquaginta pedum

dum pellere, si tantus foret, quo contineretur, tubus; atqui tamen, Mercurius non assurgit supra 40. digitos, ut experientiâ patet; ergo Mercurius non ascendit metu vacui.

6. Objicies primò. Qui agitat (*antliam*,) sentit pondus aquæ ascendentis; ergo aqua & Mercurius ascendunt metu vacui.

Resp. neg. antecedens. Nam sentit pondus columnæ aëris gravitantis in embolum. Neque conceptibile est quo vinculo ligata aqua embolum sequeretur. Non funiculo Patris Lini, formato ex superficiebus Mercurii, quia ille fictitius est. Et si quod vinculum sufficeret ad elevandam aquam ad 33. pedes in tubo 50. pedum, cur non sufficeret ad elevandam illam ad quinquagesimum pedem.

7. Instabis primò. Sit puteus undequaque clausus; sic ut aër nullomodo possit ingredi, adhuc tamen ascendet aqua; non per pondus aëris: ergo metu vacui.

Resp. In hoc supposito, adhuc remaneret aër communis in puteo, qui fuerat ante celaturam illius, consequenter adhuc gravitaret in aquam: quod si

evacuaretur aër sicut evacuatur in recipiente, tunc foret difficultas recipientis, de qua modo.

Instabis secundò. In recipiente, exsucto aëre, stat Mercurius, ad eandem altitudinem, quâ stabat in aëre libero; ergo non ascendit seu non stat per pondus aëris, sed per horrorem vacui.

Resp. primò, horrorem vacui nihil esse, ideoque nullos habere effectus reales. Neque enim effectus positivus adæquatè, haberi potest à causâ, quæ adæquatè nihil est. Quod si sit objectivè in intellectu, indiget efficiente, ut ab esse intentionali, ad esse reale transeat. Causam efficientem hîc quærimus, non finalem, malè finalis pro efficiente designatur.

Resp. secundò, neg. consequentiam. Nam non potest ita exsugi aër recipientis, ut nullus remaneat omnino. Primò aderit æther, qui pervadit corpora, licet densissima. II. Aderit subtilis aër poros etiam recipientis pervadens, ut probabitur postea, num. 32. III. Aderit residuus aër communis, qui eundem affectum habebit, ac si esset integer.

8. Instabis 3. Non est conceptibile, quod aër residuus habeat eandem vim premendi

premendi ac si foret integer; ergo &c.

Probatur antecedens. Si ponderi detrahatur aliquid, non ita post detractionem gravitabit ac antè. Sicut si detrahatur pars aliqua ignem integrans, desinet esse calefactio eadem, ac ante; ergo similiter.

Resp. neg. antecedens. Ad probationem distingo assumptum. Si detrahatur nec aliundè compensetur pondus, non ita gravitabit, concedo assumpt. Si compensetur aliunde, nego assumpt. Hìc autem minuitur quidem quantitas aëris, sed compensatur pars detracta per elasticitatem residui aëris, ut videbitur postea num. 61. & seqq. Quod ad ignem spectat, agit ille secundum singulas sui partes, unde quantum minuitur extensio ignis, tantum minuitur illius activitas.

Instabis 4. Vis elastica nihil conferet; ergo non compensabitur aliunde detractum pondus.

Probatur antecedens. Si quid conferret respectu Mercurii purificati, etiam conferret aliquid respectu non purificati: atqui nihil confert ad elevationem Mercurii non purificati, quia totus decidit è tubo post tres aut quatuor exsuctiones; ergo vis illa nihil conferet.

Resp. neg. antecedens. Ad probat: distingo majorem: Æquè conferret aër recipientis ad extra tubum, concedo majorem, ad intra tubum, nego majorem: & distingo minorem similiter. Atqui nihil confert ad extra tubum, concedo; ad intra tubum, nego minorem. Ratio cur Mercurius purificatus non descendat, descendat verò non purificatus, hæc datur: scilicet è Mercurio non purificato ascendit aër in superiorem partem tubi, illicque non pressus, dilatatur & tollit æquilibrium Mercurii tubo concluſi, cum aëre recipientis, & ideò descendit Mercurius. At vero purificatus stat, quia purificatus; quippè ad superiora tubi emittit nihil quo tollatur æquilibrium Mercurii cum aëre recipientis.

9. Instabis 5. Non est unde petatur dilatatio aëris intra Mercurium concluſi, & multò minùs unde feratur aër ad superiora tubi in quo purior non fit Mercurius. 1. Quia columna Mercurii prohibet ascensum aëris. 2. Aër, si quis intra poros Mercurii concluditur, viam non habet quâ feratur sursum.

Resp. neg. antecedens. Ad primam probationem distingo assumpt. Columna Mercurii prohibet ascensum intra se

si

si quieta maneat, nec aliunde sursum pellatur aër, concedo: si succutitur tubus, vel ponitur in recipiente cujus aër extraheretur posteà, nego. Itaque si succutitur tubus, agitantur, colliguntur que particulæ aëris intra poros contentæ, & ex insensibilibus fiunt sensibiles, formantque bullulas quæ per latera tubi sursum tendunt. Non secus ac si impomas corbi cineres, corbem dein succutis, partes leviores emergunt, subsidunt graviores. Nec impedit emergentium crassitudo; quia non sunt illæ ponderosiores, si comparentur cum minoribus longè majori numero: vel certè aër è recipiente fugitur, & tunc non omnino quietè stabit in tubo Mercurius; nam pori residui aëris in recipiente crescunt, dantque locum explicandi sese aëri, intra Mercurium contento. Hinc emergit ille, & partim recipientem occupat, partim ad superiora tubi assurgit.

Ad 2. distingo assumpt. Viam non habet qua feratur sursum, nec sibi facit, *nego*, & sibi facit, concedo. Igitur aër Mercurio clausus, si viam quâ sursum feratur non reperit, facit. Quæris quomodo? Hoc nempè. Ubi primùm facta est exsuctio recipientis, primâ Mercurii su-

perficie contentus aër expedit ſeſe, poros aëris recipientis occupaturus : deinde concluſus ſecundâ ſuperficie aliisque, ſequitur, donec Mercurius tubi, ſuum etiam aërem ſinat expedire ſe, & glomeratim quaſi agmine facto, penetret ad uſque ſuperiora.

Dices : Aſcenſum prohibet tota Mercurii incumbens columna.

Reſp. diſting. aſſumpt. Si mediam viam trans Mercurium teneret bulla, tranſeat : ſi juvaretur lateribus tubi, nego. Itaque bulla aëris difficiliùs permearet Mercurium viâ mediâ, propter incumbens pondus ; ſed cùm juvetur tubi lateribus, quorum pori, Mercurii poris longè majores, præbent bullulæ aſcendenti totidem gradus ; hinc fit ut facilè ſuperiora teneat.

Dixi *tranſeat*; quia non videtur cur non poſſet bullula aëris trans Mercurium medium, ſuperiora petere ; cùm bullulæ aëris in fundo ſitulæ, frigidâ plenæ, viam ſibi faciant per medium. Deinde ſi bullula ſe ipſa non ferretur ſurſum, adigeretur eò per circumſtantes Mercurii columnas, utpote graviores illâ quæ in ſui conſtitutivo bullulam habet aëris.

Inferes : Ergo ſaltem nunquam deſcen-

det

det Mercurius purificatus : atqui tamen descendit ; quia post iteratas exsuctiones, si leviter succutitur tubus, æquè descendit purificatus ac non purificatus, ut notant Observatores.

Resp. neg. illat. Difficile est Mercurium purificari omni omnino aëre. Dum succutitur tubus, formantur bullulæ aëris intra Mercurium tubi ; quæ adactæ superiùs, dilatantur & tollunt æquilibrium Mercurii tubi cum aëre recipientis ; inde descensus ; qui tamen contingeret si toties repeterentur exsuctiones, ut & aër & ejus elaterium extenuaretur aut debilitaretur omnino.

10. Nota Mercurium, & liquores purgari aëre, si in recipiente ponantur, & exsugatur aër. Aqua intra unum diem, Spiritus Vini intra horam, Mercurius intra tres aut quatuor dies purificari potest. Et ratio cur citiùs egrediatur è poris liquorum, difficiliùs è poris Mercurii, nempe maxima est implexio & gravitas particularum, & exiguitas pororum Mercurii ; minor est autem implexio particularum componentium liquores. Egreditur aër, quia non pressus locum ampliorem occupat.

Nec sine causâ dico aërem non pres-

sum dilatari; nam illud patet in vesicâ flaccidâ, quæ delata in montem altum, duobus milliaribus, sensim intumescit: deinde in recipiente post aliquot exsuctiones aëris ita intumescit ut præ nimiâ tensione frangatur.

11. Instabis 6. Si ita dilataretur aër in recipiente & ita premeret per vim elasticam; prohiberet quo minus dilataretur vesica, & exprimeretur è poris liquorum aër in iis contentus.

Resp. neg. sequelam. Vesica habet suum aërem, & recipiens suum, sed quia hujus aër per exsuctiones repetitas, debilitatur, non habet tantam vim ad resistendum, quantam habet aër vesicæ ad agendum.

Dices, extricatus aër recipientis id impediret per elaterium suum.

Resp. disting. assumpt. Id impediret *si vis activa* aëris inclusi intra vesicam, non foret major virtute resistitiva aëris recipientis, concedo assumpt. si foret major, nego assumpt. Plus esset substantiæ aëreæ intra vesicam, quàm intra recipientem propter iteratas exsuctiones, ideoque dilatabitur aër vesicæ, imo vesicam franget.

Infertes. Ergo Mercurius Barometri altiùs

altiùs aſcendet æſtate quam hyeme, quia æſtate magis dilatabitur: dilatatus autem magis premet ſubjectam in vaſe Mercurium.

Reſp. neg. illationem. Ad probationem diſtingo aſſumpt. Magis dilatabitur per rarefactionem, concedo aſſumpt. per vim elaſticam, nego aſſumpt. Quæ ſit diſparitas inter preſſionem aëris rarefacti, & per vim elaſticam nitentis ſeſe dilatare, videbitur poſtea, num. 71.

12. Objicies 2. Nullâ vi poſſunt aperiri folles, quorum orificium obturatum fuerit, atqui id non poteſt contingere, niſi metu vacui, ergo &c.

Reſp. neg. majorem. Si enim adhibeatur vis ſufficiens ad elevandam columnam aëris, correſpondentem latitudini lateris ſollium, aperientur. Eadem eſt ratio, cur, ſi ponerentur intra aquam folles, aperto orificio ex aquâ eminente non poſſent aperiri, niſi ea vis adhiberetur, quæ ſufficeret ad elevandam columnam aquæ latam pede v. g. ſi latera ſollium ad pedem extendantur.

13. Collige, quod cùm non aſcendat aqua, nec Mercurius metu vacui, non deſcendat pariter eodem metu.

DUBIUM II.

An aſcenſus Mercurii in Barometro habeatur per pondus aëris.

PARAGRAPHUS PRIMUS. *Præſuppoſita.*

14. SUppono primò, Deum à mundo condito, ſic impleviſſe cavitatem cœli, ut ſine *penetratione*, quæ naturaliter fieri nequit, nullum poſſit addi corpus, nullum detrahi ſine vacuo, quod etiam naturaliter eſt impoſſibile. Hinc nullum corpus locum deſerit, quin aliud ſuccedat, nullum corpus locum acquirit, quin ex illo aliud pellat.

15. Suppono 2. non eſſe neceſſe, ut moto corpore, moveantur univerſa, ſed tantum vicina per circuitum.

16. Suppono 3. Corpus in univerſo omnium ampliſſimum eſſe ætherem. Sive eum dicas ab elementis diſtinctum, ſive non parum intereſt: totum cœleſte ſpatium implet, ac præterea exiguam elementorum molem pervadit, & ſpatia ab elementis vacua, ſicut ingens mare ſpongiam pervaderet.

17. Sur-

17. Suppono 4. Aërem hunc noſtrum, quem reſpiramus, & qui *atmoſpheram* replet, nihil eſſe aliud, quam corpus heterogeneum, tenue, mixtum ex omnibus effluviis, quæ perpetuò, ex corporibus rerum terreſtrium expirant; ut ſunt halitus, vapores, & particulæ corporum ſubtiliores, calore vel aliâ causâ ſeparatæ, vel in altum eductæ. Ex hoc ſequitur quod aër habeat multas cavitates, quæ replentur ſubſtantiâ æthereâ. Ratio à priori eſt, quia conſtat particulis innumeris variæ figuræ, qualitatis, extenſionis, ideoque non poteſt non habere multos poros & quaſi hiatus, ut contingeret in fortuita congerie ramuſculorum, bacillorum, fragmentorum, quæ haberent multas vacuitates.

18. Suppono 5. & ſequitur ex jam dictis, quod aër ſit gravis; gravia enim ſunt corpora, è quibus educuntur particulæ illæ, quæ aërem conflant: deinde bombarda pneumatica aëre onerata, gravior eſt, & ſphæra vitrea aëre vacua levior.

PARAGRAPHUS II.

Resolutio Quæstionis.

49. RESP. & dico primò. Mercurius in tubo sustentatur per pondus aëris.

Probatur primò. Aër habet pondus; ergo gravitat in quodvis corpus sibi subjectum.

Probatur antecedens. Ex suppositione 5ª. & ex ratione à priori, cur dicatur aër habere pondus in suppositione eadem.

Probatur 2. Sit tubus æneus 50. pedes altus, latus uno: in fundo embolus seu obturamentum perfectè conveniat cavitati tubi, ita ut nullus aër communis penetret: sub embolo, sit magnes suberi alligatus, ut aquæ intra tubum ascendenti supernatet. His positis attollatur embolus, aqua ascendet ad altitudinem 33. pedum tantum, si eò usque attollatur embolus; si verò embolus elevetur ad 40. pedes, aqua nihilominus in priori statione subsistet. Si loco aquæ ponatur Mercurius, ascendet tantum ad 38. aut 40. digitos, id est ad 2. pedes cum medio, adeoque essent 47. pedes cum medio, Mercurio vacui: atqui

talis

talis aſcenſus tum aquæ tum Mercurii non ſit per metum vacui, ut Dubio præcedenti oſtenſum eſt; ergo ſit per pondus aëris.

20. Confirmatur 1. Fiat foſſa profundior in ripa maris, aqua aſcendet intra illam, quia protruditur ab aqua. 2. Detur tubus latior impletus liquore, applicetur deinde tubus minor quoad latitudinem, ſed æqualis quoad longitudinem, & communicent in inferiori parte, liquor majoris aſcendet in minorem, ratione gravitantis liquoris contenti in majori; ergo etiam aſcendet aqua vel Mercurius ratione gravitantis aëris.

21. Dico 2. Aqua aſcendit in tubo ad altitudinem 33. pedum ob æquilibrium aëris.

Probatur Concluſio. Aqua aſcendit, quia aër ponderat; ergo tantum & non plus aſcendit, quia tantum & non plus aër ponderat.

22. Confirmatur. Sicut aqua maris non ſupra ſe elevat aquam in foſſa adjacente; & aqua tubi latioris elevat aquam tubi minus lati; ſicut in bilance lanx utraque non tenet æquilibrium niſi habeatur æquale pondus; ita aqua non aſcendit & non quieſcit in conſtanti 33. pedum

ſtatione

statione, nisi ob æquilibrium, quod habet cum aëre.

Nota, in variis Authoribus variari numerum pedum altitudinis aquæ. Alii ponunt 33. alii 32. alii plures : sed facilè conciliantur inter se, quia aër in diversis locis diversimodè ponderat, neque opus est elevatione magna soli, ad discrepantiam unius pedis. Probavi ipse, & Barometrum factum ex Mercurio, detuli ad radicem montis, non ita elati, & Mercurius in radice montis, ascendit ad usque tres gradus, id est, propè ad digitum. Quod si fuisset aqua in tubo, ascendisset ad 45. gradus his similes, quia ut observat Pater Kirckerus, Mercurius habet se ad aquam ut 15. ad unum : id est deciesquinies Mercurius est gravior aquâ.

23. Petes. Quomodo se habeat aqua ad aërem?

Resp. Juxta experientias accuratissimè factas, colligitur habere se ut unum ad mille, id est unus pes aquæ æquiponderabit mille pedibus aëris. Consequenter cùm unus pes cubicus aquæ dulcis (de hac sermo est) ponderet 60. libras & 33. ponderent 1980. libras : Sequitur primò, quod mille pedes aëris ponderent

rent 60. libras, & triginta tria millia pedum aëris ponderabunt 1980. libras.

Juxta hunc calculum habes, quæ vis requiratur ad ſeparanda latera follium, tum in aëre libero, poſitâ obturatione orificii, tum in aquâ, poſitâ apertione ejusdem orificii ex aquâ eminentis. Da latitudinem laterum extendi ad pedem, da dein longitudinem columnæ reſpondentis lateribus follium, numerus pedum multiplicatus per 60. dabit vim quæſitam reſpectu tum aquæ, tum aëris. Nota pedem, de quo hic agitur, continere ſedecim digitos ordinarios.

Sequitur 2. non eſſe quid exigui in Barometro dum Mercurius aſcendit ad unum gradum tantum: id eſt ad quartam digiti partem: nam aqua tunc aſcenderet ad 15. id eſt propè 4. digitos: 4. autem digiti aquæ ſunt quarta pars pedis. Ponamus Mercurium in tubo uno pede quadrato, aſcendere ad 4. gradus, aſcenderet aqua propè ad pedem unum: quanta mutatio aëris quoad gravitationem! Columna aëris correſpondens columnæ aquæ, eſſet aucta ad 60. libras.

PARA-

PARAGRAPHUS III.

Solvuntur Objectiones.

24. OBjicies primò. Vel non datur pondus aëris, vel Mercurius aſcenderet ad quamlibet altitudinem; ergo Mercurius non aſcendit per pondus aëris.

Probatur antecedens. Quia à firmamento, ad nos uſque, datur corpus grave.

Reſp. N. ſequelam. Ad probationem N. aſſ. quia à poſteriori colligimus quod ſola atmoſphæra gravitet, ex proportione deſcensûs aquæ in tubo delato in ſummitatem montis: deinde ex eo quod nullum detur corpus, quod liberrimè non pervadat æther, conſequenter ponderari non poterit.

25. Objicies 2. Si aër tantopere gravitaret, homo ſentiret pondus illius, atqui

atqui non ſentit, ergo non gravitat.

Reſp. N. ſequelam majoris: neque ſentiunt pondus aquæ piſces, neque urinatores. Ratio cur non ſentiatur pondus aëris, petitur ex eo, quod aër æqualiter premat. Sentiret quàm maximè, ſi in una parte gravitaret, & non in alterâ. Poteſt quiſque experiri hoc ipſum. Sumat tubum apertum ex utrâque parte, applices extremum unum manui, vel brachio, exſugat deinde aërem, ſentiet dolorem, ex parte corporis, quâ tubus fuerit applicatus.

Inferes. Ergo in *Scarificatione*, dum applicantur dorſo patientis phialæ vitreæ, ſentiretur pondus aëris.

Reſp. conced. illatum. Etenim illi qui *operationem* hanc ſubeunt, judicant dorſo ſuo impoſitum onus ingens. Et hinc ratio redditur, cur caro intumeſcat intra cucurbitas, quia nempe calore ſtuppæ accenſæ, intra illas rarefit aër; hic autem rarefactus, majorem locum occupat: frigefiunt interim cucurbitæ applicatæ dorſo patientis, & aër poſtmodum denſatur frigore, minoremque locum tenet, utpote immi-

nutus quòad quantitatem, cujus tantum tollitur, quantum dilatatur. Redactus autem ad exiguum locum, non est qui resistat sicut antea. Ponderat tamen solito more columna aëris respondens cucurbitis, ponderat etiam in carnes, quæ coguntur intra cucurbitas, sicut pressa aqua cogitur in tubum, aut impeditur ne descendat in vas subjectum per aërem extrinsecum.

26. Dices. Si cucurbitæ appositæ dorso, incumberet columna aëris, non posset adigi intra cucurbitas caro circumjacens.

Probatur, quia columna directè oppositæ cucurbitæ id impediret.

Resp. neg. sequelam. Ad probationem nego assumpt. Ratio est quod columna directè oppositæ cucurbitæ, & vicina incumbens carni, per *modum* unius agentis, premant, una carnem altera phialam.

27. Objicies 3. Sit tubus quatuor pedum apertus ex utraque parte; claudatur extremum inferius digito, deinde infundatur & impleatur mercurio, dum descendit in inverso tubo Mercurius, sentitur attractio pulpæ digiti intra tubum: atqui id explicari non potest, nisi

niſi per horrorem vacui vel per quendam funiculum formatum ex ſuperficiebus Mercurii; ergo &c.

Reſp. neg. minorem. Ideo ſentitur dolor in digito, quia digitus non habet aërem inferiùs, qui æqualiter reſiſtat, & habet in ſuperiori parte aërem qui gravitat, & pellit quantum in ſe eſt digitum in tubum, inde dolor non levis ſentitur.

28. Objicies 4. Sit tubus valdè anguſtus, apertus ex utrâque parte, ponatur extremum unum intra aquam, illa aſcendet, quamvis tubus ſit perpendicularis: atqui ſi foret pondus gravitans exterius, daretur pondus reſiſtens interius, nec poſſet aqua aſcendere.

Reſp. pondus externum aëris fore majus interno pondere, quia aër intra tubum, non liberè gravitat, & incumbit aquæ.



Figura 1 * 29

*29. Objicies 5. ex P. Kirckero. Sumatur ſypho inæqualium crurium, ſed crus brevius tantò, imo magis alterum ſuperet latitudine, quantò ab illo ſuperatur longitudine: impleatur aquâ: dein gemino digito, geminum utriuſque cruris orificium obturetur probè: immergatur os utrumque ſtagnanti in vaſe gemino; tum ſubducatur uterque digitus, aqua defluet è crure minori: atqui non eſt ratio cur è breviori deſcendat aqua, & aſſurgat in longius; ergo.

Reſp. neg. min. [quippe columna aëris reſpondens cruri breviori, minor eſt; conſequenter cedet majori, & hæc adiget aquam in crus longius, quæ è breviori diffluet.

Dices 1. Impediet egreſſum columna latior aëris reſpondens cruri breviori.

Reſp. neg. aſſumpt. Si latior eſt, brevior eſt: manetque quod minor debeat majori cedere.

Dices 2. Crus brevius magis alterum ſuperat latitudine quàm ab illo longitudine ſuperetur: ergo columna longior non prævalebit, quia cætera ſunt impariа.

Reſp.

* *Vid. figur.* 1.

Reſp. neg. conſequent. Longior aëris columna præponderat breviori dum cætera reperiuntur paria; & quæ dabitur imparitas, tota ſit oportet, ut columna latior aëris pellat aquam, è crure latiori in brevius; nam in curvatura ſyphonis coarctatur tubus, inde activitas aëris columnam latiorem conſtituentis, retundetur ex parte à lateribus tubi: & ſola latitudo hujus cruris, reſpondens latitudini longioris, aget in aquam cruris longioris: at verò aqua longioris nullum reperit repagulum, in curvatura, immò potius adminiculum, quo ſeſe extenderet dilataretque ſi foret opus; hinc tota inde effluit.

30. Objicies 6. Duo marmora perfectè complanata & polita unius ſupra alterum poſitione junguntur, & tam tenaciter adhærent in recipiente, ut vix ſeparari poſſint: & licet Dom. Boyle poſt 16. exſuctiones ſeparaverit, videtur dici non poſſe ita adhærere per pondus aëris, cùm dicat idem Dominus Boyle adeo debilitari aërem 4. exſuctionibus, ut non poſſit ſuſtinere Mercurium, ne ad digitum quidem.

Reſp. Difficultatem elevationis, & ſeparationis marmorum, oriri ex eo quod aer

aër ſit dilatatus elaterio ſuo ; dilatatio illa vices obit ponderis, ſicut fit in tractione veſicæ intra recipientem poſitæ.

Ita reſpondendum eſt ad id quod dicitur de ſyphone inæqualium crurium, impleto aquâ purgatâ, & poſito intra recipientem, ex quo aër exſugitur : dicitur enim circulare eodem modo aqua ſicut circularet in aëre libero.

Ad id quod dicitur de aëre tam debili, ut poſt 4. exſuctiones, ne vel ad digitum ſuſtineret Mercurium, habes ſolutionem Dubio præcedenti, ubi dicitur non tam deſcendere defectu aëris recipientis, quam aëris intra tubum aſcendentis & dilatantis ſeſe.

31. Objicies 7o. Sequitur ex dictis dari naturaliter vacuum.

Probatur ſequela. Quia locus derelictus à Mercurio in ſuperiori parte tubi caret corpore.

Reſp. neg. ſequelam. Ad probationem diſtingo aſſumpt. Caret corpore elementari, concedo aſſumpt. caret omni omnino corpore, nego aſſumpt. Nullum eſt ergo corpus elementare, quia aër communis non habetur in ſuperiori parte tubi; ſed habetur æther

qui juxta suppositum 2um. pervadit omnia corpora, & in particulari, facilè poros vitri permeat; quia vitrum licet sit corpus satis densum, datur tamen illo densius, videlicet mercurius & aurum.

32. Adde: non tantum æther capax est qui pervadat poros vitri; sunt pharmaca, quæ trans vitrum mittunt odores & varia corpuscula, quæ sensu percipiuntur. Quidni aër, non communis quidem, sed subtilior poros vitri penetret, in superiori parte? Id non tantum probabile, sed etiam certum existimo, & ab experientia evidens. Vidi ipse detractam Mercurii, in tubo stantis particulam, & adhærentem tubo, quâ parte hermeticè clausus est: hæc particula dein subsidens, non sese junxit alteri Mercurio, sed, ad spissitudinem nummi aurei, manebat sejuncta; & dum motò tubo agitabatur Mercurius, agitabatur etiam particula detracta, servato semper æquali discrimine.

Inferes. Ergo Mercurius non ascendit tantùm, quantùm potest.

Probatur; quia datur aër medius inter communem & ætherem, in superiori

riori parte, qui obſtet elevationi.

Reſp. diſtinguendo illatum. Non aſcendit quantum poteſt in vitro, nego illationem; quantum poteſt in alio tubo, poros minores habente, v. g. aureo, concedo illationem. Aurum v. g. poros habet minores vitro, unde illos permeare non poſſet aër ille, qui poros vitri pervadit. Cæterum tam exiguus eſt mole aër iſte medius, ut nihil aut propè nihil officiat debitæ elevationi Mercurii.

33. Dices primò. Aër ille ſuperior poterit rarefieri, & condenſari, ergo officiet debitæ elevationi.

Reſp. Non eſt quod rarefactus deprimat Mercurium, quia faciliùs ſubibit poros per quos ingreſſus eſt, quàm demat Mercurium ſtantem.

Dices 2o. Experientiâ probatur quod ſi extremitas tubi clauſa hermeticè calefiat, deſcendat Mercurius; ergo aër ſuperior rarefit ſic ut inde deſcendat Mercurius.

Reſp. primò, Mercurium evaporari nimio calore, ut patet quotidie dum inauratur argentum. Unde deſcendet non quia premitur illo aëre, ſed quia calorem intenſiorem non patitur.

Reſp. 2°. dum corpus calidum applicatur extremo tubi, intromitti per vitri poros nova corpuſcula; quid mirum? ſi cum auxilio aliorum poſſit ita rarefieri ut Mercurium deprimat.

34. Dices 3°. Si quid eſt in parte ſuperiori tubi, exprimitur ex Mercurio.

Probatur antecedens. In Thermometro facto ex aquâ, ſic aſcendunt particulæ aquæ in ſuperiorem partem, ut formentur guttæ aquæ, adhæreantque interiori cavitati bullæ: ergo ſimiliter ex Mercurio exprimentur corpuſcula, quæ mixta cum aëre intromiſſo per poros vitri, poterunt condenſari & rarefieri.

Reſp. neg. antecedens. Ad ejus probationem nego conſequent. Neque enim dicendum eſt de Mercurio quod dicitur de aqua. Mercurius eſt corpus denſiſſimum, nec aër, per poros illius, meatum reperit, ut evadat in ſuperiora. Suppono Mercurium aëre purgatum, neque Barometrum alio quam purificato fieri debet.

35. Nec dicas ex ipſa Mercurii ſubſtantia, detrahi particulas quaſdam quæ tendant ſurſum: nam vel nihil omnino exprimitur; vel tam leve & exiguum quid,

quid, ut non officiat debitæ elevationi Mercurii: siquid enim detraheretur, restarent vestigia in lateribus tubi, aut supra in convexitate interna: atqui nihil tale observatur, nequidem in tubo, in quo dudum stetisset Mercurius.

36. Ex dictis collige primò, non posse Mercurium in qualibet altitudine subsistere, quia aër gravitans extenditur tantùm ad altitudinem 37000. pedum præter propter; ut à posteriori patet ex ascensu & descensu Mercurii.

2°. Dum elevatio Mercurii variatur, variari antecedenter pondus aëris: adeoque dum Barometrum ex loco humili defertur in locum altiorem, ut ibi constans permaneat, variandas esse notas collaterales.

3°. Posse cognosci facilè quantum ponderet columna aëris exteriùs gravitantis; quia quod ascendat Mercurius, & subsistat in tali altitudine, fit ex æquilibrio Mercurii cum aëre: Hinc sume Mercurii columnam, dabit pondus columnæ aëris, illi respondentis.

PARAGRAPHUS IV.

Objectiones petitæ à Thermometro.

37. OBjicies primò. Habetur, in Thermometro, aſcenſus corporis gravis, ſeu ſpirituum vini, ſine pondere aëris; ergo in Barometro haberi poterit aſcenſus Mercurii, ſine pondere aëris.

Reſp. neg. conſequent. In caſu antecedentis non eſt unde petatur gravitatio exterior, quia aër communis exterior penetrare nequit poros vitri; interior autem eam non habet vim, ut agat in ſubjectos ſpiritus: in caſu conſequentis, habetur unde aër in Mercurium gravitet; nam Mercurius ſtagnans directè & perpendiculariter, opponitur columnæ aëris, quæ vim ſuam exercit in ſtagnantem Mercurium, tum ratione ponderis, tum ratione elaterii.

38. Inſtabis primò. Habetur ab extrinſeco, unde petatur elevatio Mercurii, ergo eadem eſt ratio aſcenſus utriuſque.

Pro-

Probatur antecedens. Calor aëris externi Mercurium coget in fumum abire, quia, ut probant aurifabri, dum inaurant calore Mercurius in fumum abit, ergo &c.

Resp. neg. antecedens. Ad probationem nego assumpt. Ad cujus probationem disting. Mercurius, calore moderato, abit in fumum, nego antecedens; calore intenso, concedo antecedens. Nunquam haberi poterit aër ita calefactus, saltem naturaliter, ut Mercurius in fumum abeat.

39. Instabis 2. Calore moderato ascendunt spiritus vini in Thermometro, ergo calore moderato ascendit Mercurius in Barometro.

Resp. neg. consequent. Neque magis inde sequitur, quod Mercurius ascendat quàm descendat moderato calore: nam non sequitur, Thermometri aqua calore moderato descendit, ergo Mercurius calore moderato descendet.

Ratio autem, cur calor aquam cogat ad descensum, & spiritus vini ad ascensum, hæc est: calor rarefacit aërem in bulla superiori contentum: Item rarefacit spiritus vini in bulla inferiori coactos, ideoque ampliorem locum oc-

cupant spiritus vini, & aër; & quia corpora non penetrantur, aëri, dilatato in bulla, aqua locum cedit; & aër locum cedit spiritibus vini. Contrarium contingit frigore. Constringitur aër intra bullam, minoremque locum tenet, & ideo altiùs aqua protruditur ab externo aëre: spiritus etiam bullæ frigore coarctantur, descendunt ideo qui in tubum elati fuerant.

40. Objicies 2. Frigus confert ad elevationem aquæ, in Thermometro; ergo etiam frigus confert ad elevationem Mercurii in Barometro, consequenter ascensus non est tribuendus aëri.

Resp. Admitto hoc haberi commune in Thermometro aquâ facto, & Barometro, quod frigus indirectè concurrat ad ascensum Mercurii & aquæ; differunt tamen, quod ascensus aquæ Thermometri indirectè habeatur à frigore aëris interni, directè autem habeatur ab aëre externo premente: ascensus autem Mercurii in Barometro habeatur adæquatè ab extrinseco, ad quod sic frigus concurrit, ut condensando aërem, eum graviorem efficiat.

41. Instabis. Aër, bullâ contentus & contractus frigore, confert indirectè, ad

ascen-

aſcenſum aquæ; ergo aër, tubo Barometri contentus, confert indirectè ad aſcenſum Mercurii.

Reſp. neg. conſequentiam & ſuppoſitum illius: non enim eſt aër communis in ſuprema parte Barometri, & tota cauſa mutationis, ab extrinſeco eſt.

PARAGRAPHUS V.

Objectio petita à Barometro ſine vaſe, & ſine tubi curvatura.

42. OBjicies. Aſcenſus Mercurii, in Barometro carente vaſe, & tubi curvatura, non habetur per pondus aëris: ergo aſcenſus Mercurii, in aliis Barometris, non habetur per pondus aëris.

Probatur anteced. Ideo, in aliis Barometris, aſcenderet Mercurius, quia haberetur vas ſubjectum, oppoſitum columnæ aëris, gravitantis in illud perpendiculariter: aut certè quia curvatus tubus vices obiret vaſis ſuppoſiti: atqui hîc non habetur vas ſubjectum, nec curvatus tubus, aut quidquam aliud vices obit vaſis ſuppoſiti, ut perpendiculariter in illud gravitet aër; ergo aſcenſus Mercurii, in Barometro caren-

te vaſe, & tubi curvatura, non habetur per pondus aëris; ergo ulteriùs aſcenſus Mercurii, in aliis Barometris, non habetur per pondus aëris.

Reſp. diſt. antecedens. Aſcenſus Mercurii in Barometro carente &c. non habetur directè per pondus aëris, concedo; non habetur indirectè per pondus aëris, nego. Modò pondus aëris, in quibuſdam caſibus, Mercurium elevet directè, in aliis indirectè, illud erit ubique ſola elevationis Mercurii cauſa.

Ad probat. diſtingo majorem. Ideo in aliis Barometris aſcenderet Mercurius directè, quia haberetur vas ſubjectum, aut curvatura tubi in quæ directè gravitaret aër, concedo; in quæ indirectè gravitaret aër, nego. Ad eundem ſenſum diſtingo minorem. Atqui hîc non habetur vas ſubjectum &c. neque hîc directè gravitat aër, concedo; neque indirectè gravitat aër, nego; ergo &c. Itaque alius eſt modus gravitandi directus, alius indirectus. Corpus grave, directè gravitat in aliud, dum pondere ſuo immediatè & per ſe vim facit in corpus ſibi ſubjectum, adigitque quantum in ſe eſt, terram versùs; indirectè gravitat, dum, non immediatè, & per ſe, ſed me-

mediante alio, vim facit in aliud corpus. Exemplum gravitationis utriusque clarum est in trutina. Ponatur in una lancium pondus librarum sex, nullum ponatur in altera; deprimitur terram versùs lanx A, quia directè, immediatè & per se vim facit terram versùs, in illam lancem, pondus ut sex; erigitur lanx B, & si manu vim facis aliquam huic ascendenti, vim sentis causatam à pondere ut sex. Vis illa passiva quam manu sentis, est gravitatio indirecta ponderis ut sex, quia non est de ratione corporis gravis, vi sursùm, sed deorsùm corpus agere.

43. Ad propositum: duplex distinguitur columna aëris. Una respondet latitudini intrinsecæ tubi, pertingitque à summo atmosphæræ, adusque eminens extremum tubi hermeticè clausi: altera extenditur à terra, ad superiorem atmosphæræ terminum, ambitque totam Barometri latitudinem extrinsecè. Hæc, ut patet, longior, (consequenter gravior) gravitabit directè terram versùs, elevabitque aërem subjectum Barometro, & sustentabit indirectè Mercurium in medio tubo stantem. Res patebit, si Barometrum subjiciam oculis.



Fig. 2 *Nº* 44

44. Hoc Barometri genus (*Vide fig.* 2.) conſtat unico tubo recto, parte ſuperiori A hermeticè clauſo, inferiori autem B vix aperto: inferior enim poſt infuſum Mercurium, applicatur lampadi fuſoriæ, relinquiturque meatus anguſtior, ſic ut capillum vix admittat. Medius ſtat, in C D, Mercurius, ſic, ut inter Mercurium, & partem hermeticè clauſam, ſit ſpatium aliquod, carens elementari corpore: inter Mercurium & partem modicè apertam, ſit aër communis, qui tum fuit ante ſemi-celaturam, tum ingreditur per foramen anguſtius. Ex hoc Barometri ſitu, patet nullum aërem directè gravitare in Mercurium: non columna directè incumbens extremo hermeticè clauſo, quia celatura prohibet: non collateralis; quia vas deeſt, cui incumbat. Reſtat ergo ut pondus aëris collateralis indirectè gravitans, ſuſtineat Mercurium in tubo medio.

45. Inſtabis 1. Extremum inferius apertum eſt; ergo Mercurius ex illo defluet; quia Mercurius eſt corpus grave.

Reſp. diſtinguendo conſeq. Defluet ſi nihil obſtat, concedo; ſi quid obſtat, nego. Obſtat columna aëris, ambiens extrinſecè Barometrum, & indirectè pre-

mens Mercurium in tubo : sicut indirectè pondus trutinæ lancem deprimens, indirectè premit manum à quâ tangitur lanx elata.

Inst. 2. Columna aëris reflexa, & respondens foramini, tenuior est, quàm ut sustineat Mercurium; ergo nequidem indirectè in Mercurium gravitat.

Resp. dist. antecedens. Columna reflexa seorsim spectata, tenuior est quàm ut sustineat Mercurium, concedo. Columna reflexa, conjuncta cum ea, per quam reflectitur, tenuior est, quàm ut sustentet Mercurium, nego. Itaque aër columnæ directæ, & reflexæ per quam columna directa indirectè gravitat, per modum unius totalis, impediunt Mercurii descensum.

46. Ex his redditur ratio cur vinum non effluat è lagenâ perpendiculariter inversâ & apertâ; aut è dolio pleno, licet inferius epistomium pateat: quia nempè pondus aëris indirectè in illa gravitans effluxum vini prohibet.

Verum quidem est quòd quamvis liquoris in his vasibus contenti, superet mole, & gravitate, columnam aëris reflexè agentem; sed quia liquor secundùm latitudinem aperturæ tantùm resistit,

reſiſtit, & indirectè tantùm, ſecundùm id totum, quod in vaſe continetur; ita ac ſecundùm latitudinem aperturæ vaſorum directè agit, & indirectè ſecundùm totam aëris extenſionem; & quia ſuperior eſt premendo, hinc ne vel gutta defluet, niſi pateat aditus, quo recta aëris columna aliunde premat. V.g inclinetur lagena, aut parte ſuperiori perforetur dolium; tunc liquor reſpondens latitudini meatûs ſuperioris, unà cum columna aëris incumbente ſibi, vincet reflexam columnam aëris, vinumque è dolio fluet & è lagena pariter, poſt intromiſſum in illam aërem.

47. Petes unde fiat ut ſi ſuſ-deque vertatur hoc Barometrum, Mercurius tam tardè moveatur, ſive ad partem apertam, ſive ad clauſam hermeticè, cùm tamen in aliis celerrimè & cum impetu feratur modò ſurſum, modò ad latus, deorſumque dum vel leviter movetur.

Reſp. id fieri 1. Propter anguſtias tubi; fit enim hoc Barometrum tubo anguſtiori. 2. Propter reſiſtentiam quandam aëris etiam ſubtilioris verſus partem hermeticè clauſam. 3. Propter aërem communem minùs liberè ingredientem per apertum meatum. 4. Denique prop-

ter

ter exiguitatem molis concluſi Mercurii. Imò ſi attollatur tubus rectâ lineâ ſtans, deinde vi deprimatur, quod ſufficeret ad fractionem Barometri craſſioris, vix ſufficit ad aliqualem motum Mercurii. Reipsâ per hunc motum, Mercurius Barometri craſſioris, magno impetu tenderet ad ſuperiora, deinde motu repercuſſionis diverberaret inferiora. Quod ſi adhæſio laterum tubi minor foret, tubus diſſiliret in partes: at verò ſi Barometrum, de quo hîc, erectum, vi longè majori deprimatur, nullus erit motus repercuſſionis, & motu recto, exiguum duntaxat aërem expellet parte inferiori. Cogeret quidem totum egredi, ſed repetitis vicibus neceſſe foret agitare tubum, modo jam dicto, quo caſu Mercurius ſtationem priſtinam tenere non poſſet, niſi iterum inverſus tubus, locum daret ingredienti aëri.

48. Ex quo ulterius ſequitur hoc Barometri genus minùs valere ut ex eo cognoſcatur auræ temperies, niſi immobile alicubi ſubſiſtat; aliàs agitatum, locum daret deſcenſui Mercurii, qui poſthac ſolitas ſerenæ & variabilis notas nequiret attingere.

49. Dices.

49. Dices. Nulla ratione cognosci posset auræ status hoc Barometri genere, quia meatus inferior tam angustus est, ut aër externus liberè ingredi non possit, varièque afficere internum.

Resp. neg. anteced. & prob. Si exiguum quid ingrediatur, exiguum etiam in tubo latet, adeoque sufficiens ut modicum quid variè disponat, tum ad condensationem tum ad rarefactionem.

PARAGRAPHUS VI.

Quæsita circa hanc Materiam.

50. QUæstio 1. Quid sit & quomodo fiat Thermometrum?

Resp. Thermometrum, ex ipso suo nomine, idem est ac mensura caloris, θερμὸν ènim calorem significat, μέτρον autem mensuram. Fit duobus modis. Primò fit aquâ. 2. spiritibus vini. Thermometrum, quod fit aquâ, 1. constat duabus



Fig. 3 N° 50

duabus partibus ; vaſe ſcilicet & tubo oblongo, cum eminente bullâ. 2. Extremum aperti tubi ſtagnanti aquæ mergitur. 3. Impoſita tubo aqua, ad medietatem aſcendit dum creſcit frigus ; deſcendit dum creſcit calor. 4. Notantur gradus in aſſere, cui affigitur tubus. *Vide fig.* 3.

Thermometrum quod fit ſpiritibus vini, 1. uno tantum vitro conſtat. 2. Bulla non eminet, ſed ſubjicitur. 3. Impletur bulla, & ſupra medium tubi ſpiritibus, reliquum datur aëri communi. 4. Hermeticè dein clauditur. 5. Notantur pariter gradus in aſſere cui alligatur tubus. 6. Dum calor creſcit, elevantur ſpiritus vini, dum frigus intenditur deſcendunt. 7. Tubus extendi poteſt ad tres quatuorve pedes. 8. Graduum diſcretio diverſa ſit pro diversâ longitudine & latitudine bullæ. 9. Tubus poteſt eſſe denſior, ſeu ſpiſſior, ſed bulla ſit tenuior, ſpiritus inde fient alterationis capaciores. *Vide fig.* 4.



Fig. 4. N° 51

51. Ex his habes quomodo differant hæc Thermometra. Primum habet commune aliquid cum Barometro. Secundum nihil habet commune. Deinde potest crescere quantitas aquæ in tubo, quando tamen non crescit frigus; quia formantur guttæ intra concavitatem bullæ, per evaporationē. Et illa quantùm aquam tubi minuit, tantùm exterius gravitans aër, aquæ tubo restituit ex vase subjecto: deciduntinterea guttæ, & aquam tubi augent; unde, ubi non crescit frigus, judicaretur tamen frigus crescere. Deinde si guttæ aquæ non adhæreant concavitati bullæ, particulæ aquæ abibunt in aërem, crescetque quantitas aëris superioris, & descendet aqua, ubi tamen non crescet calor. Secundum constans sibi manet, nec recipit ab extrinseco quidquam, nisi calorem aut frigus, quo hyemem æstatemque doceat, & in hoc præstat alteri, facto aquâ. Quod si dicas spiritus vini abire etiam in vapores, & crescere aërem superiorem tubi, descendereque spiritus vini, ubi non crescit frigus:

Resp. id non contingere si tubus sit angustior: quod si sit amplior, posse quidem aliquâ ex parte evaporari, & in aërem abire, sed quia tubus hermeticè clausus

clausus est, ideoque non possiunt egredi, & si aërem superiorem aliquo modo augeant, ille ita condensatus impediet aliorum evaporationem.

52. Quæres 2. in quo Barometrum differat à Thermometro?

Resp. Barometrum etiam fit duobus modis, aliud enim est simplex, aliud duplex, seu compositum. Simplex uno tantum tubo constat, duplex duplici. Simplex fit modis pluribus: vel enim caret vase subjecto, tunc extremitas inferior recurva est. *Vide fig.* 5. Vel habet vas in quo restagnat Mercurius, tunc etiam pars inferior est retorta, sed sic ut tota sub Mercurio stagnanti lateat. *Vide fig.* 6. Vel recta desinit, & immergitur phialæ vitreæ, aut plumbeo vasi. *Vide fig.* 7. Inseri etiam potest baculo. *Vide fig.* 8. Pro vase subjecto adhibetur charta densior agglutinata intra manubrium; huic vasi agglutinatur sacculus Mercurio plenus, & dexterrimè alligatus tubo, ne quid effluat, dum sus-deque vertetur Barometrum quod vase aut curvatura caret. *Vide num.* 44.



Fig. 5 N° 52



Fig. 6

nº 52



Fig. 7 Nº 52



Fig. 8 N° 52

53. Longitudo ſimplicis ad 4. pedes, latitudo ad quartam digiti partem extendi poteſt. Pars ſuperior hermeticè clauditur, ſed aperitur inferior. Longitudo & latitudo ſimplicis, non excedit duplicis extenſionem, ſed in duplici, duplex habetur bulla. *Vide fig.* 9. Una eminet tubo hermeticè clauſo B. altera ſubjacet aperto G. Tubus hermeticè clauſus continet Mercurium, apertus aquam ſecundam, ut vocant: illa eſt aqua fortis, quæ, aut in uſu fuit diſſolvendo metallo, aut miſcetur aquâ communi, cujus quantitas ſextuplo major ſit. Colore tingitur, ad majorem graduum diſcretionem.

Mercurius medietatem ſuperioris bullæ occupat uti & inferioris. Aqua aſſurgit ad medietatem ſui tubi Q. Bulla ſe habet ad tubum in latitudine ut 14. ad unum. Apponuntur gradus in charta deſcripti aut inciſi ære, ad illum tubum qui aquam continet. Sed quia tubus, cui aqua tincta imponitur, parte ſuperiori patet, aqua poteſt in vapores abire, ideo præſtat Barometrum ſimplex duplici.

54. Præterea differt Barometrum à Thermometro in uſu. Thermometrum eſt ad cognoſcendum calorem, & frigus

illo ſuperius relicta, æthere replebuntur.

57. Quæres 4. Quomodo ſe habebunt ad invicem aër & ſpiritus vini cum intendetur calor?

Reſp. Corpora illa contracta aëre frigido, dilatabuntur calido. Quod ſi extremitas tubi actu hermeticè claudatur ad lampadem, aër ſuperior rarefactus, vehementer abiget ſpiritus intra bullam, eoſque ibi condenſabit: poſito autem quod tubus ſit clauſus hermeticè, & applicetur calor intenſior bullæ, ſpiritus in altum ſeſe efferent, & aërem condenſabunt.

Inferes. Ergo calor condenſat, & ſimul rarefacit eundem aërem: hæc ſunt oppoſita ergo.

Reſp. D. illatum. Calor eodem modo applicatus condenſat & rarefacit eundem aërem, nego illationem; diverſo modo applicatus, concedo illationem. Applicatus extremo tubi aërem rarefacit, & illi condenſat ſpiritus vini intra bullam: applicatus bullæ, ſpiritus rarefacit, & illi per ſuam dilatationem, aërem comprimunt in ſummo tubi.

58. Dices. Calor nullo modo condenſat, ergo, &c.

Reſp.

Reſp. D. aſſumpt. Nullo modo condenſat per ſe, concedo aſſumpt. per accidens, nego aſſumpt.

Dices 2. Calor facit ut recedat corpus, cui ineſt à centro ad circumferentiam, atqui dum applicatur bullæ calor, non facit ut recedant ſpiritus à centro ad circumferentiam, ſed potiùs à circumferentia ad centrum, ergo &c.

Probatur minor. Calor ſeſe communicat lateribus bullæ, & inde ad ſpiritus vini, ergo facit recedere à circumferentia ad centrum.

Reſp neg. minorem. Ad probat. neg. conſeq. Alia eſt circumferentia ſpirituum, alia circumferentia bullæ. Dum calorem concipit primus digitus ſpirituum, dilataretur æqualiter, niſi prohiberet vitrum, unde tota vis illius eſt in centrum bullæ, quod reſpectivè ad ſpiritus, locum habet circumferentiæ. Hac ratione frangeretur bulla, niſi ſpiritibus vini, aditus daretur in tubum. Ideo etiam franguntur vaſa ſpiritibus repleta, dum calorem concipiunt.

59. Quæres 5°. Cur in tubo cujus extremum recurvum eſt, ſed breve, dum invertitur tubus, Mercurius non ffluat?

Suppono non fuisse positum Mercurium, nisi ad altitudinem solitam, id est ad 28. digitos v. g. aut quadraginta.

Resp. rationem cur non effluat, esse, quia columna aëris illi respondens & gravitans intra partem recurvam & apertam, respondet, quoad pondus, Mercurio, ideoque manet in æquilibrio cum illo.

60. Dices. Dum habetur tubus latior apertus cui se communicet in inferiori parte, tubus anguſtior, sed æque altus ac alter, aqua tubi majoris ascendit in anguſtiorem, ad eandem altitudinem, qua stabit in minori, ergo similiter elevabitur Mercurius sic ut effluat è crure breviori.

Resp. neg. conseq. Disparitas est quod tubus Barometri non sit apertus in superiori parte, ideoque gravitare non potest aër exterior.

D U-

DUBIUM III.

An ſolum pondus aëris ſufficiat ad aſcenſum Mercurii?

Senſus eſt an præter pondus aëris, requiratur etiam elaterium ejusdem?

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Prænotanda & Reſolutio Quæſtionis.

61. NOta primò, elaterium eſſe vim innatam rei ut ſe reſtituat in ſitum connaturalem, qui debetur illi primo inſtanti ſuæ productionis. Talis vis ineſt baculo, enſi &c. curvatis. Vis autem illa fundatur in certo quodam partium ordine, qui exigit, ut ſi ab extrinſeco mutaretur talis ordo, eum ſibi reſtitueret corpus, ſublato obice externo.

62. Nota 2°. duplex eſſe elaterium: aliud in actu primo, aliud in actu 2°. elaterium in actu primo, non diſtin-

guitur à tali partium ordine, ut connotante exigentiam restitutionis in priorem situm, si inflecterentur. Elaterium in actu 2o. est actualis conatus partium, ut se in situm connaturalem restituant. Elaterium in actu primo habetur in ense recto v.g. Elaterium in actu 2o. habetur in ense curvato aut in arcu funem extendente, vel in manus curvantes agente, aut in congerie bacillorum, ramusculorum &c. in qua superiores per suum pondus, inferiores autem in superiores agunt per elaterium.

63. Dico primò: Aër habet elaterium.

Probatur. Aër in minori extensione constitutus, quàm connaturaliter exigat, habet vim se se dilatandi, & restituendi in statum pristinum, ergo habet elaterium.

Antecedens evidenter patet in bombarda pneumatica, ubi aër compressus statui pristino sese restituit, etiam cum fremitu, quando obex amovetur. Immò aër communis, quem respiramus, suum habet elaterium, ut patet in vesica flaccida, delata in montem duo milliaria elatum, turgescente: cujus ratio est, quod particulæ aëris inclusi,

non

non ita premantur in ſummitate montis, ac in radice : unde extricant ſeſe & dilatant. Eadem eſt ratio cur in recipiente poſita ſic intumeſcat & diſrumpatur.

64. Dices primò. Sequeretur quod aër inferior non foret in ſtatu connaturali, ſed violento.

Reſp: non eſſe in ſtatu connaturali abſolutè loquendo, ſicut lapis, in ſuperficie terræ, non eſt in ſtatu, niſi violento, quia non eſt in centro : eſſe tamen in ſtatu connaturali reſpectivè ad præſentem partium ordinem.

Dices 2°. Aqua non ita ſe dilatat, ergo nec aër debet ſe dilatare.

Reſp. Alia eſt natura aquæ, alia aëris. Item aliæ proprietates unius, aliæ alterius.

65. Dico 2°. Aſcenſus Mercurii habetur partim à pondere, partim ab elaterio aëris.

Quod habeatur à pondere probatum eſt Dubio præcedenti: quod non habeatur præcisè ab illo, etiam patet; nam eadem eſt ſuſtentatio Mercurii, in recipiente, ex quo fuiſſet extractum aliquid aëris. Quod habeatur ab elaterio, probatur. Nulla eſt alia cauſa cur Mercu-

rius stet æqualiter elatus, exsucto aëre è recipiente, æquè ac non exsucto: Item cur intumescat vesica in summo montis, & non in radice; quod frangatur in recipiente &c. Non est, inquam, alia causa, cur ista fiant, nisi per elasticitatem aëris; ergo habetur elevatio Mercurii ab elaterio aëris.

Prob. 2°. Aër inferior habet elaterium in actu 2°. ex eo quod prematur à superiore; ergo premit per illud, quia est causa necessaria.

66. Dices, Mercurium purificatum stare intra recipientem, quia habet partes inter se adhærentes & factas propè solidas.

Resp. id gratis dici & contra experientiam; nam post multas exsuctiones aëris, fit ut formetur tandem aliqua bullula intra tubum, quæ sensim ascendit ad superiorem partem tubi; quâ eò delatâ, statim purificatus Mercurius descendit eâ proportione, quâ bullula aërem continet.

Confirmatur. Baculus inflexus magis premit per elasticitatem suam quàm per pondus. 2°. Spongia constricta funę, agit per elasticitatem suam, in funem, quo constringitur, immò sic con-

constricta, ponatur cum æquali pondere in bilance, ita ut sit pondus in unâ lance, & spongia in altera, sed intra lancem unam, firmetur baculus tangens præcisè superficiem superiorem spongiæ: scisso fune, spongia aget in lignum, lancem suam deprimet, & oppositum sibi pondus elevabit, non per pondus, quia, ut supponitur, est cum altero æquale, sed per elasticitatem suam antea in funem, nunc conatum suum in baculum, & lancem exerentem.

PARAGRAPHUS II.

Solutio objectionum.

67. OBjicies primò: Post aliquot exsuctiones aëris è recipiente, nullus remanet aër, ergo non stat Mercurius in recipiente per elaterium aëris.

Resp. neg. anteced. Inde sequitur, post iteratas exsuctiones, non fore tantùm aëris in recipiente quantùm antea.

Dices. D. Boyle post sedecim exsuctio-

ctiones, separavit polita marmora, ergo post illas exsuctiones nullus remanet aër.

Resp. neg. consequentiam: Dico remansurum semper aliquid aëris, & frangendum potiùs recipientem, quàm omnis aër exsugatur, quia latera recipientis, non haberent sufficientem resistentiam, respectu aëris extrinseci. Non nego tamen posse sic extenuari aërem, ut & pondus, & elasticitas ejus, non sufficiant ad elevationem multam Mercurii tum purificati, tum non purificati.

68. Instabis primò. Si quid exigui aëris restaret, non esset qui Mercurium sustentaret ad tantam altitudinem, ergo.

Resp. Licèt non sit tantùm ac antea, quoad pondus, esse tamen quoad elaterium, quod supplet vices ponderis.

Instabis 2°. Æque prement paucæ ac multæ particulæ aëris, atqui hoc absurdum est, ergo.

Resp. disting. majorem. Æquè prement paucæ ac multæ per pondus præcisè, nego; per augmentum elasticitatis; concedo. Augetur elasticitas quando aëris

ris quantitas minuitur, quia particulæ expediunt seſe, & ſingulæ niſum imprimunt majorem.

69. Inſt. 3°. Multæ particulæ aëris, etiam elaſticitate ſua vincunt exiguas numero, ergo non creſcit elaſticitas decreſcente earum numero.

Reſp. diſting. anteced. Multæ particulæ etiam elaſticitate vincunt exiguas numero, ſi cætera ſint paria, concedo; ſi cætera non ſint paria, nego. Imprimant igitur niſum æqualem, ſumptæ ſeorſim, paucæ & multæ, ut evidenter patet, pauciores ſuperabuntur à numeroſioribus; ſed numeroſiores attemperent influxum ſuum, quem non attemperarent pauciores; mirum non erit quod illas, hæ ſuperent.

70. Inſt. 4°. Particulæ multæ ignis ejusdem, calefaciendo vincunt pauciores; item Equi multi vincunt paucos trahendo; ergo ſimiliter plures particulæ aëris premendo prævalent paucis.

Reſp. neg. conſeq. ad ſenſum n. 69. dictum, & hoc diſcrimen intercedit: nempe ignis agit per diſtinctam à ſe virtutem; nec gradus unus illius, alium impedit aut attemperat: particulæ vero

rò aëris agunt, non per aliquid extrinsecum, & distictum à se, sed per entitatem suam : hinc implexæ nimia & intricatæ, aut impediuntur, aut influxum attemperant.

Instabis 50. Sequeretur quod aër, terræ proximus, non tantùm gravitaret quantùm aër, in extrema atmosphæræ parte, quia particulæ sunt implexæ in inferiori parte, sunt autem explicatæ superiùs in extremo atmosphæræ.

Resp. neg. sequelam. Ad probat. dist. Sunt explicatæ superiùs quantùm possunt explicari, concedo; sic ut possint ulteriùs explicari, nego. Aër ergo in extremo atmosphæræ tantùm extenditur quantùm potest, unde non agit per elaterium, sed per pondus. Sic baculus extensus quantum potest non premit per elasticitatem, sed per pondus præcisè.

71. Inferes. Ergo aër condensatus non magis gravitaret, quam rarefactus, quia rarefactus ageret secundum singulas partes extricatas.

Resp. neg. illationem. Ad probat. dist. Ageret versus circumferentiá, concedo; versus centrum, neg. Calor est rarefactivus per se, & facit recedere corpus, cui inest

ineſt à centro ad circumferentiam. Terra habet locum centri reſpectu aëris, quia calor inde producitur in aëre; recedit ergo aër per rarefactionem à terrâ, & vim ſuæ dilatationis rarefactivæ imprimit verſus partem ſuperiorem : ſicut lac recedens à fundo lebetis ad operculum, fertur per rarefactionem. Motus aëris per elaſticitatem non tantum eſt ad extrema, ſed etiam in ipſo centro corporis ſe ſe extendentis.

72. Objices 2°. Ex dictis habetur duplex aëris elaterium, unum, quo aër preſſus reſiſtit prementi, alterum quo ſibi relictus in minori quantitate ſeſe dilatat intra recipientem, premitque latera recipientis, & ſubjectum in vaſe Mercurium, ſic ut ad eandem altitudinem eum ſuſtentet.

Reſp. neg. anteced. Per idem elaterium, aër premit corpus, à quo premitur, & per idem elaterium, latera recipientis premit, ſuſtentatque Mercurium purificatum, dum minuitur, & ſibi ipſi relinquitur; neque novum eſt ut idem corpus, ſub diverſa ratione plus vel minùs agat, plus vel minùs reſiſtat in minori & majori extenſione.

73. Res ut pateat, diſtinguendus eſt in

in elasticitate aëris duplex motus, motus resistentiæ, & motus dilatationis. Per primum aër tendit à circumferentia ad centrum, ratione agentis extrinseci : sicut spongia tendit à circumferentia ad centrum, dum manu premitur; per secundum motum aër tendit à centro ad circumferentiam ratione activitatis intrinsecæ, & sublationis agentis potentioris, ab extrinseco. Ita spongia, sublata activitate manûs, fertur à centro ad circumferentiam.

Duplex ille motus resistentiæ & dilatationis diversus non est realiter, sed tantum formaliter. Quia idem aër sumit denominationem resistentis prout habet ab extrinseco corpus validius, à quo feratur à circumferentiâ ad centrum : sumit verò denominationem agentis, quatenus corpus extrinsecum removetur, nec impedit ultra illius extensionem.

74. Horum motuum diversa potest fieri combinatio; reperitur enim quandoque motus resistentiæ tantùm, dilatationis tantùm, resistentiæ & dilatationis simul. Motus resistentiæ tantùm, est, cum corpus fertur à circumferentia ad centrum præcisè : ita fit cum

spongia

ſpongia manu premitur, aut aër concluditur in veſica flaccida. Motus dilatationis tantùm, eſt, eum corpus nullam habet reſiſtentiam, & dilatatur quantùm poteſt; ita aër in extremitate atmoſphæræ, aut cum baculus poſt inflexionem, ſibi ipſi relinquitur. Dilatationis & reſiſtentiæ ſimul, fit, cum corpus aliquod, & premitur, & dilatatur. Ita aër in recipiente & premit Mercurium ſtantem, & premitur ab illo, quia ille per pondus ſuum reagit in aërem incumbentem.

75. Porro poteſt eſſe motus dilatationis major, quando minor eſt quantitas corporis moti; ita aër recipientis poteſt magis dilatari dum exiſtit in minori quantitate, quàm dum eſt in majori. Quia dum eſt in minori quantitate, particulæ illius magis ſe explicant; quando autem eſt in majori quantitate, particulæ minùs poſſunt expedire ſe. Dum eſt aër intra recipientem majori quantitate tantùm reſiſtit quantùm agit ut Mercurium ſuſtentet: quando autem eſt in minori quantitate, minùs reſiſtit quàm agat motu dilatationis. Unde exceſſus dilatationis ſupplet defectum reſiſtentiæ ut tantundem Mercurium elevet, ac ante.

76. Dices

76. Dices 1°. Ibi esse verba & voces tantùm.

Resp. neg. assumpt. Non sunt verba & voces, quod aër in vesica flaccida moveatur motu resistentiæ; quod eadem vesica intumescat post exsuctum aërem recipientis, consequenter quod illius aër tunc moveatur motu dilatationis, per sublationem resistentis extrinseci. Non sunt verba si dicatur quod timpanum horologii rotati portatilis, moveatur duplici motu; resistentiæ & dilatationis: resistentiæ cùm rotas non moveat quantùm potest, simul & semel eodem instanti; dilatationis cùm non sit tanta resistentia in rotis quanta est activitas singularum aut omnium particularum ferri in timpano per giros convoluti. Non sunt verba & voces si dicatur, quòd tanta sit activitas in timpano, ejusdem horologii, post tres horas evolutionis timpani, quanta erat in primo quadrante, & tamen vis quædam deperdita est in secreto timpani; consequenter mirum videri non debet si dicatur motus dilatationis crescere ubi minor est quantitas aëris.

Dices 2°. Hoc ipsum est conceptu difficile quomodo particulæ timpani moveant

moveant rotas horologii eodem modo poſt duas horas ac poſt primum quadrantem.

Reſp. poſſe duobus modis explicari. 1°. Dicendo omnes & ſingulas particulas ſecreti timpani moveri motu dilatationis quolibet inſtanti horæ, ſed, ratione extrinſeci reſiſtentis, temperare activitatem ſuam. 2°. Primum circulum agere primo quadrante, deinde particulas ſecundi, poſtea tertii & aliorum, agere quidem & reſiſtere ad ſenſum jam explicatum.

77. Dices 3°. Tam debilis eſt aër recipientis poſt aliquot exſuctiones ut non ſufficiat reſpirationi aviculæ, ergo non ſufficiet aſcenſui Mercurii ad eandem altitudinem ac ante.

Reſp. neg. conſeq. Elaſticitas aëris non eſt neceſſaria ad reſpirationem, ſed illius quantitas: ad preſſionem requiritur quantitas & elaſticitas, ſed minùs quantitas in certis caſibus quàm elaſticitas ut probatum eſt. Adde aviculam non laborare defectu aëris extrinſeci, ſed intrinſeci, ſuccedentis in locum extracti. *Vide num.* 9.

Inferes. Ergo aër mediæ regionis tantùm elevabit Mercurium quantum infimæ;

ſimæ ; quia aër mediæ regionis magis eſt extenſus motu dilatationis.

Reſp. neg. illat. Ad probat. diſting. aſſumpt. Magis eſt dilatatus & non habet eandem reſiſtentiam ex parte ſuperiori ac habet in recipiente, concedo ; & habet, neg. Quod ergo aër in minori quantitate intra recipientem poſſit attollere Mercurium, eodem modo, ac in majori ; id oritur ex eo quod, in minori quantitate, habeat nihilominus eandem reſiſtentiam, ac ante, ex parte circumferentiæ recipientis ne dilatetur & extendatur ulteriùs. Et niſi aër ita exſugatur, ut particulæ reſiduæ, aut vix, aut omnino non ſe tangant & in ſeſe agant, Mercurium ſemper attollent, certâ cum proportione.

78. Juxta explicationem modò datam duplicis motûs aëris, pulchrè, facilèque explicari poteſt, quomodo in fonte artificiali, aqua, etiam longiori tempore, altè ſaliat ; utpote aër, in vas æneum, cum aquâ, magnâ vi adactus, apertâ claviculâ, expedit ſeſe, & aquam ſibi ſubjectam, adigit ſurſùm, ſalientemque facit, ut videre eſt in expoſitione ſalientis artificialis.

Sit



Fig. 10 Nº 78

Sit vas æneum A. & tubus A B. penè uſque ad vaſis fundum pertingens. In B. ſit clavicula, & nonnihil ſupra illam vertebra, quâ poſſit cylindrus C D ei adhærere. Illo ibi applicato, aqua intrudatur in vas, conversâ ſingulis vicibus claviculâ; & ubi jam multum aquæ intruſum fuerit, intrudatur inſuper eodem cylindro, plurimùm aëris, & clavicula claudatur. Apponatur vertebræ, poſt amotum cylindrum, tubus exiguus E. Ubi demum aperietur clavicula, ſumma vi per tubum erumpet aqua: & quo anguſtius erit tubi foramen, eò diutius durabit ſaliens. *Vide fig.* 10.

79. Objicies 3a. Vel pondus & elaterium agerent per lineam rectam, vel per obliquam.

Non agerent in nos per lineam rectam, quia impediret obliqua, non per obliquam, quia impediret recta; ergo &c.

Reſp. Pondus & elaterium columnæ aëris perpendicularis, obliquæ, collateralis &c. per modum unius agentis totalis æqualiter ex omni parte premere.

Dices. Major eſt quantitas aëris collateralis

teralis quàm perpendicularis; ergo non æqualiter premet.

Probat. anteced. Columna aëris perpendicularis extenditur ad altitudinem 37000. pedum; collateralis extenditur ultra 100000.

Resp. dist. anteced. Major est quantitas & major activitas collateralis, nego anteced. activitas non est major, concedo antecedens. Sit licèt extensior columna collateralis, tamen non magis aget quàm perpendicularis: hæc enim agit per pondus & elaterium: illa autem minùs per pondus & elaterium: aut potiùs columna utraque cum obliquis constituunt unum agens totale, & per modum unius, agunt æqualiter in hominem, qui uti pisces in aquâ, ita ille in aëre, potiori jure non læditur.

PARAGRAPHUS III.

Collectanea.

80. COllige primò, gravitatem aëris petendam ab entitate singularum particularum aëris, secundùm se sumptarum

tarum ; elaterium verò petendum ab entitate particularum ſumptarum in ordine ad alias.

Secundò, pedem aëris inferioris magis gravitaturum, quàm pedem aëris ſuperioris ; quia ſuperior aget in inferiorem per pondus tantùm, inferior autem aget in ſubjectum ſibi corpus per pondus & elaterium.

Tertiò, aërem inferiorem acturum in ſuperiorem, non per pondus, ſed per elaſticitatem ſuam, ſicut baculus manu curvatus premeret manum ſuperiorem, à quâ inflecteretur.

Quartò, minuendam eſſe preſſionem aëris, ubi minuetur ejus elaterium.

Quintò, aërem inferiorem in certâ quantitate magis dilatandum quando ſibi relinquetur, ſeu non premetur ab alio circumſtante, quàm aërem ſuperiorem in eâdem quantitate, quia plus habet materiæ exigentis connaturalem ſitum, magis extenſum. Unde ſi veſica flaccida, rariorem aërem continens, poneretur intra recipientem, minùs turgeret quàm ſi contineret aërem Regionis infimæ : aut ſi ex recipiente exſugeretur aër ſecundùm aliquam partem, reſiduum aëris non ita

premeretur, ideoque connaturalem situm quæreret per suam explicationem, premeretque magis Mercurium per elaterium quàm per pondus, sicut majorem vim imprimeret baculus recuperans priorem situm post inflexionem ejusdem.

81. Sextò, non haberi elaterium in actu 2°. nisi habeatur aliqua resistentia ab extrinseco, ne corpus sese dilatans extendatur quantum potest. Patet in spongiâ, quæ, quamdiu non habet extensionem sibi debitam, agit in corpus resistens, illam ut obtineat, eâque obtentâ cessat premere.

Septimò, modum elasticitatis in hoc differre à motu rarefactionis, quod motus elasticitatis fiat spontaneè, motus autem rarefactionis fiat à calore immisso.

Octavò, facilè explicari posse modum quo multa fiunt ope aëris contracti vel dilatati: puta fontes artificiales, avium cantus, ejaculationes bombardarum pneumaticarum, & alia ejusmodi quæ recensentur à variis Mathematicis.

D. U.

DUBIUM IV.

An aër tempore pluvio magis premat Mercurium?

PARAGRAPHUS I.

Resolutio Quæstionis.

82. RESp. negativè; quia vapores minuunt elaterium aëris; ergo aër tempore pluvio non magis premit.

Probat. anteced. Aëris elaterium consistit in hoc quod partes superiores aëris premant inferiores, & vicissim inferiores agant in superiores: atqui per insinuationem vaporum id impeditur, ergo per vapores minuitur elaterium aëris. Major videtur certa.

Probat. minor. Inferiores separantur à superioribus per insinuatos vapores: non enim datur penetratio corporum naturaliter; nec minùs particulæ aëris à se invicem separabuntur, ac si duæ spongiæ, in sese, per elasticitatem agentes, per interpositam aquam separa-

rentur, una non premeret alteram; ſed extremitas utriuſque enervaretur intra aquam; ergo ſimiliter per inſinuationem vaporum, minuitur activitas aëris ſuperioris in inferiorem. Jam autem ſeparatæ particulæ in ſe non agent nec immediatè, quia interponuntur vapores; nec mediatè, quia cuſpides aëris enervantur intra vapores. Confirmatur. Spongia, lana, panis per inſinuatam aquam perdunt elaterium; ergo aër ſimiliter.

PARAGRAPHUS II.

Solutio Objectionum.

83. OBjicies primò. Suppoſito pondere aëris, Mercurius altiùs aſſurgeret tempore pluvio quàm ſereno: atqui oppoſitum probat manifeſta experientia; ergo &c.

Prob. major. Majus ineſt pondus aëri, pluvio tempore; ergo Mercurius tunc altiùs aſſurget.

Reſp. neg. ſequel. majoris. Ad probat. diſt. aſſumpt. Majus ineſt pondus aëris & major eſt illius preſſio, nego; & non major eſt illius preſſio, concedo. Majus quidem

quidem habetur pondus aëris, non ideo tamen ſequitur major illius preſſio, quia preſſio non tantùm petitur à pondere & gravitate corporum.

Inſtabis primò. Ubi majus pondus, ibi major ſequitur preſſio: atqui tempore pluvio majus ineſt pondus aëris; ergo major ſequitur preſſio.

Prob. major. Ubi majus pondus, ibi major niſus deorſum, ergo ubi majus pondus, ibi major ſequitur preſſio.

Reſp. diſt. majorem. Ibi major ſequitur preſſio ſi nihil vetet, concedo; ſi quid prohibeat, nego. Hîc autem majorem aëris preſſionem prohibet vaporum in illum inſinuatio.

84. Inſtabis ſecundò. Vapores aërem vincunt pondere; ergo ſequetur major illius niſus & preſſio.

Prob. conſequens. Conjunctio vaporum non minuit ſed auget preſſionem & niſum; ergo ſequetur major niſus & preſſio.

Reſp. diſt. conſequens. Si ex illa conjunctione nihil deperdat aër quo minùs premat, concedo; ſi deperdat aliquid, neg. Majus quidem pondus additum minori preſſionem facit majorem ſi cætera ſint paria; ſed ſi pondus quod additur mi-

nuat id, quo aliud premat, non fit inde major preſſio.

Inſtabis tertiò. Conceptibile non eſt quod pondus additum ponderi faciat minus pondus; ergo conceptibile non eſt, quod pondus additum ponderi non magis premat, & nitatur deorſum.

Reſp. me non negare fieri majus pondus, ſed nego majorem ſequi preſſionem. Igitur diſt. conſeq. Ergo conceptibile non eſt quòd pondus additum pŏderi non magis premat, ſi preſſio & niſus adæquatè oriretur à pondere, concedo; ſi niſus & preſſio non oriretur adæquatè à pondere, neg. Preſſio & niſus aëris in ſubjectum Mercurium non petitur adæquatè à pondere, ſed etiam oritur ab elaterio. Vaporibus enervatur elaſticitas aëris, conſequenter debilitatur ejus preſſio.

85. Inſtabis quartò. Preſſio adæquatè petitur à pondere; ergo. Prob. anteced. Non eſt unde ferrum v.g. magis premat & nitatur deorſum, niſi quia majus ei pondus ineſt; ergo preſſio adæquatè petitur à pondere.

Reſp. neg. anteced. Ad prob. diſt. aſſumpt. Si preſſio petatur præcisè ab entitate ſingularum partium conſtituentium ferrum, non eſt unde magis premat

mat nisi quia majus ei pondus ineſt, concedo aſſumptum : ſi preſſio petatur à tali conſtitutione partium , &c. non eſt unde &c. neg. aſſumpt. Poteſt ergo preſſio ex duobus capitibus oriri, 1°. ab entitate præciſè particularum quibus pondus ineſt : 2°. ab entitate particularum tali ordine diſpoſitarum. Primo modo tantùm corpus grave premit & nititur deorſum. Secundo modo premit corpus pollens elaſticitate, & ſæpè major eſt longè ab elaſticitate preſſio, quàm à gravitate, ut patet in ferro, ligno &c. curvatis. Idem in aëre contingit. Premit aër per pondus ut oſtenſum ſupra : premit elaterium , ut probavi ſimiliter ; & major eſt vis illius preſſiva ab elaſticitate quàm ab innata gravitate, ut ſatis probat veſicæ ſiccidæ intumeſcentia & fractio. Igitur cum perdat aër aliquid elaſticitatis ab inſinuatione vaporum , licèt novam inde gravitatem intro ſuſcipiat , nihilominus minus aſſurget Mercurius pluvio tempore.

Inſtabis quintò. Magna vaporum copia ſupplebit defectum imminutæ elaſticitatis ; ergo major erit preſſio.

Reſp. diſt. anteced. Supplebit ſufficienter, neg. anteced. ſupplebit inſufficienter, concedo.

86. Inſt. ſextò. Aqua validiùs premit ſubjectum ſibi corpus, poſt inſinuationem ſalis v. g. ergo aër validiùs premit poſt inſinuationem vaporum.

Reſp. neg. conſeq. Aqua premit ſubjectum ſibi corpus, entitate ſuarum partium abſolutè ſumptarum; ſed aër premit ſubjectum corpus entitate ſuarum partium reſpectivè ſumptarum.

Dices. Sumptio noſtra nihil facit ut partes premant; ergo partes non premunt ſumptæ abſolutè aut reſpectivè.

Reſp. diſt. anteced. Sumptio nihil facit ut partes reipſa premant, concedo; nihil facit ut intelligatur quomodo debeant eſſe diſpoſitæ ut validiùs premant, nego. Igitur ex natura rei, & independenter à meâ ſumptione partes corporis gravis premunt: Sed ut validius, aut debiliùs premant, debent taliter vel taliter diſponi. Sic diſpoſitæ ut una agat in aliam (quæ diſpoſitio conſiſtit in quodam reſpectu exiſtente antè ſumptionem noſtram) dicuntur ſumi reſpectivè. Sic diſpoſitæ ut una non agat in aliam, ſed quaſi ſeparata & ſe-

orſum

orſum poſita, dicuntur ſumi abſolutè. Patet autem quod partes ſubſtantes reſpectivè validiùs premant, debiliùs verò abſolutè & quaſi ſeorſim poſitæ.

87. Inſtabis ſeptimò. Sit Hygrometrum factum bilance, ponatur ſal in unâ lance ſicco tempore, & plumbum æquali pondere in alia, dum aura fiet ex ſerenâ pluvia, deſcendet lanx in qua poſitus fuerit ſal, immò ſal triplo plus gravitabit, quàm gravitaret ſereno tempore, ſi nempe aura ad pluviam tota ſit, unde ſic argumentor.

Sal pluvio tempore majore niſu fertur deorſum; ergo eodem tempore aër majori niſu premit Mercurium.

Probat. conſeq. Ideo ſal fit gravior & majori niſu fertur deorſum, quia intra poros illius inſinuant ſe particulæ aquæ: atqui etiam intra poros aëris inſinuant ſe particulæ aquæ; ergo aër inde magis premit Mercurium.

Reſp. neg. conſequent. Ad probat. diſt. majorem. Ideo ſal fit gravior & magis premit præcisè quia intra &c. neg. majorem: ideo & quia nihil perdit eorum quæ concurrunt ad majorem preſſionem, conced. majorem: Diſtincta ſimiliter minore, neg. conſeq.

Igitur ſi ſal aliquid ſui perderet, quod faceret ad ejus preſſionem, per inſinuationem alterius, non tantum premeret poſt inſinuationem; aër verò per inſinuationem vaporum cùm perdat aliquid elaterii, minus inde premit.

88. Adde quod diſſolvatur ſtructura ſalis, per inſinuationem vaporum, unde pori deſtruuntur, qui tamen concurrebant ad minuendum pondus ſingularum particularum, ſicut minuitur pondus aquæ conſtrictæ gelu per inductionem plurium meatuum.

89. Inſt. octavò. Spongia per inſinuatam aquam habet imminutum elaterium, & tamen magis premit; ergo ſimiliter aër.

Reſp. neg. conſeq. Spongia non habet ex ſe ut ponderet per ſuum elaterium, habet aër. Deindè ſi argumentum valeret, à pari dic: panis recens per inſinuatam aquam perdit vim reſiſtitivam, ergo & aër.

90. Objicies ſecundò. Non minuitur elaterium aëris per receptos vapores; ergo tempore pluvio aër erit gravior & majore niſu premet Mercurium.

Probat. anteced. Docet Dom. Boyle quod fabæ, funes, ligna &c. ita per receptos

receptos vapores intumeſcant, ut fabæ frangant vaſa quibus continentur, funes attollant immania pondera, ligna molares ſeparent; ergo creſcit vis elaſtica illorum corporum, ergo ſimiliter creſcet vis elaſtica aëris per receptos vapores.

91. Ad pleniorem horum intelligentiam nota. Si impoſueris fabas vaſi vitreo, aut luteo, ad ſummum uſque, vas deinde operueris probè, poſt infuſam aquam, ita intumeſcent fabæ, ut vas frangant. Secundò, alligetur funis trabi, extremo inferiori apponatur pondus 100. librarum, tempore humido ita intumeſcet & contrahetur funis, ut ſenſibiliter attollat pondus memoratum. Tertiò, excinditur rupes per modum cylindri: circumcirca ſuperiorem partem excavantur foramina, & intra illa adiguntur magna vi frusta lignorum, quæ ſic humido tempore intumeſcunt, ut molarem à cylindro ſeparent. Ita Dom. Boyle.

Reſp. neg. anteced. Ad probat. tranſeat prima conſeq. ſed neg. ſecundam. Diſparitas eſt quod particulæ aëris ſeparentur à ſe invicem, & ſuperiores non agant in inferiores, neque mediatè neque im-

immediatè, item enerventur ab aqua: at verò particulæ lignorum non ſeparentur à ſe invicem, quia arctiori vinculo inter ſe conſtringuntur, & omnes ſimul extenſæ, per inſinuationem vaporum, conſtituunt agens totale fortius.

92. Dices primò. Particulæ lignorum &c. per inſinuationem vaporum non ſeparantur; ergo nec partes aëris.

Reſp. neg. conſequent. Particulæ lignorum conſtituunt continuum ſolidum, & illæ magis implicantur: particulæ autem aëris conſtituunt continuum liquidum, nec ita implicantur inter ſe.

Dices ſecundò. Particulæ ſuperiores agent in inferiores mediantibus vaporibus in ligno & aliis; ergo partes ſuperiores aëris agent in inferiores mediantibus vaporibus.

Reſp. neg. conſeq. Diſparitas eſt quod particulæ aëris eſſent enervatæ intra vapores, non ſic enervantur particulæ ligni &c. Ita enervantur particulæ conſtituentes panem, per intromiſſam aquam.

93. Dices tertiò. Vapores reſiſterent particulis aëris; ergo non enervaretur activitas.

Probat. anteced. Vapores habent majorem

jorem reſiſtentiam quàm habeat aër, ergo.

Reſp. neg. anteced. Ad probat. diſt. Haberent reſiſtentiam ſi ſpectarentur in eadem quantitate, concedo; ſi in diverſa, neg. Plures particulæ aëris ſimul ſpectatæ, non haberent minorem duritiem quàm vapores in minori quantitate.

Dices quartò. Si in majori quantitate aër haberet majorem vim quàm vapores, ſequeretur quod vapores non poſſent ſe ſe inſinuare, quia vis major aëris reſiſteret vaporibus inſinuandis.

Reſp. diſt. ſequelam. Non poſſent ſe ſe inſinuare ſi ſecundùm ſe ſpectentur, concedo ſequelam : prout emittuntur, vel attrahuntur ab agente validiori, nego ſequelam. Aqua, terra, ſol &c. ſunt agentia validiora, & vapores ab illis aut attracti aut emiſſi, inſinuabuntur intra aërem, licèt ille reſiſteret; cuſpides autem aëris intra illos enervabuntur, uti enervarentur extremitates ſpongiarum ab aquâ ſeparatarum.

94. Obſerva diverſitatem in intumeſcentiâ prædictorum corporum. Faba, lignum &c. intumeſcunt ſecundùm tres dimenſiones, altitudinem, latitudinem & profunditatem; funes verò ſecundùm

dùm unam tantum. Ratio hujus petitur ex eo quod funis magis implexus sit secundum altitudinem & profunditatem, ideoque minus posset ampliari: non ita est secundùm latitudinem. Lignum autem & alia æqualiter sunt dispositа quoad poros pro quacumque dimensione, unde secundùm trinam ampliantur.

PARAGRAPHUS III.

Quæsita.

95. QUæres primò, an & quomodo possit restitui elaterium aëris?

Resp. posse restitui primò, per sublationem eorum, per quæ imminutum est: secundò, per frigus condensativum & expressivum vaporum: tertiò, per negationem attractionis vaporum, à sole, luna &c.

Dices. Si per frigus vaporum restitueretur elaterium aëris, elaterium restitueretur per id per quod sublatum est; quia vapores tollunt elaterium, ut jam dictum est; & frigus radicale vaporum illud restitueret, ergo.

Resp.

Reſp. diſt. Per id reſtituitur per quod ſublatum eſt, & ſub ea ratione quâ reſtituitur, etiam ſublatum eſt; nego, ſub aliâ ratione quâ reſtituitur, concedo. Prout vapores dividunt, & enervant particulas aëris, minuunt ejus elaterium, prout autem habent radicem frigoris, & frigus formale, condenſant aërem, & per illam condenſationem aëre exprimuntur: Unde directè aëri ſeſe inſinuant, indirectè aëre ſeſe excludunt, quod non repugnat.

96. Quæres ſecundò, quæ cauſa inſinuationis vaporum intra aërem?

Reſp. eſſe multiplicem: Sol vapores attrahit, illos terra & aquæ emittunt: & nullum eſt corpus, cui non inſit vis quædam emittendi corporum tenuiorum effluvia. Per illa canis inſequitur herum, agnus lupum fugit, magnes attrahit ferrum &c. Per illa aër incumbens flumini denſior eſt aëre incumbente terræ ſicciori. Subtiliora aërem ipſum componunt, & in illis craſſiora ſuſtentantur.

Dices. Juxta hanc explicationem in eâdem parte aëris poteſt eſſe calor & frigus, quia in eâdem parte aëris poterit eſſe particula aquæ & ignis.

Reſp.

Reſp. diſting. anteced. Poterit eſſe in eâdem parte ſenſibili aqua & ignis, concedo anteced. in eâdem inſenſibili & indiviſibili, nego anteced. Cùm enim aër communis ſit mixtum aliquod heterogeneum, in eâdem ſenſibili parte habet particulas materiæ diverſæ rationis.

Quæres tertiò. Quid Hygrometrum & quotuplex?

Reſp. Hygrometrum quod & Hygroſcopum dicitur, non ita pridem à Patre Magnano inventum, uſui eſt ad cognoſcendam aëris humiditatem & ſiccitatem præcisè ibi ſiſtendo.

Multiplex habetur, ſed uno duntaxat principio nituntur omnia. Sive enim fiat chordâ inſtrumenti muſici, ſive pergameno, fune, palcâ avenaceâ &c. cauſa efficiens ſunt vapores aquæ intra poros horum corporum inſinuati, & quia illorum fibras variè contorquent, & tumefaciunt, varios etiam motus cauſant. Cauſa formalis eſt contorſio fibrarum, ſita in varia habitudine particularum ad ſe invicem, ut ſi contorta chorda à ſiniſtrâ ad dexteram revolveretur, dein à dextrâ ad ſiniſtram, ſicco tempore convolveretur,



Fig. 12 N° 97

tur, revolveretur humido; modos aliquos accipe.

97. Primus. Sit pixis divisa in 12. vel sexaginta gradus; * *Vide fig.* 11. in hujus medio ponitur particula quædam avenæ sylvestris perfectè maturæ, cui infigitur index tenuis, qui motu paleæ gradus discriminat. Circa hoc Hygrometrum varia notantur. Primò, humido tempore palea movetur ab oriente ad occidentem per meridiem: sicco ab oriente ad occidentem per septentrionem. Hujus ratio petitur ex tali structura spicæ. Secundò propè, ignem posito Hygrometro, palea per saltus majores contorquet sese, lentè & successivè si procul. Tertiò, summè sicco curvatur palea, erigitur humido.

Secundus. Alliga funem trabi, *Vide fig.* 12. in hujus extremo inferiori appone pondus funi proportionatum, id est majus crassiori, pondus elevabitur humido, deprimetur sicco. Si mole exiguum cupis, utere pergameno aut chorda violini, parieti appone; sit globus infra, ad globum apponantur descripti gradus in charta aut ligno. Quod si describerentur circulo majori & fune pendulo

notaretur motus duplex, circularis & perpendicularis, utroque motu ſiccum & humidum noſceretur.

Tertius, ſit bilance, de qua ſupra: ſed ſal ſit extractus planta natura ſua calida.

Quartus Quiſque fert ſecum Hygrometrum neſcius, crines ſuos obſervet, humido demiſſi ſunt, ſicco criſpantur. Ligna, portæ, feneſtræ & ſimilia humido tempore intumeſcunt, detumeſcunt ſicco per inſinuationem & expreſſionem vaporum, & per hos eosdem vapores muta hæc oracula loquuntur, & enarrant præſentem auræ ſtatum. Multis ſuperſedeo quæ alibi videri poſſunt.

98. Dices. Non habetur humidum & ſiccum præcisè; ergo hæ machinæ non ſunt ut indicent humidum &c. præcisè.

Probat. anteced. Aliàs daretur genus immediatè individuatum.

Reſp. diſt. anteced. Non habetur humidum præcisè, id eſt ſpectari non poteſt ſub præcisâ ratione, nego anteced. id eſt non habetur humiditas & ſiccitas ſine ſubjecto, conc. anteced. Daretur ergo genus immediatè individuatum à parte

rei

rei si daretur hoc modo humiditas præcisa ab omni corpore, quæ nec esset humiditas aquæ, nec humiditas aëris.

Dices secundò. Si vis elastica faciat ad ascensum Mercurii, rarefactio faciet similiter ad ascensum ejusdem; atqui id dici non potest; ergo.

Resp. neg. sequelam majoris, cujus ratio reddetur Dubio sequenti.

DUBIUM V.

An aër rarefactus magis elevet Mercurium?

99. ANte resolutionem Dubii scire opus est quid intelligatur per rarum & rarefactum; per densum & condensatum; ista enim diversa sunt. Æther est rarus, non rarefactus: terra pura est densa, non condensata: lac non est rarum, sed rarefactum, dum igni imponitur: aqua non est densa, sed condensata, per gelu. Pro quo sit

PARAGRAPHUS I.

Quid rarum & denſum, &c?

100. RArum eſt corpus homogeneum, ſubtile, & indifferens ad quemlibet ſitum, & locum, minimè reſiſtens, & maximè inſenſibile, per ſenſus imperfectiores, licèt multum ſpatii occupet, tale corpus eſt æther.

Denſum eſt corpus homogeneum, craſſum, valdè reſiſtens, tendens ad medium, & maximè ſenſibile, per ſenſus imperfectiores, licèt parum ſpatii occupet.

Rarefactum eſt corpus magnæ extenſionis, ratione alterius.

Condenſatum eſt corpus anguſtæ extenſionis ratione alterius.

Ex his habetur diſparitas inter rarum & rarefactum; quod rarefactum ſit corpus amplæ extenſionis, ratione alterius: rarum verò ſit corpus amplæ extenſionis ratione ſui: denſum autem ſit corpus anguſtæ extenſionis ratione ſui: condenſatum verò ſit corpus

pus anguſtæ extenſionis ratione alterius.

101. Quod eſt denſum ratione ſui, eſt denſum per ſe, quod eſt denſum ratione alterius, eſt denſum per aliud. Denſo per ſe convenit denſitas ſimpliciter: denſo per aliud, denſitas ſecundùm quid. Æther, ut jam dixi, eſt corpus rarum per ſe; lac verò, quia igni imponitur, & calor dilatat illius poros, in quos æther ingreditur, eſt rarum ſecundùm quid, ſeu per aliud; per calorem nempe, & ætherem ſubeuntem illius meatus & vacuola quæ formantur calore.

102. Rarefactio eſt motus corporis à minori extenſione ad majorem connaturalem ratione ſtatus, in quo jam eſt. Talis motus habetur in pulvere nitrato, accenſo & facilè plus decies millies loci, per rarefactionem, occupante.

103. Condenſatio eſt motus corporis, à majori extenſione ad minorem connaturalem, ratione ſtatûs, in quo jam eſt: ita lac amotum ab igne redigitur ad anguſtiorem extenſionem illâ, quam habuit cum rarefieret. Principium per ſe rarefactionis eſt calor, condenſationis eſt frigus. Calor eſt qualitas activa, & facit recedere corpus,

cui ineſt, à centro ad circumferentiam. Frigus eſt qualitas pigra, facitque recedere corporis partes cui ineſt à circumferentia ad centrum.

Non eſt confundenda rarefactio cum dilatatione, nec dilatatio cum elaſticitate. Elaſticitas fit ab innatâ inclinatione partium conantium ex ſe majorem locum obtinere. Dilatatio fit ab extrinſeco ſic ut non ſeparetur ordo partium: Rarefactio verò fit per hoc quod mutetur ordo partium, & ſeparentur partes à partibus. Deinde rarefactio fit ratione intromiſſi caloris, dilatatio ratione aut tractionis extrinſecæ aut intromiſſionis alterius corporis: elaſticitas ratione intrinſeci, ſic, ut particula una in aliam agat ſponte. Extenſio, in ordine ad quam dicitur corpus rarefieri, eſt illa quæ corpori debetur primo inſtanti ſuæ productionis.

PARAGRAPHUS II.

An Aër poſſit rarefieri & condenſari?

105. REſp. & dico. Aër poteſt rarefieri & condenſari.

Probat.

Probat. Aër potest recipere motum à minori extensione ad majorem connaturalem ratione statûs in quo est, admisso intra se calore: atqui ita fit rarefactio, ergo aër potest rarefieri.

Probatur minor. Rarefactio fit per hoc, quod exigente calore recepto, partes omnes corporis distendantur, & dilatentur in orbem figuram mutando, in quarum cavitates spontè succedat æther: sic facilè concipitur quomodo lac, oleum, & alii liquores rarefiant, erumpendo ubique in bullulas, quas repleat æther cum spiritibus igneis.

Mira facilitas, quâ explicatur in hac sententia, quod in aliis sententiis non est conceptibile, probat hanc sententiam.

Probatur jam major. Aër habet poros ut supra vidimus, & est capax qui calorem intra poros concipiat, neque aliter explicari potest, cur applicato corpore calidiori, ad bullam Thermometri, aqua in illo descendat, nisi dicatur quod calor istius corporis penetret poros bullæ, deinde aëris poros dilatet; ergo aër potest recipere motum à minori extensione ad majorem.

106. Dico secundò. Aër potest condensari.

Probat. Poteſt à majori ad minorem locum reduci, ergo poteſt condenſari. Deinde applicato corpore frigidiori ad bullam Thermometri ſtatim contrahitur aër, ergo &c.

Objicies primò. Aër non habet poros, ergo non poteſt dilatari.

107. Probatur anteced. Aër eſt corpus liquidum & tenue, cujus ſingulæ partes facilè mutant figuram, & replent vacuitates ſi quæ ſint: atqui liquida carent poris; ergo aër non habet poros.

Reſp. neg. anteced. Ad probat. diſt. minorem. Liquida homogenea carent poris, concedo min. heterogenea, nego min. Data eſt ſuperius ratio à priori cur aër habeat poros, quia conſtat particulis innumeris diverſæ figuræ &c. *Vide n.* 17.

Deinde dato quod aër non haberet poros ante rarefactionem, negari non poſſet habere poſt rarefactionem, ſicut haberet lac igni impoſitum, quod abit in bullas innumeras, ex quo probatum habes quod calor dilatet corpus in quo eſt, & partes ejus moveat à centro ad circumferentiam.

108. Petes, quomodo fiat formalis diſtenſio & dilatatio pori aëris?

Reſp.

Resp. Fieri per hoc, quod particulæ constituentes ambitum unius pori, fiant concatenatæ & implexæ ; per intromissum autem calorem explicantur, & expediunt sese figuram mutando. Ponamus quod particulæ sint cum uncinis, & hamulis ; triangulares aut pyramidales &c. cuspides conjuncti fuissent ante rarefactionem, sic ut meatus fuisset minimus : per rarefactionem autem cuspides recedant à se invicem, & bases cuspidibus tum bases basibus respondererent, majores sine dubio meatus facient, non quod entitas particularum major sit, sed quod meatus majores constituant, per recessum à se invicem.

109. Objicies 2o. Non est conceptibile quomodo particulæ aëris dilatentur, nisi partes convexæ pororum habeant majorem quantitatem.

Resp. dist. anteced. Nisi habeant majorem quantitatem absolutam, nego; respectivam, concedo. Quantitas nova non erit forma aboluta, sed respectiva, consistens in eo, quod particulæ per rarefactionem diversimodè disponantur, & ex diversâ dispositione partium, fit ut plus loci occupent non entitativè, sed per respectum ad multitudinem po-

rorum, qui formantur ab iisdem particulis, quæ antea unicum conſtituebant.

110. Inſtabis 1°. Non poſſunt intelligi majores pori, niſi dilatetur abſolutè & magis extendatur ambitus prioris pori; ergo dilatantur particulæ per majorem quantitatem abſolutam.

Reſp. diſt. anteced. Niſi dilatetur abſolutè, id eſt verè & propriè, concedo antecedens; abſolutè, id eſt per formam diſtinctam à varia diſpoſitione particularum, nego. Neque enim poſſibile eſt, ut duplex quantitas ſit in eâdem materia, ſaltem naturaliter; concipi autem facilè poteſt, quod eadem materia, cum tali diſpoſitione, majorem ambitum habeat, per poros factos majores, & plures. Sicut veſicæ flaccidæ, admiſſo intra ſe aëre, millies plus loci occupant: ita aër, ita lac, ita quodcumque corpus rareſcens, plus loci occupat, admiſſo intra ſe æthere. Cauſa efficiens iſtius dilatationis eſt calor; cauſa formalis eſt talis diſpoſitio particularum cum ingreſſu ætheris.

111. Inſtabis 2°. Data explicatio rarefactionis, eſt affinis illi, quæ fit per puncta inflata.

Reſp.

Resp. toto cœlo differre. In sententiâ punctorum inflatorum admittitur quod idem punctum entitativè, idem præstaret, ac infinita propè puncta physica; non admisso intra se æthere. 2°. Non recurrunt ad ætherem, tanquam ad conditionem, tenentem se ex parte causæ formalis. 3°. In uno poro, juxta nos, dum nondum est rarefactio, sunt, puta, 90 uncini dispositi in orbem, ut triplicem quasi catenulam constituant; fit rarefactio, explicant se uncini, & duplicem tantum catenulam constituunt. Crescit rarefactio, 90 dicti uncini constituunt unam tantum catenulam in orbem, sed majorem: spatium autem medium repletur spiritibus igneis, & æthere.

112. Instabis 3°. Non potest ita explicari rarefactio thuris, & pulveris nitrati; ergo nec rarefactio aëris.

Prob. anteced. Thus & pulvis mutantur substantialiter, aër autem accidentaliter.

Resp. neg. anteced. Ad probat. neg. conseq. Licet particulæ mutentur substantialiter, ratione novæ formæ, & minima naturalia exigant dilatari sub formâ ignis, quam exigentiam non habebant

bebant ſub forma pulveris, aut alterius corporis; non ideo tamen cumuli primigenii non manebunt ſemper immobiles: & ſufficienter habebitur mutatio requiſita ad majorem extenſionem, per hoc, quod taliter diſpoſitæ, majores poros conſtituant. Sicut ſi cuſpides pyramidum jungerentur, minus vacuitatis admitterent, quàm ſi partim jungerentur, partim apponerentur.

113. Ut hanc explicationem ab origine intelligas, ſuppone primò mecum, continuum componi ex indiviſibilibus entitativè, & virtualiter diviſibilibus; quamlibet materiæ particulam poſſe figuram mutare, juxta diverſam formæ exigentiam: ſeu poſſe eſſe modò quadratam, modo cubicam: particulas eſſe admodùm exiguas, adeoque in parte arenæ eſſe numero incredibili; puta tot quot ſunt arenæ in univerſo. Sententia communis admittit ineſſe adhuc plures, cùm ſuſtineat diviſibilem arenam in infinitum.

114. Suppone 2o. duplicem unionem concurrere ad faciendum continuum, primam negativam, quâ Deus initio mundi junxit numerum particularum, ſic,

ſic, ut neget concurſum ſuum ad earum ſeparationem, idque conformiter exigentiæ corporum, quæ componunt; v. g. in igne, mille particulæ conſtituent lineam flexilem omnimodè. Hæ ſub quacumque formâ non ſeparabuntur naturaliter; ſed ad exigentiam formæ, cui ſuberunt, mutabunt quidem figuram, non autem extenſionem: id eſt modo triangulum, modo pyramidem, modo globum &c. conſtituent, cum quibusdam uncinis, denticulis &c. quibus cum aliis implicentur. Hi cumuli ſunt primigenii, vocanturque minima phyſica, tantum ſupernaturaliter in ſuas partes diviſibilia.

Secundam unionem eſſe horum cumulorum mutuam implexionem ſecundùm ramuſculos, uncinos &c. ut videre eſt in panno, pileo, lignis &c. & in hac conſiſtit diverſitas corporum quoad duritiem, mollitiem, raritatem, denſitatem, opacitatem, perſpicuitatem, imò ſapores, odores &c. ſine diſtinctis qualitatibus. Pro majori vel minori implexione, fit ut magis vel minus ſuæ ſeparationi reſiſtat corpus illud, quod componunt. Quod ſi corpus igni impoſitum, non abeat in cineres

ut ferrum &c. id oritur ex formâ ſubſtantiali cui ſubſunt particulæ hamatæ, uncinatæ, quæ abſente calore exigit ad connaturalem exiſtentiam, ut eodem modo implicentur ac antea. Quod ſi corpus in fumum abeat, ut thus, & pulvis nitratus, tunc major eſt activa virtus ab extrinſeco, quàm vis reſiſtitiva ab intrinſeco, formæ corruptæ, idque ex naturâ rei. Cauſa efficiens, quoad rem, erit forma extrinſeca, diſponens paſſum, per ſuum accidens, puta calorem: quoad denominationem erit compoſitum v.g. ignis, quia denominationes ſunt ſuppoſitorum: cauſa formalis erunt particulæ compoſiti prioris, ita diſpoſitæ, ut admittant, poſt talem mutationem, longè majores poros, idque ſecundùm exigentiam diverſæ diſpoſitionis cumulorum primigeniorum: plus enim loci occupabunt v.g. 20. cumuli figuræ pyramidalis ſi adverſis baſibus diſponantur, quàm ſi conjunctis cuſpidibus. Ratio eſt evidens, quia ſub una diſpoſitione intercedunt pori longè majores quàm ſub aliâ. Cùm jam in uno grano pulveris nitrati ſint milliones & milliones particulæ, mirum non eſt quod poſt illius

lus resolutionem dilatetur pulvis, ad spatium millionies majus quàm ante.

Cæterum mutatio substantialis thuris & pulveris nitrati rarescentis, nihil facit ut rarefactio explicetur aliter quàm si foret mutatio tantum accidentalis; quia ubique sufficienter intelligitur formalis extensio major, per supradictam particularum mutationem.

115. Instabis quartò. Thus modicum rarescens in fumum, replet magnum locum sine discontinuatione; ergo rarefactio non fit per talem dispositionem particularum &c. introductis majoribus poris.

Resp. dist. anteced. Replet magnum locum sine discontinuatione sensibili, concedo antecedens; sine discontinuatione insensibili, nego antecedens. Corpus illud dicitur rarefactum, cujus omnes partes perceptibiles dilatantur sine discontinuatione sensibili, talis hîc habetur per ingressum corporis longè subtilioris & replentis poros jam majores.

Addo quod si modicus pulvis excussus, ita videatur replere magnum locum, ut ne vel aciculæ stimulo spatium vacet, quin tangatur aliqua pars pulveris (quo tamen casu non est rarefactio,

sed

sed dispersio, in qua sunt millia spatiola vacua pulvere) à fortiori necessum est, ut millia sint intervalla, rarescente thure, aut pulvere, quæ tamen non cadant sub aspectum. Sicut utres flaccidi angustum tenent spatium, inflati tamen magnum locum occupant, & habent nihilominus spatia multa utribus vacua.

116. Instabis quintò. Sequeretur ex dictis, esse plus millies ætheris, quàm aëris in ipso aëre.

Resp. dist. sequelam. Esse plus ætheris in aëre rarefacto, concedo sequelam; in aëre condensato, nego sequelam. Nihil reperitur absurdi in eo; & patet in utribus tumefactis, in quibus plus est aëris millies, quàm sit materia in utribus.

Instabis sextò. Plus etiam millies erit ætheris in denso corpore quàm sit materiæ densi corporis.

Prob. anteced. Dum pyrobolus intra aquam in partes dissilit, habetur sine dubio æther, qui succedat in poros factos ab igne; ergo plus etiam erit ætheris intra ipsam aquam quàm sit aquæ.

Resp. Etiamsi hoc admitteretur nihil

hil foret absurdi, nullum enim est corpus tam densum in quo non sint innumeri pori, qui detegantur microscopio: sit vel aurum, in eo detegunturoculis, microscopio instructis, tales meatus & intervalla: mirum videri non debet, quod aqua decies octies, & supra, levior auro, ut notat P. Kirckerus, decies octies, & supra, pororum multitudine, aurum superet.

117. Instabis sept. Juxta jam dicta, omnia corpora erunt instar cribrorum, per quæ aër & æther facillimè permeabunt; atqui hoc videtur absurdum, ergo.

Resp. neg. min. Neque hoc absurdum videtur Medicis expertissimis, qui omnem suam industriam ponunt in sanandis ægris per extrinsecam curationem. Multus est in hoc probando Dom. de Vallemont, multisque docet exemplis, per aëris corruptionem morbos contrahi, & per aëris reparationem curari.

118. Petes, cur dum calore rarefit aër, non excitetur tremor, & sonitus, sicut dum pulvis accensus erumpit tormento bellico.

Resp. Tremor terræ, & aëris vehemens

mens agitatio, & ſonus, fit dum pulvis nitratus rarefit, quia omnes particulæ pulveris ſubitò recedunt à centro ad circumferentiam, & latera tormenti ſimul verberant, & hæc aërem & terram circumſtantem. Deinde reſiſtentia aëris circumſtantis concurrit, ut ſonus eò vehementior formetur, quò validius diverberatur. Eodem modo explicari poteſt effectus pulveris fulminantis: aër autem, thus, & alia corpora, non tantâ celeritate, ſed lentè, ſecundùm omnes partes ſuas, calorem concipiunt; inde fit, ut ſenſim rarefiant.

119. Objicies tertiò. Cauſa formalis partialis rarefactionis eſſet ætheris ingreſſus per poros; atqui id dici non poteſt.

Probat. minor. Non datur via qua tranſeat æther in tormentum bellicum &c. ergo non dilatatur pulvis per intromiſſum ætherem.

Reſp. neg. anteced. Quælibet enim corpora multos habent poros ut jam dictum eſt, per illos æther ingreditur.

Inſtabis. Si daretur talis via adſtans tormento ſentiret vim ætheris; aut ſaltem

tem pluma levior, per ætherem, tormentum versùs pelleretur: atqui tamen contrarium accidit; ergo.

Prob. minor. Adstans sentit potiùs vim repellentem à tormento.

Resp. Ætherem insensibiliter pervadere, nec haberi sublunare corpus quod non præbeat illi liberrimum meatum.

PARAGRAPHUS III.

Resolutio Quæstionis.

120. DIco primò. Aër rarefactus non ita elevat Mercurium.

Probat. primò. Per rarefactionem illius minuitur pondus & elaterium; ergo.

Probat. pro prima parte. Minuitur pondus corporis, cujus pori redduntur majores; atqui per rarefactionem aëris pori redduntur majores; ergo per rarefactionem minuitur pondus aëris. Major videtur admittenda, quia non est assignabilis ratio, cur pumex, spongia & cætera corpora sint leviora, nisi quia habent multos poros: Item cur glacies foret levior aquâ in æquali exten-

tenſione, niſi quia plures & majores ſunt pori in glacie quàm in aquâ : ſi ergo pori aëris creſcant in rarefactione, non poteſt eſſe tantum illius pondus.

121. Confirmatur. Nemo dubitabit quin lac rarefactum, in extenſione duorum pedum, minùs ponderet quàm non rarefactum in eâdem extenſione : ergo ſimiliter dicendum eſt de aëre rarefacto. Ratio autem à priori quod corpus denſius plus ponderet quàm rarius, petitur ex eo quod in corpore denſiori, ſit plus materiæ, quæ per ſe gravis eſt, & in rariori minùs.

122. Probat. 2ª. pars. Per calorem dilatatur aër, & pori illius fiunt majores ; ergo minuitur vis elaſtica aëris.

Probat. conſeq. Particulæ ſuperiores unius pori non agunt in partes inferiores ejusdem pori, non immediatè ut patet, non etiam mediatè quia æther non reſiſtit illis; ergo &c.

123. Dico 2º. Aër condenſatus magis premit & elevat Mercurium.

Probat. Quia per condenſationem augetur pondus & elaterium aëris : nam condenſatus aër ita conſtituitur, ut partes ſuperiores poſſint agere in inferiores premendo, ergo.

124. Dices.

124. Dices primò. Si reſtitueretur elaterium aëris, magis accederent partes ſuperiores ad inferiores, atqui dici id non poteſt.

Probatur minor. Non datur cauſa illius, ergo &c.

Reſp. neg. minor. Ad probat. neg. aſſumpt. Cauſa acceſſus particularum ſuperiorum ad inferiores eſt frigus condenſativum.

125. Inſtabis. Si frigus ita condenſaret, efficeret ut aër condenſatus minorem locum teneret, & recederet à circumferentia ad centrum: atqui non ita fit; ergo.

Probatur minor. Aqua in glaciem concreta majorem locum occupat; ergo,

Reſp. diſt. majorem. Efficeret per ſe ut locum minorem teneret, concedo; per accidens, nego. Similiter diſt. minor. Atqui contrarium accidit per accidens, concedo minor. per ſe, neg. min. Sic aqua gelu concreta, quoad partes ſolidas, magis condenſatur, quia tamen ex acceſſu ſolidarum ad ſe invicem majores fiunt pori, qui replentur æthere, per accidens fit ut dilatetur aqua concreta frigore.

Dubitari forſan poſſet an aqua magis extendatur, dum gelu conſtringitur?

tur ? sed dubium solvit evidens experientia. Sumatur phiala cum collo oblongo, ei imponatur aqua ad usque medium colli ; notetur locus iste quo pertingit aqua, signo quodam v.g. filo : exponatur deinde gelido aëri, crescet aqua ; sed quia pars glaciei nimium adhærebit collo, nec dabit locum inferiori aquæ ut assurgat, frangetur phiala. Eadem reddi potest ratio cur findantur marmora, in quibus aqua poneretur, & posset dici quod gelu debilitet marmor, cùm è contrario gelu vis glaciei crescat.

126. Dices. Aqua cum poris majoribus non occupabit ideo majorem locum, quia pori illius non crescent supra spatium particularum quæ ad se invicem accedent per frigus.

Resp. neg. assumpt. Experientiâ patet quod dilatetur aqua in vase, & quod etiam congregentur & condensentur cum illa, alia quævis corpora, sive lignum, sive ferrum, lapis &c. Frigus de se est qualitas congregans heterogenea.

Cæterum non habetur ratio cur aër per frigus condensativum magis dilataretur quàm ante, quia partes aëris non rigescunt sicut particulæ aquæ per gelu.

127. Pe-

127. Petes, an æther possit per frigus condensari, & per calorem rarefieri?

Resp. negativè. Quia non habetur corpus æthere rarius, quod vel poris illius exprimatur, vel poros illius subeat, quia corpus est homogeneum.

PARAGRAPHUS IV.

Objectiones.

128. OBjicies primò. Explicare descensum Mercurii in Barometro per rarefactionem, est explicare obscurum per obscurissimum; ergo non debet sic explicari.

Probat. anteced. Obscurissimum est quomodo fiat rarefactio, & distractæ Philosophorum sententiæ; hac in materia, satis monstrant rarefactionem habitam fuisse pro tormento ingeniorum.

Resp. dist. anteced. Si explicaretur juxta sententiam communem de continuo, aut etiam juxta aliquas alias, concedo antecedens; si juxta jam traditam sententiam, nego antecedens. Nam per hanc

hanc reddi poteſt rarefactio facilis, & ad captum puerorum accommodata.

Fateor ergo primò, ſententi im, quæ dicit rarefactionem fieri punctis inflatis, eſſe difficilem, nec dantur talia puncta, nec conceptibilis eſt materia elevata ad gradum ſpiritus, demptâ ſolâ impenetrabilitate: neque opus eſt rem materialem eò deducere, cùm jam inde laboremus in naturâ rei ſpiritualis.

Secundò, non minus laborare ſi ad rarefactionem induceret quis vacuum aut penetrationem & expenetrationem partium adhibeat, aut certè contendat fieri acquiſitionem novæ quantitatis: hæc omnia naturaliter repugnant. Enimverò natura tota plena eſt corporibus, quis in ea vacuum reperiat? Deinde detur corpus ab alio penetrari, cur diſſiliunt muri turreſque dum quatiuntur tormentis, aut ſuppoſito pulvere nitrato feruntur in aëra?

Quantitas emanativè procedit à materia prima, ſine ullis diſpoſitionibus, & manet ſemper eadem realiter. Ubi reſideat nova quantitas rarefactione producta? Vel erit nova materia vel non. Si nova, ergo generabilis eſt. Si eadem, ad quid duplex in eâ quantitas? Si eadem

dum fiat materia ſed ante ſine illa quantitate, jam miraculum ponis, materiam ſine quantitate.

Tertiò, in abyſſum te præcipitem agis ſi ſuſtines cum communi de continua rarefactionem fieri receſſu partium.

Lac ergo dilatabitur, quia recedunt partes ejus mediæ ab extremis. Sed quare mediæ recedunt? Quia intermediæ dilatantur reſpondes, & hæ trudunt alias: adeoque receſſus & dilatatio, dilatatio & receſſus adæquatam dabunt ſolutionem. Id ipſum tamen quæritur in quo conſiſtat receſſus & dilatatio. Aliud eſt & non apertius myſterium. Lac in rarefactione adæquatè rarefit, ſed non adæquatè recedit à fundo lebetis. Eſto: Sed quod adhæret fundo, an ſecundùm ſe totum adhæret? Dicis adhærere ſecundùm aliquid ſui: agamus de ly *ſecundum aliquid ſui*, an illud totum adhæreat fundo? Negas & in aliquo ſui admittis adhuc aliquid ſui in infinitum.

Ludis, & evehis rem materialem purè, ad gradum altiorem ſpiritu.

Rarefiat gutta lactis, quia habet partes proportionales in infinitum diviſibiles, & à ſe recedentes ſecundùm ali-

ſui, creſcet ad implendum univerſum ſuâ rarefactione, cùm tamen ſpiritus non poſſit ſine reproductione occupare plus loci quàm ſpatium 10. aut 20. leucarum. Nimius fui dum dixi guttam lactis poſſe replere univerſum. Medietas guttæ, ſine addito, id poterit, immo milleſima pars medietatis, &c.

129. Iſta fateor humanum captum ſuperant, & ad ſimilia recurrere, ut aſcenſus Mercurii exponatur, ad obſcuriſſimum recurrere eſt: ſed in tenui labor, explicare per intromiſſos intra aërem ſpiritus igneos, reflexos à terra, efformantes meatus ampliores, quos æther repleat ubique præſens.

130. Rem penitus intelliges, ſi ſupponis quod reipſa eſt, ſphæram elementarem in ordine ad rarefactionem & condenſationem ſimilem eſſe amplo vaſi, quod impleat ſpongia naturali ſua dilatatione explicata, ſic ut nulla ſit pars intra vas, ubi non ſit aqua cum ſpongia. Spongia repræſentat aërem, terram & cætera corpora ſenſibilia: aqua verò ætherem. Itaque ſicut in illo vaſe ubique eſſet aqua, ubique ſpongia, ſic in ſphæra elementari ubique, id

id est, in omni loco sensibili est aër, vel aliud corpus, & simul æther.

Deinde ut vas illud non minus esset plenum constrictâ quam dilatatâ spongiâ, quia locum ab eâ relictum impleret aqua, ex illa per compressionem expressa: Ita mundus non minus est plenus, cum aër aliudve corpus condensatur, quàm cum rarefit. Tandem sicut spongia manu pressa minorem in vase locum obtinet, sic aër &c. per condensationem.

Hoc posito, quod nemo rationabiliter negaverit, habes unde facilè concipias, quod in aliis sententiis non est conceptibile.

131. Objicies secundò. Nulla est proportio, ut aër rarefactus deprimat Mercurium; ergo rarefactio aëris non facit ad minorem illius pressionem.

Probatur anteced. Rarefactus aër non accipit novum pondus.

Resp. dist. anteced. Nulla est proportio ut &c. deprimat directè, concedo antecedens, deprimat indirectè, nego antecedens. Deprimit indirectè eo quod factus levior, minus gravitet in Mercurium stagnantem. Directè descendit Mercurius ob pondus innatum sibi.

Sicut in bilance cum lanx una elevatur, deprimitur altera; deprimetur inquam non directè elatione alterius, sed ob innatam gravitatem ponderis sibi impositi.

Rarefactio aëris habet se tantùm ut removens gravitationem majorem aëris, ex quo prohibebatur Mercurius, de se gravis, infra descendere. Quod ergò descendat, efficienter habetur à pondere Mercurii tendentis ad centrum suum: quod autem descendat tantum ad tale punctum, id oritur ex eo quod habeat tantum in tali puncto resistentiam à columna aëris, facientis tunc æquilibrium cum Mercurio.

132. Objicies tertiò. Aër rarefactus magis premit Mercurium in vase quàm condensatus.

Prob. primò. In Thermometro, in quo bulla est superior, applicatâ manu bullæ, statim descendit aqua ratione caloris manûs, rarefacientis aërem.

Secundò. Dum calefit extremitas tubi Barometri, descendit Mercurius.

Tertiò. In recipiente, exsucto aëre residuus aër dilatatus, sustinet Mercurium in Barometro; frangit vesicam ante exsuctionem flaccidam, ergo aër rare-

rarefactus plus ponderat & premit quàm condenſatus.

Reſp. negandum abſolutè quod corpus rarefactum præponderet condenſato : nam ubi plus materiæ univerſaliter loquendo, ibi plus ponderis : plus autem datur materiæ in pede cubico aëris condenſati, quàm rarefacti.

Reſp. ad primum. Dico diſparitatem eſſe inter Barometrum & Thermometrum ; quod Thermometrum habeat, in ſuperiori parte bullæ, aërem communem, non Barometrum. Deinde quod aër communis bullæ, cum aqua tubi faciat æquilibrium cum columna exterioris aëris : columna Mercurii tantum æquilibrium faciat cum aëre externo : denique aër ſuperior Thermometri, cùm ſit communis, facilè poſſit dilatari, & contrahi. Calore dilatatus prævalet, unde cogit aquam ad deſcenſum ſuâ rarefactione, aër Barometri non poſſit ; quia ætheri proximus, qui dilatari nequit.

Ad ſecundum, dico Mercurium deſcendere non quolibet calore ſed intenſo, nec tam deſcendere ratione dilatati aëris, quàm ratione incompatibi-

litatis Mercurii cum intenſo calore, calore enim Mercurius in fumum abit ut experiuntur Aurifabri.

Ad tertium, dico diſtinguendum eſſe inter aërem rarefactum & dilatatum: omne quidem rarefactum eſt dilatatum, ſed non contra; pars exterior arcus tenſi dilatata eſt, non rarefacta; aër intra recipientem eſt dilatatus, ſed non rarefactus, quia principium per ſe rarefactionis deeſt. Quod ergo ſuſtineatur Mercurius in recipiente, id oritur non ex rarefactione aëris, ſed ex elaterio, quod idem præſtat certis caſibus ac pondus ipſum.

133. Inſtabis. Aër rarefactus habet majorem vim preſſivam quàm non rarefactus.

Prob. anteced. Aër rarefactus exerit vim ſuam in corpus ipſi reſiſtens.

Reſp. diſt. anteced. Habet majorem vim preſſivam versùs partem ſuperiorem, conced. anteced. versùs inferiorem, neg. anteced.

134. Inſtabis ſecundò. Vis aëris rarefacti eſt in omnes partes.

Prob. anteced. Quia pulvis accenſus in omnem partem agit, ergo etiam aër.

Reſp.

Resp. neg. anteced. Ad probat. nego conseq. Ideo pulvis accensus agit in omnes partes, quia concluditur intra angustiores terminos; aër verò communis non ita concluditur, nec habet resistentiam supra triginta septem millia pedum in perpendiculo; unde versùs superiorem partem dilatatur.

Instabis tertiò. Aër Thermometri, aqua facti, dilatatur versùs inferiorem partem; ergo aër rarefactus non tantum vergit in superiorem partem.

Resp. dist. anteced. Descendit per accidens, concedo antecedens; per se, nego antecedens. Manus calidior habet se per modum centri & determinatur aër ad ascensum pro ratione tubi taliter dispositi.

135. Petes, quare aër vicinior terræ non premeret terram quando rarefit, sicut premeret corpus quod esset in superiori parte?

Resp. Quia calor facit recedere à centro ad circumferentiam, cùm jam terra habeat locum centri; aër rarefactus ab illa recedit, consequenter non premit illam.

136. Objicies quartò. Aër vapori-

bus plenus vel est rarior vel densior, neutrum dici potest.

Prob. minor. Non est rarior, quia intromittitur corpus gravius, non est densior, quia non plus ponderat; potius non magis premit.

Resp. & dico neque esse rariorem, neque densiorem; sed esse aliquod mixtum, ex corpore raro per aliud, & denso per aliud; scilicet ex vaporibus aquæ. Cæterum cum istis vaporibus minus gravis est ut supra vidimus, & probat manifesta experientia; nam fumus non ascendit rectâ lineâ; sed confusè fluitat, secundùm lineam Horizonti parallelam, dum cœlum pluviam est; cœlo autem sereno rectà ascendit quia columna collateralis gravior, altiùs fumum pellit.

137. Dices. Quod fumus non ascendat rectà, probat potius aërem esse densiorem, quia quò densius est corpus, magis suæ divisioni resistit; fumus autem non ascendit rectà, quia aër vaporosus minus facilem illi aditum præbet.

Resp. neg. anteced. & ejus probationem. Major corporis densitas non opponitur faciliori divisioni, sed major adhæsio particularum ad se invicem, nam

nam Mercurius est corpus valdè densum, non tamen ita resistit suæ divisioni, ac ferrum. Item aurum & plumbum valdè densa sunt, non tamen tam difficilia sunt, quæ inflectantur per omnem modum quàm lapis.

138. Dices. Non est unde columna aëris igni circumjecta, elevet fumum tam altè, quia columna aëris respondens perpendiculariter igni æquè resistit ac circumstans agat premendo.

Resp. neg. assumpt. Et ratio cur circumstans magis premat, petitur ex eo quod partiale constitutivum columnæ aëris perpendicularis igni, habeat ipsum ignem, qui est levior aëre, unde non tantâ vi resistet hæc, quanta vi premet illa.

139. Objicies quintò. Si aër rarefactus minùs ponderet quàm condensatus, minus etiam resistet; consequenter necesse est æstate continuos esse ventos; quia aër consistens in parte boreali, utpote condensatus frigore, irrueret in hunc nostrum aërem calore rarefactum, adeoque minus capacem, qui borealì resisteret.

Secundò. Continuæ erunt pluviæ, quia vapores attracti non sustinerentur

ab aëre jam rarefact. Tertiò, continuæ erunt tempestates, quia foret continua ventorum reciprocatio : ista autem hyeme nunquam contingerent propter oppositas rationes quæ tum subsistunt.

Resp. dist. sequelam. Necesse est esse continuos ventos &c. si cætera concurrant ad istos effectus, concedo ; si non concurrant, nego. Multa igitur concurrunt ad hos effectus assignatos, tum positiva tum negativa.

Primò, aër partis borealis debet esse densior & superior. Secundò, hic noster debet esse inferior & rarior. Tertiò, non debet accedere aliunde impedimentum, quod posset contingere per transversos ventos. Si autem nullum est impedimentum & cætera accidant, ex illâ parte fiet ventus; sed quia ex aliis partibus variæ dispositiones oriuntur, fit ut necessariò habeatur ea vicissitudo temporum, quæ à sapientiâ divinâ cum numero, pondere & mensurâ inferiora hæc gubernante, præscribitur.

140. Deinde non semper habentur dispositiones ad pluvias, etiam cum aër est rarefactus, quia æstate terra arida, non suppedita vapores ad pluvias requisitos:

quisites : unde regulariter loquendo minus debet pluere tum temporis quàm vere aut autumno , imò hyeme dum terra , & pars magna marium gelu constricta est, minus vaporum è terra mittitur, nec sal satis habet caloris ut tunc vapores attrahat.

141. Denique æstivo tempore dum fervet Canicula, aut Leo æstuat, modò non sit ea terræ portio ubi fruges nunquam maturescunt, repetitæ sunt ventorum discordiæ & non rari imbres, & frequentiora tonitrua, quæ omnia præluduntur in Barometro dum ad illa aër disponitur, quod videbimus quæstione sequenti.

142. Petes, cur aër motus in uno loco non moveat æqualiter vicinum; & hic alium, & sic ad commotionem unius pedis non moveatur tota athmosphœra?

Resp. Ideo non movetur tota athmosphæra, quia primus pes v. g. aëris moti reperit resistentiam in secundo, quæ semper crescit, donec tandem deveniatur ad ultimum punctum in quo desinat impetus qui quò major est quidem, majorem agitationem facit, sed valdè limitatur; quod probatur à posteriori; nam vox quæ consistit in motu aëris, non

exauditur nisi ad brevem distantiam, imò tormentum bellicum in sui explosione commovet aërem vicinum vehementius, & tamen vix exauditur locucas, nisi habeantur quædam adminicula, ut ulterius fremitus illius percipiatur.

QUÆSTIO II.

Quid portendit ascensus & descensus Mercurii?

Quæstione præcedenti spectavimus ejusas ascensus & descensus Mercurii ibi sistendo: quærimus modò an ascensus & descensus aliquid præ se ferant?

DUBIUM I.

Quid ex ascensu Mercurii cognosci possit?

143. Dico primò. Ex ascensu Mercurii cognoscitur aërem factum esse graviorem. Hæc cognitio est de præsenti. Prob.

Prob. Ascendit Mercurius per pondus aëris, ut probatum est supra; ergo quod magis ascendat nunc, signum est magis nunc gravitatis aëris. Illa cognitio majoris ponderis dici potest directa & immediata: nam sicut directè & immediatè cognoscitur depressio unius lancis in trutina, cum altera erigitur, quia constituunt ens unum artificiale; ita similiter pondus aëris, & Mercurii, unum aliquid constituunt; & cognitio directa elationis unius, est etiam directa depressionis alterius.

144. Dices primò. Potest præscindi animal à rationali, ergo potest cognosci depressio unius lancis sine elatione alterius.

Resp. neg. conseq. Cognitio animalis non est de se relativa ad rationale, cognitio elationis unius, est respectiva ad depressionem alterius.

Dices secundò. Cognitio illa respectiva unius, saltem erit indirecta tantum respectu alterius.

Resp. dist. Si cognitio illa spectetur inadæquatè secundùm depressionem materialiter, transf. si adæquatè & secundùm depressionem formaliter, nego antecedens. Et depressio aëris, & elatio

Mercurii, simul & semel, cognoscitur sicut simul & semel depressio & elatio utriusque lancis trutinæ ob oculos ponitur.

145. Dico secundò. Ascensus Mercurii non significat mutationem aëris quoad pondus præcisè ibi sistendo.

Prob. Mutatio aëris quoad pondus præcisè est impossibilis, ergo non significat mutationem aëris præcisè: quod enim habeatur aër ponderosior nunc, debet præcessisse causa effectiva illius, & cætera quæ solent causam comitari & subsequi.

Dices. Thermometrum docet præcisè calorem & frigus, Hygrometrum docet præcisè humiditatem & siccitatem, ergo etiam Barometrum docet præcisè pondus aëris.

Resp. dist. anteced. Docet præcisè &c. directè & immediatè, concedo; indirectè & mediatè, nego. Similiter dist. conseq. ergo Barometrum docet præcisè pondus, immediatè & directè concedo consequentiam; mediatè & indirectè, nego consequentiam.

146. Dico tertiò. Ascensus Mercurii indicat saltem indirectè antecedentia, concomitantia & consequentia mutationem aëris quoad pondus. Prob.

Prob. Indicare indirectè, est non in se immediatè, sed in alio ostendere; atqui ascensus Mercurii non in se, sed in alio ostendit antecedentia, concomitantia & consequentia majorem gravitationem aëris; ergo indirectè & mediatè ostendit antecedentia &c.

Prob. minor. Non potest fieri mutatio in aëre quoad pondus nisi aliqua præcesserint, comitentur & subsequantur illam mutationem: sicut non fit expressio aquæ è linteo, nisi in eo præfuerit aqua, nisi habeantur plicæ & replicæ lintei, nisi etiam sequatur quædam capacitas major ut reddatur magis perspicuum; ergo non potest indicari mutatio quoad pondus, nisi saltem indirectè antecedentia, concomitantia, & consequentia, ad majus pondus ostendantur.

147. Dico quartò. Ascensus Mercurii indicat indirectè frigus condensativum, expressionem vaporum & futuram serenitatem.

Prob. conclusio. Frigus condensativum est causa positivè concurrens ad majus pondus aëris: expressio vaporum est quid concomitans, saltem per accidens, condensationem. Dixi per accidens,

cidens, cùm possit fieri condensatio aëris sine tali eorum expressione: Serenitas est quid consequens necessariò ad illam condensationem & expressionem vaporum; nam sicut generatio unius est corruptio alterius, ita expressos ex aëre vapores, qui sunt materia pluviæ, sequitur serenitas aëris: atqui ascensus Mercurii indicat saltem indirectè causam gravitationis majoris, concomitantia & consequentia ad illam; ergo ascensus Mercurii saltem indirectè indicat frigus, serenitatem &c. Major colligitur ex dictis supra; minor probata est conclusione præcedenti, conclusio rectè deducitur.

148. Dico secundò. Ascensus Mercurii non tantum serenum, sed etiam nivem futuram indicat.

Prob. conclusio. Ascensus indirectè docet id quod sequitur ad frigus condensativum: atqui nix sequitur ad frigus condensativum; ergo etiam indirectè docet nivem futuram.

Objectiones.

149. OBicies primò contra quartam conclusionem. Ascensus Mercurii

curii docet præſens : ergo non docet futuram ſerenitatem.

Probatur conſeq. Idem non poteſt indicare præſens, & futurum.

Reſp. neg. conſeq. Ad probat. diſt. antecedens. Idem ſub eadem ratione non poteſt docere præſens & futurum, concedo antecedens; ſub diverſa, nego antecedens. Directè docet pondus præſens; indirectè docet futuram aëris diſpoſitionem: hæc non pugnant.

Inſtabis primò. Quod aſcendat vel deſcendat Mercurius, impertinens eſt ad futuram pluviam vel ſerenum.

Prob. antecedens. Quod aſcendat vel deſcendat lanx una trutinæ eſt impertinens ad ſerenum; ergo ſimiliter.

Reſp. neg. antecedens. Ad prob. neg. conſeq. Diſparitas eſt, quod non aſcendat Mercurius, niſi ponantur diſpoſitiones in aëre, ad ſerenum futurum; at verò lanx trutinæ aſcendit citra illas, & ad illas habet ſe impertinenter.

150. Inſtabis ſecundò. Aſcendit cum nix formatur in aëre: atqui tunc non ſunt diſpoſitiones ad ſerenum; ergo poteſt aſcendere cum non ſint diſpoſitiones ad ſerenum.

Reſp. diſt. major. Aſcendit præcisè citra

citra diſpoſitiones ad ſerenum, concedo, aſcendit incertis circumſtantiis citra diſpoſitiones ad ſerenum, neg. major. Poteſt ergo aſcendere præcisè citra diſpoſitiones ad ſerenum, ſed incertis circumſtantiis non aſcendit ſine illis, quando videlicet exprimuntur ex aëre vapores, tunc aſcenſus iſte eſt in ordine ad ſerenum futurum.

Inſtabis tertiò. In quibuſvis circumſtantiis aſcenſus impertinens eſt ad ſerenum, quia præmiſſo aſcenſu ſæpè pluit.

Reſp. neg. anteced. Ad probat. diſt. aſſumpt. Pluit brevi poſt aſcenſum ſubitum, concedo aſſumpt. poſt aſcenſum lentum, nego aſſumpt. Obſervatum eſt quod dum Mercurius aſcendit multum, id eſt 6 aut 8 gradibus, ſeu ad unum digitum aut alterum exiguo tempore v.g. ſpatio 12 aut 15 horarum ſequatur quidem ſerenitas aëris ſed non diu duratura. Et hæc ratio reddi poteſt quod in ſubitâ condenſatione multum vaporum intra aërem remaneat, & hæ rurſum poſtea ſe ſe inſinuantes aëri elaterium ejus iterum labefaciunt; non ſecus ac ſi ſubitò linteum aquâ extractum convolvas, liber non eſt aquæ exitus;

exitus, hinc intra ſpiras formantur bullæ aquâ plenæ, quæ continuò intra linteum ſeſe inſinuabit & madidum, ut ante, reddet.

Inſtabis quartò. Aſcenſus Mercurii non magis facit ad ſerenum quàm aſcenſus unius lancis Hygrometri ad calorem, ergo &c.

Reſp. neg. anteced. Hygromerrum non magis infert quàm excludit calorem, quia humiditas modò ſtat, modò non ſtat cum illo : at verò aſcenſus Mercurii eſt ad ſerenum, quia cauſa aſcenſus includit diſpoſitiones ad illud non autem ad pluviam.

151. Objicies ſecundò. Aſcenſus Mercurii non poteſt docere nequidem indirectè frigus condenſativum : aliàs deſcenſus doceret etiam indirectè calorem rarefactivum, & conſequenter Barometrum eſſet Thermometrum.

Reſp. neg. ſequelam. Thermometrum ſiſtit in frigore & calore, nec tendit ulterius in ordine ad ſerenum : aſcenſus autem Mercurii indirectè quidem frigus docet, ſed in ordine ad condenſationem, per quam aër fit gravior; deſcenſus verò aut calorem aut vapores indicat, per quos minuitur elaterium & gra-

gravitatio aëris, & ſicut valet argumentatio, eſt fumus ergo eſt ignis; valet etiam, eſt aſcenſus Mercurii; ergo eſt frigus condenſativum aëris.

152. Inſtabis primò Non licet inferre, eſt aſcenſus, ergo eſt frigus condenſativum, aliàs poſſet inferri, æſtate eſt aſcenſus, ergo æſtate eſt frigus condenſativum, cum tamen aër eſt valdè calidus.

Reſp. diſt. ſequelam. Poſſet inferri, æſtate eſt aſcenſus, ergo eſt frigus condenſativum proportionatum & remiſſum, concedo ſequelam; intenſum, nego ſequelam. Quod ergo aër condenſetur quovis tempore, fit ex frigore quod de ſe condenſativum eſt, quod autem æſtate non ſic intendatur, fit ut non ſic aſcendat Mercurius, regulariter loquendo, æſtate ac hyeme.

Cæterum licèt rarefiat æſtate aër inferior, propter reflexionem caloris à terra; aër tamen mediæ Regionis eſt frigidus, frigidior adhuc ſuprema: hinc fit ut dum in una parte magis quàm in alia rarefiat, incumbens collateralis irruit in inferiorem, & ventos refrigerantes excitat: quod autem aër medius non ſit calidior, ſatis id probant tonitura & fulgura, quæ è nube frigidiori erumpunt. 153. In-

153. Instabis secundò. Aër componitur ex particulis igneis & aqueis; ergo non magis poterit inferri ex ascensu, frigus condensativum, quàm calor rarefactivus.

Resp. dist. anteced. Componitur ex particulis igneis & aqueis eadem semper temperie constitutis, nego antecedens; ex particulis igneis & aqueis, ita ut modò igneæ abundent, modò aliæ, concedo antecedens.

154. Ut hæc & varia alia solvas, nota primò, aërem esse subjectum variarum alterationum, quæ oriuntur ex crassioribus vaporibus aquæ, exhalationibus terræ, effluviis terrestrium corporum, sive animatorum, sive inanimatorum, ex calore & frigore, ex rarefactione & condensatione.

Secundò, vapores illos & effluvia sustentari in aëre, sicut in aquâ sustentantur particulæ talis v. g. aut alterius densioris corporis in partes minores resoluti. Ratio à priori est, quod liquida ratione particularum implexarum, quibus componuntur, sint velut retia, quorum cancellis adhærent exteræ particulæ, licèt diversissimæ rationis, ex quo mixtum resultat, non tantum in fundo

fundo, sed in partibus superioribus, & mediis, ut patet in aqua, cui sal impositus esset.

Tertiò, posse fieri ut una, aut duæ species particularum, alias superent uno tempore, à quibus superantur alio: nam ita vaporibus aliquando repletur aër, ut tota aqua videatur, quæ, aut intra magis porosa corpora, sese insinuant, aut ad extimas partes densiorum & politorum corporum adhærent, ut sunt marmora, quæ tunc aquam videntur distillare. Quod si nihilominus tunc sunt multæ particulæ igneæ, immixtæ vaporibus, decidentes pluviæ calidæ sunt, frigidæ tamen probantur, si tot non sint, aut superentur à particulis nitrosis, aut aliis, quæ grandini aut nivi formandæ serviunt.

Quartò, particulas aquæ dispersas non facere aquam sensibilem nisi colligantur, patet in speculo; nam aër quem exspiramus, secum habet admixtas aquæ particulas, quæ non faciunt aquam sensibilem, nisi ori propius admoveatur speculum ubi colliguntur. Ita loqui necesse est de particulis igneis, quæ sensibilem in aëre ignem non faciunt, nisi coactæ in unum erumpant in fulgura.

Quintò

Quintò, aërem posse vaporibus modo repleri modò evacuari : repleri per illorum insinuationem, evacuari per illius aut pressionem aut agitationem ; sicut rete per agitationem exsiccatur, aut spongia, linteum madidum &c. per pressionem : posse repleri vaporibus & evacuari, nunc lentè, nunc subito ; lentè evacuatum vaporibus, lentè etiam recuperare pondus & elaterium, subitò autem evacuatum, subitò recuperare perdita. Lenta evacuatio fit per lentam expressionem & condensationem. Lenta insinuatio facit lentam imminutionem ponderis & elaterii, ex quibus sequitur lenta vel subita Mercurii elevatio, quæ fit immediatè ab aëre recuperante pondus, mediatè verò à condensatione ejusdem.

Nota sextò, quando abundant particulæ igneæ magis quàm aqueæ, effectum ignis sequi, & superare activitatem alterius agentis, undè sequitur aëris calefactio & rarefactio : at ubi superabunt particulæ aqueæ, frigus & condensatio sequetur. Quod si calor & frigus æqualiter conjungantur in uno pede aëris, suos influxus attemperabunt, & in quodam certo tempore aërem constituent, ex quo

quo sequetur media quædam Mercurii elevatio, quæ iterum mutabitur accedentibus aliis particulis, seu aqueis seu igneis. Equidem possunt variè combinari hæ particulæ, tum ad elevationem tum ad depressionem Mercurii : nec quidquam faciet per se certa anni tempestas, ad pondus & elaterium aëris augendum, vel minuendum.

155. Nam primò, potest esse æquale pondus aëris hyeme & æstate, quia si hyeme prævaleat frigus condensativum, æstate prævalet materia novi aëris, continuò à sole elevata ; illa enim quasi fumus quem cœlo sereno & calore solis attrahi videmus è terra sicciori, non est nisi materia aëris. Deinde potest esse æquale pondus aëris sive serena sit aura, sive pluvia. Si pluvia, superabit aliundè frigus condensativum ; si serena, superabit calor rarefaciens. Item potest esse majus pondus aëris cum sunt nubes, minus quando non sunt : si venti flent, minus ponderabit ; si nubes sint altiores & quietus sit aër, magis gravitabit, quia cum major quantitas aëris sit inferius quàm superius, nubes superiores non sic labefacient ejus elaterium.

Secundò

Secundò, poteſt aër adeò condenſari æſtate ſicut hyeme, quia particulæ frigidæ vi ventorum ab aquilone mitti poſſunt in has partes, & quidem tanta copia ut impediant rarefactionem aëris, imò ſic condenſent, ut condenſarent hyeme. Item poteſt ita rarefieri hyeme ac æſtate, quia tanta copia calidorum ſpirituum mitti poſſunt ab auſtro, ut aërem tepidiorem reddant, ex quo variabitur neceſſariò gravitatio aëris & elatio Mercurii.

156. Ex his habetur à priori poſſe ſtare Mercurium intra limites pluviæ cum nihilominus haberetur ſerenitas; poſſe verò altum ſtare Mercurium, & tamen haberetur pluvia.

157. Objicies tertiò. Neceſſe eſt ut pluat dum condenſatur aër, ergo elatio Mercurii cauſata à condenſatione aëris ſignum erit futuræ pluviæ.

Probatur anteced. Per condenſationem aëris congregantur particulæ aquæ, & ex aqua inſenſibili fiunt aqua ſenſibilis.

Reſp. neg. anteced. univerſaliter. Ad prob. diſt. aſſumpt. Per condenſationem aëris congregantur particulæ aquæ quando ſunt etiam aliquo modo ſenſibiles,

concedo antecedens; quando non ſunt, aut certè tam tenues, ut non cadant ſub ſenſus, nego. Non ſemper eſt in aëre copia ſufficiens ad formandas pluvias, dum condenſatur aër; inde fit ut non benè ſequatur: pluit, ergo condenſatur aër. Sicut non ſequitur; condenſatur aër, ergo pluit. Iſta nec ſe inferunt, nec ſe excludunt: poteſt eſſe pluvia ubi non condenſatur aër; & poteſt dari condenſatio ubi non detur pluvia. Quandoque enim accidit, maximè hiberno tempore, pluat, & quidem continuò, dum tamen non condenſatur aër: quia nempe, aër tunc ita plenus eſt vaporibus, ut quantùm recipit, tantùm effundat. Sicut pannum plenè delibutum aqua, tantùm dat quantùm recipit: idque notatur fieri, dum in ipſis templis ſudant marmora; id enim fit, quia aër ſecum defert quovis loco vapores ſuos quos non imbibunt marmora, & ideo ſudare dicuntur.

Iidem vapores tapetibus, veſtibus, & corporibus noſtris, ſe ſe inſinuant: catarri quos contrahimus tum temporis id ſatis indicant. Aliundè quandoque condenſatur aër, ubi non concomitatur pluvia, cum ſcilicet æſtivo tempore,

re, descendit Mercurius de die propter rarefactionem aëris, ascendit nocte propter ejusdem condensationem.

158. Instabis primò. Saltem, quando in aëre sunt vapores, & condensatur aër, debet pluere, ergo tunc ascensus Mercurii est signum pluviæ.

Resp. dist. conseq. Ergo ascensus actualis est signum pluviæ actualis & per accidens, transeat consequentia; est signum pluviæ futuræ & per se, nego consequentiam.

Dixi transeat, quia æstate cum fuit valdè rarefactus aër posito quod è terrâ aridâ non fuerint attracti vapores sufficientes ad pluviam, & emittantur ab aquilone spiritus nitrosi & frigidiores, condensabunt aërem, nec tamen habebitur pluvia. Cæterum non erit signum futuræ pluviæ, quia per condensationem, purificatur aër vaporibus, quibus sublatis tamdiu serenus erit, quamdiu novis non replebitur. Sicut linteum, expressâ aquâ, redditur magis luci pervium, efficienter quidem per actualem expressionem aquæ, formaliter verò per hoc quod sit talis texturæ, nec habeat conjunctum corpus opacum in cancellis suis lumen removens.

159. Inſtabis ſecundò. Deberet ſemper haberi pluvia ad quamlibet aëris condenſationem, quia ſemper in aëre ſunt vapores congregandi in pluvias; ſal enim omni tempore eos à terrâ ſublevat.

Reſp. neg. ſequelam. Ad probat. diſt. aſſumpt. Sunt vapores vel diſperſi & tenuiores, concedo aſſumpt. non diſperſi & craſſiores, neg. aſſumpt. Si enim ſint tenuiores & magis diſperſi non colligentur in nubes, & pluvias, per quamlibet condenſationem, colligentur ſi ſint craſſiores & viciniores aliis. Res patet experientiâ. Si halitu vitrum inficiam ſtatim apparet minus lucidum; ſi halitum iterem, iteremque, guttæ formales apparebunt. Acu guttam unam liceat contingere, ſic ut communicet cum altera, gutta fit ex duabus una ſed major, & proprio pondere fertur deorſum, eò impetu majori quò, acceſſione aliarum, major & ponderoſior efficitur. Fit hoc modo cum proportione in particulis evaporatis dum condenſatur aër, accedunt particulæ ad particulas, & ex iis fiunt guttæ tum majores tum minores. Cæterum ſicut non ſemper habetur aqua ad quamlibet com-

compreſſionem lintei, ita nec ad quamlibet condenſationem aëris. Obſervavi pluries cum ad duos treſve dies aſcendit Mercurius, cum plueret etiam aſſiduè, primo die magna pluit copia, ſecundo minori, tertio non niſi pruina videbatur: hinc conjice, eodem prorſus modo, aërem comprimi ac convolvitur linteum.

160. Objicies quartò. Aſcenſus neque directè neque indirectè notat expreſſionem vaporum.

Probat. Quia vapores non poſſunt exprimi per condenſationem aëris, nam aqua ſi condenſetur frigore non exprimet extra ſe corpora heterogenea, ergo vapores non poſſunt exprimi per condenſationem aëris.

Reſ. neg. antecedens, & ejus probat. Ad ulteriorem probationem dico, ſicut non valeret: aqua frigore concreſcit in glaciem, ergo & aër; Ita aqua per condenſationem non exprimit extra ſe heterogenea, ergo nec aër. Ratio à priori eſt, quod partes aquæ habeant ex naturâ rei, majorem inter ſe adhæſionem & implicationem quàm particulæ aëris, præter quandam ſoliditatem reſpectivam ad aërem: unde difficilius

est externum aliquod corpus illi immersum expedire, quam aëre exprimere : Imò fit quoddam continuum solidum ex aquâ, ligno, lapide &c. dum aqua concrescit in glaciem, quod dici non potest de aëre. Potius dicendum est, quod particulæ subtiliores aëris frigore coalescant in unum sic, ut exprimant alias particulas alterius rationis, sicut particulæ minores pulveris per agitationem coalescunt, & majores inde exprimuntur, uti patet si ponantur in corbe & agitentur. Ita particulæ vaporum dispersæ per calorem, frigore congregatæ, ex insensibilibus guttis fiunt sensibiles, nisi ventis aut aliunde impediantur.

161. Ut res clarius concipiatur, nota duobus modis ex aëre posse vapores exprimi. Primo, sic ut causa expressionis sit intrinseca; secundo modo, sic ut causa expressionis sit extrinseca. Primo modo fit cum vapores frigidiores longè latèque diffusi, aërem quo continentur, refrigerant, quia sunt formalis aqua, quæ frigoris intra se radicem continent. Frigefactus aër recedit à circumferentia ad centrum, nec solus recedit, quia secum trahit vapores incolas, qui cum in via allidant ad sese, inde

inde colliguntur, nubes formant, & resolvuntur in pluvias.

Secundo modo fit cum è terraqueo globo, æstivis ardoribus ferventiore, emissi sunt vapores, eosque excipit superior vel inferior aëris regio frigida, prohiberque ne tendant ulterius, tunc necesse est coalescant in nubes, quas, quandoque formari cernimus, in ipsa prope superficie terræ, vel lacûs, vel fluminis; non aliter quàm formantur guttæ aquæ in speculo, dum halitum in illud emittis, aut adhærent guttæ fenestris, dum frigidiusculæ fuerunt noctes, præmissâ aurâ pluviâ, aut in operculo cacabi, calidâ pleni, aut in machina distilatoria ad cujus caput imponitur frigida, ut concrescant spiritus aliàs in fumum abituri, aut denique cum exspiramus hyeme; tunc enim nubeculam ori circumfusam cernimus; quippè circumstans frigus condensat halitum, in pruinam cogit & in glaciem, si crinibus adhæret, ut manifesta demonstrat experientia.

162. Objicies quintò. Per condensationem non sequitur serenitas aëris; quia quo magis condensabitur aër, eo minus erit lucidus.

Reſp. neg. anteced. Ad probat. neg. aſſumpt. Aër eſt de ſe corpus diaphanum, id eſt tranſparens.

Dices primò. Quò magis linteum premitur & convolvitur fit magis opacum; ergo quò magis condenſabitur aër eò magis opacus reddetur.

Reſp. neg. conſeq. Diſparitas eſt quod linteum de ſe ſit corpus opacum & non niſi per poros lumen transmittat: at vero aër de ſe pellucidus eſt, & lumen magis intendit, quò magis partes illius partibus implicantur.

Dices ſecundò. Ut linteum reddatur clarius debet poſt convolutionem evolvi; ergo ut aër reddatur clarior debet poſt condenſationem rarefieri.

Reſp. neg. conſeq. Linteum eſt de ſe corpus opacum, quod ut fiat transparens, debet reſtitui ordo meatuum, qualis fuit antea: at verò ut aër reddatur clarior, debet una pars alteri fieri propior.

163. Objicies ſextò. Aſcenſum Mercurii ſequitur aliquando nix & grando; ergo aſcenſus non erit nota ſereni.

Reſp. diſt. conſeq. Non erit nota ſereni tantum, concedo conſeq. ſereni & nivis futuræ, nego conſeq. Directè notabit,

tabit, gravitationem aëris, indirectè varia serenum & nivem.

Inferes. Ergo ex ascensu non cognoscetur sitne futurum serenum, an futura nix.

Resp dist. illatum. Non cognoscetur ex ascensu præcisè, concedo; ex ascensu facto certis quibusdam circumstantiis, nego illationem.

164. Objicies septimò. Ascensus Mercurii non potest docere serenum vel nivem neque disjunctivè neque determinatè, in quibusvis circumstantiis.

Prob. Serenum & nix sunt oppositа; nix enim habetur per vapores; serenum per negationem vaporum, atqui vapores, & negatio vaporum sunt oppositа, ergo nix & serenum sunt oppositа.

Resp. neg. anteced. Ad probat. dist. assumpt. Nix & serenum sunt oppositа secundum se, concedo assumpt. prout substant condensationi & pressioni aëris, nego assumpt. Potest ergo esse pressio aëris per condensationem orta ex vaporum expressione & concretione, ex quo sequitur major elatio Mercurii.

Instabis. Vapores non concreti minuunt aëris elaterium & pondus, ergo similiter concreti in nivem.

Resp. neg. conseq. Quia vapores concreti non impediunt quominus particulæ superiores, unius pori aëris, possint agere mediatè in inferiores; impediunt autem vapores non concreti.

Instabis secundò. Dum nix ingruit, etiam quandoque descendit Mercurius; ergo ascensus non est indicium futuræ nivis in quibusvis circumstantiis.

Resp. dist. anteced. Dum nix, propè resoluta in aquam, ingruit, descendit Mercurius, concedo antecedens; non propè resoluta, nego antecedens. Similiter dist. conseq. Ergo ascensus, ad gelu consequens, non est indicium futuræ nivis, nego consequentiam; non consequens ad præcedens gelu, concedo consequentiam. Quandoque ningit cum descendit Mercurius, quia fuerint spiritus calidiores in infima regione aëris, licèt in superiori fuerint frigidiores, unde formata nix superius decidens in inferiorem partem, statim liquescit, quo casu debuit descendere Mercurius propter rarefactionem aëris inferioris.

165. Petes. Quomodo frigus præcedat condensationem aëris, expressionem vaporum, & serenitatem consequentem? Resp.

Resp. Frigus naturâ præcedit condensationem, uti & calor rarefactionem, quia potest esse frigus, vi suæ productionis, & non esse condensatio; ergo frigus est prius naturâ condensatione. Tamen non necessariò præcedit tempore, quia, eo instanti reali, quo habetur in aëre frigus, habetur condensatio major vel minor prout sunt in aëre dispositiones. Condensatio concomitatur per accidens pluviam, serenum sequitur condensationem tempore; quia sensim quandoque fit illa, etiam cum sunt vapores, & tamen non est serenum; sicut est compressio lintei madidi, licèt non fit expressio totalis aquæ, in eo contentæ.

DUBIUM II.

An aliquid possit certò statui de futurâ aëris serenitate ex ascensu Mercurii?

166. CErtitudo alia est objecti alia actûs. Certitudo objecti consistit in necessitate essendi; seu in eo

quod non potest aliter se habere: certitudo actûs, consistit primò in eo quod actus excludat omne dubium; secundò, in necessitate veritatis talis actus vel propter se vel propter motivum. Firmitas oritur vel ex evidentiâ objecti, vel ex imperio voluntatis: necessitas veritatis oritur ex objecti immutabilitate.

Certitudo triplex est, moralis, physica, & metaphysica. Prima, quâ sic se res habet ut licèt moraliter non possit aliter se habere, possit tamen physicè. Secunda, quâ se res non possit aliter habere physicè, licèt posset supernaturaliter. Tertia, quâ nec supernaturaliter possit res aliter se habere. Moraliter certum est pauperem acceptorum elemosynam si offeratur; physicè certum est, Petrum existere, eo quod eum videam. Metaphysicè est certum, totum esse majus sûâ parte.

167. Dico primò. Potest aliquid certò statui de futurâ aurâ ex motu Mercurii.

Prob. Est certitudo ex parte objecti, futurum aliquid consequens ad majorem gravitatem & condensationem per quam habentur expressi vapores, ergo potest etiam ex parte actûs illud statui post longam experientiam hujus rei. 168.

168. Dico ſecundò. Nihil poteſt certò & determinatè ſtatui ex aſcenſu Mercurii præcisè. Quia habetur æque propter nivem ac ſerenum.

169. Dico tertiò. Poteſt certò certitudine ſaltem morali ſtatui disjunctivè ; vel nivem, vel ſerenitatem futuram, ad aſcenſum Mercurii, ita ut de unâ in particulari verificetur propoſitio.

Prob. Non datur medium ; ergo poteſt certò disjunctivè.

170. Dico quartò. Poteſt certò certitudine ſaltem morali ſtatui determinatè futuram nivem, potiùs quàm ſerenitatem ; ſerenitatem potius quam nivem certis quibusdam circumſtantiis.

Prob. concluſio primò pro ſerenitate. Poſito quod Hygrometrum moveatur motu ſiccitatis, & Mercurius aſcendat lentè & ad plures dies, non poteſt quin ſequatur ſerenitas ; ergo certis quibusdam circumſtantiis poteſt certò &c.

171. Quod autem non poſſit quin ſequatur ſerenitas, probatur primò, experientiâ eorum, qui id conſtanter obſervarunt & ſunt hac in re periti. Secundò, ex eo quod materia pluviæ ab aëre fuerit expreſſa, ut ſatis ex Hy-

grometro patet ; ergo non poteſt quin ſit ſerenum.

172. Prob. pro ſecunda parte. Poſito quod ſpiritus vini Thermometri, aut illius aqua moveatur, hæc ſurſum, ille deorſum, & quod gelu intenſum ſit, ſi nihilominus aſcendat Mercurius, non poteſt quin nix ſequatur ; ergo &c.

Prob. anteced. Sola nix poteſt addere ad elevationem cauſatam à gelu, quia ſola nix poteſt addere novum pondus aëri jam inde denſato per intenſum gelu. Cur autem poſſit pondus addere patet ex dictis ſupra, quia nix jam inde pondus habet nec minuit elaterium aëris.

173. Objicies primò. Barometrum ex quo factæ ſunt præſentes obſervationes, eſt fallax, imò multoties inſpectores decepit.

Reſp. neg. anteced. & prob. Neque decepit quemquam, niſi volentem.

Dices. Sunt viri magnæ authoritatis qui teſtantur & affirmant ſe fuiſſe deceptos.

Reſp. Viros magnæ authoritatis negare, neque facit hîc quidquam authoritas cujuslibet, ſed viri hac in re verſati.

174.

174. Objicies secundò. Temerarium esset sic concludere, hîc & nunc Mercurius ascendit, ergo certò erit serenum, vel ergo certò erit nix.

Resp. dist. assumpt. Temerarium esset dicere determinatè, ex ascensu præcisè, concedo; ex ascensu certis quibusdam circumstantiis, nego.

Instabis. Ponamus motum siccitatis in Hygrometro, ascensum Mercurii in Barometro, posset esse pluvia.

Resp. Posito ascensu actuali Mercurii &c. posset esse actualis pluvia, concedo; posset esse pluvia futura, nego: quia vapores sunt materia pluviæ, si fuerint illi ex aëre expressi, nihil erit ad formandas pluvias.

175. Objicies tertiò. Hygrometrum, & Barometrum, habent se impertinenter ad serenitatem futuram; ergo ascensus Mercurii in illis circumstantiis non indicabit futurum serenum.

Prob. anteced. Machinæ illæ sunt disparatæ, ergo.

Resp. Hygrometrum &c. impertinens est ad serenum si sub sua præcisa ratione consulantur, concedo; si prout comparantur ad aliud, nego. Hygrometrum directè & immediatè spectat humiditatem

&

& siccitatem aëris. Thermometrum calorem & frigus, sed Hygrometrum spectari potest cum ascensu & descensu Mercurii, & in quibusdam circumstantiis facit ad cognitionem certam moraliter de futurâ aurâ.

176. Objicies quartò. Vel posset dici quantum temporis requiratur, ut habeatur tempus à Barometro prædictum vel non: neutrum dici potest. Non primum; quia non scietur primo die, debeatne ascendere secundo; nec secundo, quid tertio futurum sit, quia poterit adhuc ascendere tertio. Si non possit determinari tempus, Barometrum nullius erit utilitatis.

Resp. dist. assumpt pro prima parte. Vel posset disjunctivè vel absolutè, concedo; absolutè, subdist. Cum primum ascendit, nego antecedens; cum jam ascensus ad unum aut alterum diem continuavit, concedo. Cum primùm ascendit dici potest certò, certitudine physicâ, inesse aëri mutationem quoad pondus: eadem propè certitudine dici potest sub disjunctione futurum serenum constans, si lentè & spatio plurium dierum ascendat, non futurum constans, si citò multumque ascendat. Ex quo

patet.

patet quantæ utilitatis, & quam tenui alatur impendio Propheta, & pluſquam Propheta, qui præſens & futurum indicet; cujus tanta eſt authoritas; ut innumeris locis habeatur inſtar infallibilis cujusdam oraculi.

DUBIUM III.

Qualis aſcenſus requiritur ad cognoſcendam aëris diſpoſitionem ad ſerenum?

177. Dico primò. Aſcenſus vel minimus Mercurii eſt ſignum magnæ mutationis in aëre.

Prob. Mercurius multùm ponderat, ergo debet dari magna mutatio in aëre ut ipſi æquiponderet. Mercurius ſe habet ad aërem ut unum ad quindecim millia, quod colligitur ex P. Kirkero; nam juxta illum aqua dulcis habet ſe ad aërem, ut unum ad mille, juxta eundem Mercurius ad aquam ut unum ad 15. conſequenter Mercurius habet ſe ad aërem ut unum ad quindecim millia, unde ſi Mercurius elevetur ad 40. digitos,

id

id est ad duos pedes cum medio, columna aëris elevabitur præter propter ad 37000 pedes.

178. Ex his facilè colligere licet quantum ponderet totus aër nostro Horizonti superincumbens, & quanta sit in illo mutatio quoad pondus, dum tantùm ad quartam digiti partem vel deprimitur vel elevatur Mercurius, quantitas elevati Mercurii dabit pondus quæsitum. Inde spernenda non est sola columnæ Mercurii protuberantia ad inferendam mutationem totius aëris Horizonti superincumbentis, & mirum videri non debet si tota mutatio aëris, quoad pondus, & serenitatem, pluviamque, tum hyeme, tum æstate, describi possit, in extensione trium digitorum, in quâ habetur descripta vicissitudo auræ tempestuosæ pluviæ variabilis & serenæ, non secus ac si in tabulis Geographicis, vastæ regiones, exiguo quodam circulo describerentur.

179. Dico secundò. Ascensus Mercurii à puncto magnæ pluviæ ad pluviam aut variabilem, est signum sereni.

Prob. primò ab experientia; secundò ex eo quod sufficienter expressi forent vapores per condensationem sufficientem,

tem, ut eo ferretur Mercurius. Quod si quæras cur non ascenderet superiùs; respondetur, pondus illius id non exigere.

180. Inferes. Ergo notæ collaterales Barometri superfluæ erunt, quia potest esse serenum, licèt Mercurius subsistat, tam intra limites pluviæ, aut variabilis quàm intra sereni.

Resp. neg. illationem. Ideo positæ sunt, quia qui primum observarunt effecta secuta descensum & ascensum Mercurii, notarunt frequentiùs pluisse quam fuisse serenum, tempestuosam fuisse auram, quam variabilem, cum ad notam serenæ & pluviæ auræ devenerat; & quod fuit commodo iis, qui multa observarunt circa Barometrum; incommodo non erit iis qui causas & effecta ascensûs & descensûs nolunt cognoscere.

Inferri potius debuit non esse scrupulosè nimis adhærendum notis collateralibus, & hanc illationem ultrò concedo, & dico esse magis attendendum ad locum quem deserit, & acquirit Mercurius, ut rectè dicatur futurum.

181. Dico tertiò. Ascensus Mercurii adhuc minor, id est à puncto magnæ pluviæ ad gradum unum seu quartam digiti

digiti partem poteſt eſſe indicium ſereni futuri. Hæc concluſio ſequitur ex præcedenti, maximè ſi propter ſolos ventos habitus fuiſſet ille deſcenſus, nec eſſet materia pluviæ ſufficiens.

182. Dico quartò. Aſcenſus tardior Mercurii, id eſt ad ſpatium trium, quatuor, & plurium dierum eſt ſignum ſereni diuturnioris ſecuturi.

Prob. primò ab experientia eorum, qui id frequenter obſervarunt.

Prob. ſecundò à ratione. Aſcenſus tardior indicat lentam fieri aëris condenſationem & depurationem à vaporibus aqueis, ſi in illo ſunt: atqui lenta aëris condenſatio & depuratio neceſſariò conjungitur cum ſereno diuturniori ſecuturo; ergo aſcenſus tardior Mercurii denotat diuturnius ſerenum ſæcuturum. Major videtur certa ex dictis ante.

Probatur minor. Lenta condenſatio facit, ut ſingulæ particulæ aëris magis inter ſe implicentur, & exprimant extra ſe vapores aquæ, ergo neceſſariò conjungitur cum ſereno diuturniori ſecuturo; plus enim temporis requiretur ut inſinuent ſe intra aërem jam condenſatum, vapores aquæ, ſicut plus tem-

temporis requiritur ut aqua inſinuet ſeſe intra cruſtas exſucci panis, quàm intra micas recentis; aut intra terram aridam ſiccitate quàm intra molliorem, ita difficiliùs vapores ſeſe inſinuant intra aërem magis denſum.

183. Dico quintò. Aſcenſus notabilis, id eſt ad digitum unum, & ſubitus, id eſt, ſpatio 12 aut 15 horarum, eſt indicium ſereni, ſed non diu duraturi.

Probatur primò ab experientia conſtanti; ſecundò ratione, quia ſubitus aſcenſus cauſatur à ſubitâ condenſatione aëris, atqui ſubita condenſatio aëris congregat multam materiam pluviæ ut ſuppono, quia non ſolet fieri ſubita condenſatio, niſi præceſſerit multa pluvia; ergo ſubitus aſcenſus eſt ſignum ſereni non duraturi.

184. Objicies primò. Idem aër eodem modo gravitans non poteſt facere ſerenum & pluviam; ergo Mercurius ſtans intra gradum pluviæ, nullo modo poteſt eſſe ſignum ſereni.

Reſp. diſt. anteced. Idem aër ſecundùm omnes circumſtantias non poteſt facere ſerenum & pluviam, concedo antecedens; idem quoad pondus præcisè non poteſt &c. neg. anteced. Oſtenſum

eſt

est supra num. 154. quod aer posset eodem modo ponderare, & tamen esset conjunctus modò cum pluviâ modò cum sereno. Cum pluviâ quidem si vapores essent in aëre, cum sereno si foret calore multum dilatatus & decesset materia pluviæ: insuper posset Mercurius propè serenum consistere, & tamen conjungi cum pluvia, quia vapores fuissent immissi aëri jam valdè condensato, nec tamen ita imminuissent illius elaterium propter majorem condensationem, ideoque staret altè Mercurius & tamen pluenet. *Vide num.* 155.

185. Objicies secundò contra quartam conclusionem. Lentus Mercurii ascensus, nihil facit ad serenum futurum, quia ad duos dies ascenderit, & tamen tertio pluet; ergo &c.

Resp. neg. anteced. Ad probat. dist. conseq. Nihil facit ad serenum tertiæ diei, conced. conseq. quartæ, nego conseq. Ideo tertio die pluit, quia nondum depuratus est aër per condensationem duorum dierum. Plus temporis requiritur ad exsiccandum linteum multâ aquâ delibutum, quàm levi tinctum aspergine. Aër exsiccatus & per partes quasi singulas compressus, sudum

dum facit cœlum ad plures dies, quia pluribus opus est, ut vaporibus imbuatur ad pluviam sufficientibus.

186. Instabis primò. Posito ascensu ad tres dies, quarto die necessariò erit serenitas vel non: neutrum dici potest, ergo. Non primum, quia poterit esse ventus aut grandò aut nix. Non secundum, quia positis omnibus ad effectum necessariis, in causa necessaria debet sequi effectus.

Resp. neg. min. Ad probat. dico ventum non opponi sereno: deinde non sequetur ventus; cùm enim ille oriatur ex aëre rarefacto, esse tunc non poterit, quia supponitur esse condensatus.

187. Instabis secundò. Condensatus aër respectu unius loci potest se habere ut rarefactus respectu alterius loci, ergo quarto die poterit esse ventus imò pluvia.

Resp. dist. nonseq. Poterit esse ventus per accidens, transeat; per se neg. Per se sequetur serenitas, per accidens impedietur aliquomodo in casu objectionis. Per se sequeretur productio ignis, dum lignum poneretur intra sphæram activitatis agentis, sed quia poneretur

inter

inter ignem, & passum, inpedimentum aliquod per accidens, non produceretur novus ignis. Inde fit ut Barometro adversarii, Barometrum culpent quod ascenderit nec sequatur serenitas quieta: iniquiores sanè judices qui reum dicunt non cognitâ causâ! Admittam facilè posse die quarto, dari ventos, non tamen pluviam, quia deerit per præcedentem depurationem materia pluviæ, nec posset aliundè transferri, quia densatus foret aër.

188. Nota, quod venti nihil sint aliud quam commotio aëris, orta ex eo quod aër in uno loco sit densior, & ponderosior, & in alio minùs ponderosus: Sicut ergo potest irruere alter densior, in hunc aërem minus densum, ita hic potest evolvi in minus densum. Unde pariter fieret ventus. Cæterum posito quod quiescat aër, in hoc horizonte, post lentam condensationem, serenos dabit dies, nec sequetur ventus, nisi notetur in Barometro per descensum Mercurii, quia aër multum agitatus minus gravitat.

189. Objicies tertiò. Tardiorem ascensum sequitur quandoque pluvia.

Prob. experientiâ his diebus factâ.

Duode-

Duodecimâ hujus menſis, puta Junii anni 1701. Mercurius aſcenderat etiam cum plueret ad 3 dies. Quarto fuit quidem ſerenum cœlum, ſed quinto fuit pluvium: 6o. verò 7°. & 8o. valdè ſerenum cum tamen maneret Mercurius in eâdem ſtatione: atqui nulla poteſt aſſignari ratio hujus juxta principia jam tradita; ergo non ſubſiſtunt, vel aſſignetur illius cauſa.

Reſp. Experientia illa dicit aliquid ſed non totum. Quarto die id eſt ſequenti ad ſerenum deſcendit à mane ad meridiem gradu medio, à meridie uſque in veſperam alio medio. Unde mirum non fuit quod eodem die plueret: ratio hujus eſt quod vapores non tam altè ſeſe inſinuaverint aëri, quia jam inde ad 3 dies condenſatus fuerat; ideoque citò deciderunt; ſicut contingit, dum gutta adhæret corpori denſiori, non imbibitur ſtatim: quod ſi corpus illud ſuccutiatur, decidit continuò, ita aër leviter motus, facilè excutit materiam pluviæ & amœnos facit dies.

Dices. Non aſcendit Mercurius poſt illam pluviam ad notandos ſerenos dies ſequentes.

Reſp. Nullam hujus fuiſſe neceſſita-

tem, jam inde ſatis erat aër denſatus per expreſſos antea vapores, nec recepit novos à quibus minueretur ejus elaterium.

190. Objicies quartò. Si Mercurius lentè aſcendens ſit nota ſereni, quò magis vel minus aſcendet, eſſet nota major vel minor ſereni: atqui hoc dici non poteſt, quia cum fuit demiſſus valdè, & ad gradum unum aut alterum aſcenderit, ſerenum eſt, idque contingit non rarò; imò Mercurius intra limites majoris pluviæ ſubſiſtens, & motus ad unum gradum ſupra, notat ſerenum futurum.

Reſp. diſt. major. Eſſet nota majoris vel minoris ſerenitatis regulariter loquêdo, concedo major. in omni omnino caſu, nego majorem. Fieri poſſet ut non aſcendiſſet Mercurius niſi ad unum gradum, intra limites magnæ pluviæ, quia ut ſuppono præceſſiſſent venti majores, conſequenter debuiſſet deſcendere multum Mercurius, quia venti minuunt ſummopere pondus aëris: deinde ceſſaſſet ventus & diſſipaſſet vapores ſi qui fuiſſent, nam *ventus Aquilo diſſipat pluvias*, ut dicit Scriptura*, quo caſu neceſſariò debet

* *Proverb.* xxv. 23.

ſequi

ſequi ſerenitas, licèt ad unicum gradum aſſurrexiſſet Mercurius. Simile quid poteſt contingere ſi præceſſiſſet magna aëris rarefactio, ſine vaporibus inſinuatis, aſcendiſſet Mercurius ad unicum gradum, indicium eſſet ſereni.

191. Objicies quintò contra quintam concluſ. Dum præceſſit aſcenſus notabilis, & ſubitus, aër eſt æquè purus ac dum lentè aſcendit; ergo non habet in ſe vapores illos.

Reſp. diſt. anteced. Eſt æquè purus quoad apparentiam, concedo antecedens; quoad rem, nego antecedens. Licèt ergo quoad apparentiam tam ſudum videatur cœlum, in ſe tamen aliter ſe habet: & licèt in nobis non habemus quo id ſemper ſentiamus, habemus tamen unde colligamus aliter ſe habere. Ita colligimus ex veſpere rubro, & multum micante ſerenitatem craſtinam, ex rubro tamen non micante, ſed magis fuſco, pluviam. Similiter, ex matutino rubro, colligimus ſerenum & pluviam ejusdem diei, aut etiam ex pallida luce Solis orti aut Lunæ naſcentis, (quia pallida Luna pluit:) color autem ille rubeus magis fuſcus, fit ex vaporibus; magis autem micans fit ex

absentia vaporum : cum enim calor non sit nisi lumen reflexum, magis reflectitur in aëre puro, in impuro radius immergitur. Idem dic de pallore lucis Solis & Lunæ. Insuper sunt animalia, quæ sensibus hominem superant, illa diu ante nos aëris alterationes persentiscunt. Hinc anates propter pruriginem à vaporibus in illis causatam, gestiunt se aquis penitus immergere, repetitis vicibus aquam in dorsum, tum alis, tum capite attollere : simile quid in aliis animalibus videre est. Talis pruritus in vertice ovium excitatur : inde frequens inter illas arietatio ingruente pluviâ.

Dixi, non semper id cognoscimus, quia etiam inter homines sunt qui ad quasvis propè mutationes aëris, certam quandam pruriginem sentiunt, in parte aliàs læsa.

192. Dices. Detur quod non sit æquè purus in se, explicari non posset quomodo tunc formaretur pluvia.

Resp. Explicari facilè, cùm enim sint jam inde multi vapores compressi propter condensationem præcedentem, particulæ particulis adjunctæ faciunt tandem guttas sensibiles eâ proportione,

ne, qua diximus num. 161. de guttis feneſtræ adhærentibus & decidentibus aliarum conjunctione. Hac ratione facilè etiam concipi poteſt quomodo naſcantur nubes etiam à ſuperiori parte aëris, licèt eas ventus non detulerit, dicendo ſuperiores vapores conjungi cum mediis & opacitate ſua Solem nobis eripere. *Vide num.* 154.

193. Objicies ſextò. Poteſt fieri aſcenſus ſubitus, licèt non ſint in aëre vapores; ergo aſcenſus ſubitus non eſt indicium ſerenitatis non diu duraturæ.

Reſp. diſt. conſeq. Non ſequitur abſolutè, concedo conſeq. ex hypotheſi quod præceſſerit inſinuatio vaporum, nego conſeq. Solet autem tantum poſt pluviam, aut in ipſa pluvia ſubitò aſcendere.

Inferes. Ergo ſemper poſt tempeſtatem aſcenſus Mercurii erit nota ſereni brevioris, quia aſcendit ſemper multum exiguo tempore poſt tempeſtatem.

Reſp. Nihil eſſe abſurdi ſi hoc admittatur. Naturale quidem eſt ut poſt violentam aëris commotionem exprimatur pluviæ materies, tamen poteſt non ſic exprimi, ita ut plurimi vapores aëre concludantur.

DUBIUM IV.

Quid doceat deſcenſus, qualis requiritur, & an certò ex illo aliquid poſſit ſtatui?

194. Dico primò. Deſcenſus Mercurii directè docet minorem gravitationem aëris, quia immediatè & in ſe monſtrat oppoſitum ſibi pondus non eſſe tantum, quantum erat ante.

195. Dico ſecundò. Quilibet deſcenſus Mercurii eſt nota magnæ mutationis præſentis in aëre.

Prob. primò. Quilibet aſcenſus eſt nota magnæ mutationis ut vidimus Dubio præcedenti, quia cùm aër ſit de ſe valdè levis, reſpectu Mercurii, debet multùm variari, ut æquivaleat corpori de ſe valdè ponderoſo.

Prob. ſecundò & demonſtratur. Ponamus tubum latum uno pede, quadratum, ad digitum depreſſus Mercurius, ponderabit 59. libris & ultra, minùs quàm ante juxta computum deductum ex obſervationibus Patris Kirkeri ſupra, conſequenter ſi quarta parte digiti deſcendat,

dat, columna aëris illi correſpondens, ultra quatuordecim libras ponderabit, minùs quàm ante, ergo mutatio deſcenſus Mercurii licèt ad unum gradum ſeu quartam partem digiti, indicium erit magnæ mutationis in aëre.

Prob. conſeq. Multiplica pedes Horizontis unius, illi dabunt quoties 14. libris & ultra imminutus ſit aër quoad pondus. Res ut ſit determinata, pono Horizontem extendi in longitudinem per quadrum ad 100000. pedum, magis tamen extenditur, jam neceſſe eſt centies millies 14. libris & ultra aër Horizontis levior ſit quàm ante, dum Mercurius aſcendit ad quartam digiti partem tantum: atqui centies millies 14. libræ notabiles ſunt, ergo quilibet deſcenſus Mercurii eſt indicium magnæ mutationis in aëre.

Ex quo patet ulterius ipſam Mercurii protuberantiam indicare mutationem valdè notabilem, cùm illa extendatur v.g. ad quartam partem gradus.

196. Dico tertiò. Deſcenſus docet indirectè antecedentia, concomitantia & ſublequentia minorem gravitationem aëris.

Prob. Docet in alio iſta, ergo indirectè.

ctè. Sicut enim dicitur indirectè cognoſci pater quando cognoſcitur in filio, & ſicut ignis indirectè cognoſcitur quando ex fumo cognoſcitur, ſimiliter hîc indirectè cognoſcuntur antecedentia, concomitantia & conſequentia, quia cognoſcuntur in aliis ſcilicet in minori gravitatione aëris.

197. Dico quartò. Deſcenſus docet indirectè calorem.

Probat. Calor habet ſe in priori ad imminutionem ponderis in aëre.

198. Dico quintò. Docet indirectè vapores aëri inſinuatos, illi minuunt elaterium aëris ut ſupra vidimus. n. 82.

199. Dico ſextò. Deſcenſus docet etiam ventos & pluvias, quia illa ſequuntur ad imminutionem ponderis aëris ratione caloris & vaporum inſinuatorum.

200. Dico ſeptimò. Deſcenſus docet certò disjunctivè vel calorem vel vapores inſinuatos.

Probat. Non datur medium, quia vapores vel calor antecedunt deſcenſum Mercurii.

201. Dico octavò. Deſcenſus Mercurii docet certò moraliter, determinatè calorem in certis quibusdam circumſtantiis.

Prob.

Prob. Posito quod Thermometrum, aquâ factum descendat, & Hygrometrum non moveatur motu humiditatis, sed siccitatis; descensus Mercurii causatur à calore tantum; ergo similiter docet certò moraliter vapores insinuatos & consequenter pluviam, posito quod Hygrometrum moveatur motu humiditatis.

202. Dico nonò. Lentus Mercurii descensus indicat diuturniorem pluviam, subitus breviorem.

Probat. ab experientia & à ratione primò. Quia lentus habetur per lentam insinuationem vaporum, qui non nisi longiori tempore aëre exprimuntur; subitus per subitam insinuationem, qua breviori tempore vapores conjunguntur & in guttas formantur.

203. Dico decimò. Descensus major Mercurii est indicium certum moraliter ventorum simul & pluviæ certis quibusdam circumstantiis.

Prob. primò ab experientia, secundò à ratione, quia calor & insinuatio vaporum non sunt incompossibiles, imò sæpe sunt simul, consequenter descensus potest utrumque ostendere; posito enim quod multum descendat Mercu-

rius, & motus Hygrometri non sit major ad humiditatem; necessariò debet esse ventus & pluvia.

204. Petes primò, quid conferent tunc venti, quid pluvia ad descensum?

Resp. Utraque per modum unius concurrent ad illum; nam si ratione pluviæ tantum descenderet, ad notam pluviæ majoris; quia venti coneomitarentur, cum proportione descendet ad notam auræ tempestuosæ.

205. Petes secundò, cur descendat Mercurius dum flant venti?

Resp. Quia aër multum agitatus multum perdit suæ gravitationis secundùm lineam rectam: nam ratione agitationis pondus tendit deorsum quidem, secundùm lineam rectam, sed tendit etiam secundùm obliquam; minùs autem illud corpus ponderat, quod obliquè, & directè simul, tendit in centrum suum; quia sicut dividitur aliquo modo pondus, eò quòd feratur rectâ & obliquâ lineâ in centrum, ita dividitur suo modo illius gravitatio: illud evidens est in curru vehementer tracto; minus enim terram premit in tali motu quàm si lentè traheretur.

206. Objicies primò. Observant varii quod

quod fiat ſerenum poſt deſcenſum Mercurii, ergo deſcenſus non eſt indicium certum futuræ pluviæ.

Reſp. diſt. anteced. Obſervant quod fiat ſerenum poſt deſcenſum cauſatum à calore præcisè, concedo; cauſatum à calore cum vaporibus, nego anteced. Reipſa ſerenum eſt cum deſcendit per calorem præcisè; id obſervatur æſtate maximè; tum temporis Mercurius aſcendit propter nocturnum frigus & deſcendit propter diurnum calorem regulariter loquendo, præſcindo ab æſtu cauſato à circumſtantibus nubibus, & impedientibus ne altiùs ferantur evaporationes terræ; tunc æſtus eſt ingens, ſicut frigus eſt valdè intenſum, cum nix incumbit noſtris cervicibus; quia ſol nubes denſiores tunc non penetrat calore ſuo, emittunt autem nubes illæ niveæ particulas frigidiores, & terra ſimiles in aërem emittit. Hinc frigoris tunc intenſio.

207. Objicies ſecundò. Sæpè accidit tum hyeme tum æſtate ut deſcendat Mercurius, & ſequantur venti tantùm vel nihil omninò, & tunc rurſum aſcendat, ergo deſcenſus non eſt ſignum pluviæ.

Reſp.

Resp. dist. conseq. Ergo descensus non est signum pluviæ tantùm, conced. conseq. non est signum pluviæ sed ventorum, subdistinguo, descensus præcisè, conced. conseq. descensus simul habita ratione circumstantiarum v. g. motus Hygrometri, neg. conseq. Si Hygrometrum moveatur motu humiditatis non magno, multum autem descendat Mercurius, non poterit quin sint venti, quia simul concurrent per modum unius causæ ad imminutionem majorem ponderis aëris, ex quo sequitur descensus notabilis Mercurii.

208. Objicies tertiò. Mercurius non multum descendit & quandoque multum pluit; ergo descensus non est nota pluviæ, aliàs quò magis vel minus descenderet, magis vel minus plueret.

Resp. dist. anteced. Et tamen multum pluit, per accidens conced. per se nego. Quia fuit ut suppono valdè condensatus aër, vapores nihilominus insinuaverint se se, sed sic ut non multùm minuerint elaterium ejus, hinc multum aquæ decidit, quia nihil propè intra aërem remansit, eo quod partes illius magis implexæ fuerint & intricatæ, sicut terra valdè arida vix madefit primùm,

mum, imò hæret aliquamdiu aqua in ſuperficie illius, antequam illi e ſe inſinuet, aut ſicut panis durior non imbibit tam facilè liquidum, ſicut panis mollior : ita aër denſior difficiliùs vapores intra ſe recipit, & tunc levi vento ſi ſuccutitur aër, mox excutitur pluvia.

209. Objicies quartò. Si adhibetur cum Barometro, Thermometrum & Hygrometrum, non jam Barometrum, ſed etiam alia docent futuram aëris diſpoſitionem.

Reſp. diſt. ſequelam. Non Barometrum ſed alia docent ut certò poſſimus determinare hîc & nunc, quid futurum ſit determinatè, conced. ut certè poſſit dici ſub disjunctione, nego. Ex omnibus iſtis ſimul concurrentibus prudens eſt judicium, imò & moraliter certum de futura aëris diſpoſitione determinatè, quia motiva petita ab illis circumſtantiis, tollunt omnem dubitationem quæ contingeret, ſi determinatè quis vellet judicare ex aſcenſu Mercurii præcisè. Nullum eſſet dubium ſi judicaret disjunctivè & ex deſcenſu Mercurii vel calorem aut inſinuatos vapores, quia antecedunt, vel ventos vel pluvias, quia ſequuntur.

quuntur ad immutationem aëris quoad pondus.

210. Petes primò, annon dari possit signum certum & determinatum in particulari futuræ pluviæ ex Barometro sine recursu ad Hygrometrum.

Resp. Volunt aliqui diligentissimè observandum quomodo se habeat extremitas columnæ Mercurii, sitne cava an protuberans? Dicunt hanc esse normam & fundamentum observationum: si cava, manifestum esse imminere pluviam: si protuberans, serenitatem esse in propinquo.

Sed si illi rigorosè loquantur, & velint præcisè intelligi cavitatem pro pluvia tantum, protuberantiam verò pro sereno tantum, contra est: nam sicut ascensus non est indicium sereni tantùm, nec descensus pluviæ tantum, ita nec protuberantia sereni, nec cavitas est indicium pluviæ tantum.

Malim dicere cavitatem & protuberantiam signum esse actualis motûs columnæ aëris & Mercurii tendentis ad stationem aliam; cùm enim Mercurius stet rectâ lineâ propter æquilibrium ejus cum columnâ aëris, mutato æquilibrio mutatur recta linea subsistentis

Mercu-

Mercurii : jam autem vel actu aër prævalet, tum Mercurium adigit superius ; inde illius protuberantia : vel Mercurius prævalet, & pondere suo tendit deorsum, unde illius cavitas. Res ut pateat, agitetur leviter Barométrum, subsiliet Mercurius & quietus postea stabit rectilineus, vel altiùs, vel demissiùs, quàm antè, prout ponderosior erit alterutra columna.

211. Nota tamen quod quando prævalet pondere aër post agitationem maneat illius quædam protuberantia sed minor quàm ante succussionem, si verò prævalet Mercurius, brevi etiam post habetur illius cavitas.

212. Petes secundò, an possit cognosci ex descensu Mercurii ventus ut distinctus à pluviâ, sicut ex ascensu cognoscitur serenum ut distictum à nive ?

Resp. non posse cognosci ex descensu præcisè, sicut non cognoscitur præcisè ex ascensu serenum ut distinctum à nive. Ad hoc requiritur adminiculum Hygrometri, ex quo cognoscatur siccitas, quo casu si descendat Mercurius, licebit inferre futurum ut sequatur ventus tantùm.

Colle-

Collectanea ex toto Tractatu.

Collige primò, multa concurrere ad aſcenſum & deſcenſum Mercurii tum poſitiva tum negativa. Poſitiva ut gravitas major vel minor aëris, frigus condenſativum, calor rarefactivus, vapores aquæ, terræ effluvia &c. negativa ut negationes ventorum ad pluvias habendas, abſentia caloris ad pluvias taliter vel taliter habendas, ex quibus ſequitur alia Mercurii ſtatio.

214. Collige ſecundò, reperiri in aëre leviſſimo, pondus immenſum; in re diffluſa & molli condenſationem, & reſiſtentiam; in ſummè mobili & præſenti, principium ſtabile futuræ pluviæ & ſerenitatis. Inde oriri cur lentè aſcendat deſcendatque Mercurius; cur ſubito erumpat ſurſum, aut deorſum feratur; cur denique pro varietate motus Mercurii, varia ſequi debeat in ſe temperies, variaque noſcatur, ex Barometro tanquam ex indice, futura.

Collige tertiò, omnes aëris mutationes quæ pluviâ, variabili, tempeſtuoſo & ſereno comprehenduntur, poſſe trium ſpatio digitorum in Barometro concludi.

215. Collige quartò, omnes Mercurii motus obſervandos. Magnum eſſe illum

quo

quo tres aut 4. gradus id eſt ad digitum unum extenditur aſcendendo, deſcendendoque. Notabilem eum eſſe ſi quartam digiti partem aut deſerat Mercurius aut de novo acquirat; nec contemnendam ipſam columnæ convexitatem, cavitatemque.

216. Collige quintò, modum quo deſcendit, aut aſcendit, diligenter obſervandum. Vel enim aſcendit parum aut multum, vel lentè aut ſubitò. Si multum exiguo tempore, notare ſerenum ſed brevius. Si multum longiori tempore, indicare ſerenum ſed diuturnius. Contrarium dicendum eſſe ſi agitur de pluviâ. His addi poſſet, ſi citò deſcenſum ſequatur pluvia, non duraturam, nec ſerenum ſtare diu, dum præceſſit aſcenſus propinquior.

217. Collige ſextò, minùs ad notas collaterales quàm ad terminos à quo & ad quem pergit, attendendum. Unde non miraberis in ſereno pluviam, & in pluviâ ſerenum. Et tunc ſolum variabilem auram dices, dum fit aſcenſus & deſcenſus frequentior, exiguo temporis intervallo.

218. Collige ſeptimò, diſtinguenda anni tempora, & terræ portiones ut certum

certum aliquid ſtatuatur. Equidem vere & autumno inconſtantior eſt Mercurii motus, & vix ſtatuendum videtur quidquam ad aſcenſum deſcenſumque, adeo tunc aura eſt volubilis. Locus humilior notas altiores exigit, depreſſiores altior. Septentrio tres digitos habet extenſionis ut notetur auræ varietas. At inter tropicos & æquinoxialem lineam, vix digito opus erit, ut varietates auræ, Barometro deſignentur: ſi tamen credimus Domino de Hallay, id à ſe probatum in Inſula S. Helenæ teſtatur in Ephemeride Anglicana menſis Maii 1686.

219. Collige octavò, dum præcisè aſcendit Mercurius, non poſſe certò & determinatè ſciri hîc & nunc quid indicet, nivemve an ſerenum. Similiter cum deſcendit, deſcendatne, quia rarefactio minuit elaterium aëris, an quia illud ipſum minuerunt inſinuati vapores: conſequenter certò non ſcitur ſitne futura pluvia an venti. Id ex circumſtantiis determinandum eſt. Si fiat aſcenſus in intenſo gelu, notat nivem; ſi dum de facto pluit notat ſerenum. Ut disjunctivè & certò ſtatuatur futurum, ex aſcenſu vel deſcenſu, admi-

adminiculis externis opus non est. Sed ut certò & determinatè statuatur, necesse est animata vel inanimata Hygrometra adhibeas.

220. Collige nonò, dum præcisè ascendit Mercurius, certò sciri aërem esse graviorem, sed non sciri certò unde fiat major illius gravitas. An per frigus vaporum intra aërem jam contentorum, & recuperantium connaturalem suam qualitatem, an ex particulis nitrosis è vaporibus maris eductis ad formandas nives necessariis, an à Luna, an ab astris etiam frigidioribus; neque hoc inquirimus, neque inquirere nostri est instituti. Contendo solum ascensum Mercurii docere primò & directè gravitatem aëris, secundò & indirectè ea quæ antecedunt, concomitantur & consequuntur ad illam, serenum scilicet & pluviam, & varia de quibus in hoc Tractatu, ex quo licet conjicere mysterium Barometri, in eo superare arcana agitati maris, quod hoc notam habeat arenam, ad quam, cum progreditur furens, legem Imperantis audit, * *hucusque venies & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos*: illud autem sine lege fertur in sublime, & in imum deprimitur;

* *Job.* XXXVIII. 11. in-

index inſuper præſentis ponderis, & futuræ tum ſerenitatis, tum pluviæ. An rectè cauſa deſignata ſit fluxûs & refluxûs Barometri, an illius myſteria, in Procœmio propoſita, ſufficienter, hoc Tractatu, manifeſtata ſint, & ſoluta, docti judicent, ſed rudes non carpant, contenti intra admirationis limites degere. Quantum ad me eſt, in hoc præſenti ſigno rei futuræ, conſtantes leges intueor auræ mutabilis; judicoque ignaris elaterii, & ponderis, rarefactionis & condenſationis aëris, tam mirabiles videri debere fluxus & refluxus Mercurii, quàm * *mirabiles* in ſe ſunt *elationes maris, & mirabilis in altis Dominus.*

* *Pſ.* 92. 4.

FINIS.

Permiſſu Superiorum.

ERRATA.

in proemio pa 2. l. 2. intellegentiæ l, intelligentiæ
pa. 4. l. 26. affectum l, effectum
pa. 5. li. 27. decidite l, decidit è
pa 19. li. 11. applices l, applicet
pa. 56. li. 10. abiget l, adiget
pa. 56. li. 23, illi l, ille
pa. 66. li. 2. distinctum l, distinctam
pa. 78. li. 16. modum l, motum
pa. 98. li. 5. planta natura sua calida l, plantâ naturâ suâ calidâ
pa. 131. li. 6. sal l, sol
pa. 138. li. 2. incertis l, in certis
pa. 141. li. 22. talis l, salis
pa. 143. li. 29. tempore l, tepore
pa. 144. li. 7. aciet l, faciet
pa. 148. li. 5. sal l, sol
pa. 158. li. 5. ille l, illi
pa. 168. li. 1. inpedimentum l, impedimentum
pa. 172. li. 1. Calor, l, color
pa. 177. li. 14. deleatur primo
pa. 181. li. 2, e se l, sese

ROMA
RESTITUTA,
SIVE
ANTIQUITATUM
ROMANARUM
COMPENDIUM ABSOLUTUM.

Ex optimis Authoribus in usum Studiosæ Juventutis collectum,

a

THOMA BELLO
Philologo Edinburg. Scoto.

AMSTELÆDAMI,

Apud JOANNEM WOLTERS, 1790.

Qui Romanorum res legunt, non unius populi, ſed generis humani facta diſcunt. Flor. in Prolog.

Ubique membra, hic ipſum caput invenies Monarchiæ. Petrarch. Epiſt. 14. à Vergerio reſtitut.

Nobiliſſimis & ſpem optimam præferentibus Ephebis,

JACOBO ARANIÆ COMITI,

Illuſtriſſimi & magnificentiſſimi Ducis Hamiltonii Filio natu maximo ac Hæredi:

ET

ARCHIBALDO LORNÆ

Domino, Potentiſſimi & Antiquiſſimæ Nobilitatis ſplendore Clariſſimi *Comitis Argathelia* eodem loco & jure Filio,

Florentiſſimarum in Scotiâ familiarum poſt Patres ſuos, Principibus dignſſimis.

VT ſuis vicibus novata Solis, Lunæ, Veris decora intentos omnium animos oculosque novitate gratâ alliciunt, præſenti amœnitate recreant, & futuri ſpe plenos erigunt, alunt, excitant: Sidera autem nova ſi qua appareant, quantâ ſolicita mortalium pectora, ora, vota, ſtudia magnarum rerum expectatione exercent? Sic, etiam in populo, primæ pueritiæ germen tenellum, & blandè ridentis pubis imbellis flos adoleſcens tantam ubique vo-

luptatem adfert, gratiam conciliat, charitatem movet, pietatem excitat, ut captis etiam urbibus incolumitatem impetret: nobilitatis autem surgentis lucida inter ignes minores sidera lætos penatibus dies, læta Reip. tempora nunciant. Accidit quidem aliquando, quæ rerum omnium incertitudo est, ut nimis matutina lux splendidissima in tristes abeat nebulas, aut in graviores imbres feratur, vel in fœdissimas tempestates soluta ruat: ipsa tamen sidera ab his mutationibus, ab hac rerum confusione longissimè aliena, suâ interim luce gaudent, & tandem, victâ tempestatis vi, clariora etiam exeunt, ac suo orbe conspicua inferiorem illustrant, alunt, recreant, & aspectu grato exhilarant. Sic historiarum fides, & quotidiana experientia virtutis relictæ spei falsæ, & vitæ in pejus mutatæ exempla vobis suggerent, eheu! quam plurima. Verùm germanæ Nobilitatis virtus indigena tegi nequiens, mergi nescia, sui certa, fortunæ secura & invidiæ, desidiæ impatiens, exosa vitii, mediocribus spretis, ad optima, summa, pulcherrima, adeoque sua aspirat, certat, contendit, nititur, & repulsæ nescia sordidæ negatâ tentat iter viâ. Excellentes autem animos ad hoc virtutis & gloriæ fastigium evehunt inprimis literarum studia: nam (inquit Tullius) cum ad naturam eximiam

miam atque illustrem accesserit ratio quædam conformatioque doctrinæ, tum illud nescio quid præclarum ac singulare solet existere. Et Ibidem literarum studia his laudibus prosequitur. Quod si non hic tantus fructus ostenderetur, & si ex his studiis delectatio sola peteretur: tamen, ut opinor, hanc animi remissionem humanissimam ac liberalissimam judicaretis. Nam cætera neque temporum sunt, neque ætatum omnium neque locorum, hæc studia adolescentiam alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, adversis perfugium ac solatium præbent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur. Quod si ipsi hæc neque attingere, neque sensu nostro gustare possemus, tamen ea mirari deberemus, etiam cum in aliis videremus. Alterum, nec minus necessarium virtutis & gloriæ subsidium, est experientia frequenti exercitatione & multo rerum usu parta, & firmata; quibus scilicet artibus heroica juventus fit.

Utilis & bellorum & pacis rebus agendis.

Sic pueros rebus duris ferendis, magnisque gerendis à teneris adsuefaciendos suadet, iisque heroas in cœlum sublatos testatur Horatius.

Angustam, amici, pauperiem pati
Robustus acri militiâ puer
Condiscat, & Parthos feroces
Vexet eques metuendus hastâ.

Vitamque sub dio & trepidis agat
In rebus, &c.

Hac arte Pollux, & vagus Hercules
Innixus, arces attigit igneas:
Quos inter Augustus recumbens
Purpureo bibit ore nectar.

Hac te merentem, Bacche pater, tuæ
Vexére tigres, indocili jugum
Collo trahentes: hac Quirinus
Martius equis Acheronta fugit.

Honorium Augustum militaribus artibus à teneris exercitatum pulcherrime refert Claudianus de tertio ejus Consulatu.

Reptasti per scuta puer, Regnumque recentes
Exuviæ tibi ludus erant, primusque solebas
Aspera complecti torvum post prælia patrem.
Mox ubi firmasti recto vestigia gressu,
Non tibi desidias molles, nec marcida luxus
Otia, nec somnos genitor permisit inertes.
Sed nova per duros instruxit membra labores,
Et crudâ teneras exercuit indole vires:

Fri-

Frigora sæva pati, gravibus non cedere nimbis,
Æstivum tolerare jubar, tranare sonoras
Torrentum furias, adscensu vincere montes,
Planitiem cursu, valles & concava saltu.
Nec non in clypeo vigiles producere noctes,
In galea potare nives; nunc spicula cornu
Tendere, nunc glandes Baleari spargere funda.

Eodem modo & nostros ad militiam exerceri solitos præclare meminit Buchananus in augustissimo Epithalamio Regum Franciæ & Scotiæ.

Illa pharetratis est propria gloria Scotis,
Cingere venatu saltus, superare natando
Flumina, ferre famem, contemnere frigora
& æstus:
Nec fossa & muris patriam, sed Marte tueri,
Et spreta incolumem vita defendere famam:
Polliciti servare fidem, sanctumque vereri
Numen amicitiæ, fores, non munus amare.
Artibus his, totum fremerent cum bella per orbem,
Nullaque non leges tellus mutaret avitas (bene,
Externo subjecta jugo, gens una vetustis
Sedibus antiqua sub libertate resedit.

Hoc rerum usu edita omni seculo exempla literarum monumenta continet, & posteris imitanda tradunt. Sed quid vobis fabulosa Deum, obsoleta Heroum, longin-

qua exterorum, aut aliena etiam civium exempla proponerem? habetis domi uterque in Penatibus ceras veteres, prolixa stemmata, plena atria propriis, propinquis, certis, evidentibus summæ virtutis & gloriæ exemplis adornata. Huc læti respicite, his parentate pii, hæc observate æmuli, hæc morum quoque filii imitamini, hæc à vetustatis, & oblivionis injuria grati vindicate, & nova luce illustrata posteris tradite magnifici. Macti mei Dioscuri: quo vos tot illustrium retro Majorum exempla ducunt, quo tot ante bonorum spes & vota ferunt, quo tanti in utroque relucentis animi ardor & studia rapiunt animosi contendite, pergite alacres, & felices tandem evadite. Ut una singulari nuncupatione vos compellarem, Ephebi Nobilissimi, maxime me moverunt: Primo vestra adeo per omnia similis conditio, ut uterque nisi alter idem sit, & qui utrum vis dixerit, utrumque significarit. Ac mihi quidem sæpe de altero cogitanti & loqui volenti alterius appellatio & titulus non tam temere excidit, quam imaginis similitudine decepto incidit, pro Aranio Lornæus, pro Lornæo Aranius.

Haud aliter summo gemini cum patre Lacones
Progenies Ledaa sedent, in utroque relucet
Frater.

Dein

Dein dulcissima subiens memoria Atavorum vestrorum Jacobi Araniæ, & Archibaldi Argathæliæ Comitum (quam felix etiam nominum augurium!) ante annos centum duodecim ad rem Religionis, Regni, & Reip. consilio, ope, & exemplo suo restituendam, componendam, firmandam, ac promovendam pulcherrime conspirantium, & amico fœdere certantium.

O bene signatum fraterno nomine tempus!

Denique par meum utriusque studium plurima Nobilissimorum parentum vestrorum gratia, multisque tuæ, Aranie, familiæ in me officiis & meritis devinctum, diuturna vitæ consuetudine, à prima ætate vestra confirmatum, novis subinde officiis auctum, nec nisi cum extremo spiritu extinguendum.

Nulla dies unquam nostrum divellet amorem:
Sed canis ante lupas, & taurus diliget ursas,
Et vulpem lepores, & amabit dama leanas,
Et prius æquoribus pisces, & montibus umbræ,
Et veteres desêrunt sylvis, & murmura ventis.

Quocirca ut vobis indulgendo quàm plurimis prodesse possim, hoc meum scribendi tyrocinium, libellum hunc, nec temere

ōccœptum, nec tumultuario compositum; vestris annis aptum, studiis utilem, animis in me meaque propensioribus gratum & jucundum vobis dico, permitto, nuncupo, ut si quem inde quis fructum legerit, id vestro nomini acceptum ferat: si quid omissum desideret, æquus meminerit quæsitum hic compendium, præterea nil promissum: si quid sequius explicatum culpet, quos secutus sum Authores corrigat, aut meliora quærenti veniam det: ni methodus placeat, id mihi soli tribuat: inc œptum ipsum sola necessitas quo evicit telo eodem vindicabit. Testatur Joachimus Camerarius in vita Philippi Melanchthonis, eum pueros parvulos summo amore complexum, & naturæ hanc affectionem in ipso impetratam (legendum forte *imperatam*) fuisse; neque, quo iis prodesset, suo in re ulla labori pepercisse, aut humillimum scribendi argumentum spreviſſe. Hic ille fuit Germaniæ Phœnix, Christianæ eruditionis palma, humanitatis apex, & orbis deliciæ. Sed quid Philippum loquor φιλάνθρωπον? Ipse Θεάνθρωπος pariter ac φιλάνθρωπος CHRISTUS, pater seculi inter mortales agens, hac tenellæ ætatis charitate insignis extitit; ac jam in suæ apud patrem gloriæ fastigio positus, Sanctus DEI Puer appellari gaudet, *Act.* 4. 27.

Pri-

Primitiis gaudent latis cœlumque solumque;
Sacra petit cœlum, nos juvat omne novum.

Angeli item puriſſimi ubique puerili forma & habitu picti mortalibus innotescunt eam cœleſtis animi vim ſignificante, & vitæ ſanctitatem, quam ego arcanorum veſtrorum conſcius, & teſtis interior hactenus in vobis lætus ſenſi, & indies auctam, atque ad extremum continuatum iri ſpero, ac DEUM Opt. Max. ſuppliciſſimis votis flagitans jugiter rogabo.

Nobiliſſimæ dignitatis, & rei veſtræ ſtudioſiſſimus,

TH. BELLUS.

IN AUTHOREM ET OPUS.

MUsa stupet, trepidisque premit præcordia fibris,
Antiquum lustrare decus: seu bellicus ordo
Progreditur, molesve tumet speciosa Theatri:
Sive triumphatis resonant Capitolia pompis:
Hæc oculos animosque tenent, ubi Roma resurgit
Auspiciis redivivæ tuis; ubi fronte verenda
Erata fonte suo stat conspicienda Vetustas:
Quantum Roma tibi, tantum tua gloria Roma
Debuit, & quantum Ducibus sua Roma vetustis
Contribuit virtute decus, tantum ardua Romæ
Cessit inextinctis extincta potentia fastis.
Te poscit tua Roma, suum te Scotia civem
Vendicat: at fortes Decios, Mariosque potentes
Prædicat indomus miratrix Roma Camilli.
His patriam tutari armis, patriæque decorem
Cura fuit; tu mersa suis monumenta tenebris
Eruis, antiquæ renovans primordia Romæ.
His patriæ tibi surgit honos, hæc sæva vetustas
Invidet arcanis non esse sepulta tenebris,
Nec mortis ditione premi; sed provida virtus
Annorum inconcussa minis hæc laudis avitæ
Asserit æternis sibi consecranda trophæis.

GULIELM. STUARTUS OCHILTRIUS.

THO-

THOMÆ BELLO,

H. L. P. in Academiâ Edinburgenſi S.

QUos ad te, dilecte Frater, non ita pridem miſi verſiculos, raptim quidem illos & calente calamo fuſos, audio jam prelo ſubjici; quod licet fieri neceſſe ſit, non ſine aliquo meæ cujuscunque exiſtimationis diſpendio, condonabo forte, ut nihil non poſſum, perſpectæ tuæ in me voluntati & amicitiæ: tu videris ne de honeſtamento ſint potius quam ornamento inſigni tuo operi elogiorum ejusmodi non indigo; cum bono vino non opus ſit hedera. Quo tamen minus gravate feram facit, quod ſubaudiam ipſos à ſeverioribus Criticorum calculis communiri carmine vere heroico, vernantem authoris Genium redolente, eximiæ ſpei Juvenis D. GULIELMI STUARTI OCHILTRII, qui in laborantis & expirabundæ Poëtices incrementum, felice Mercurio, imo Numine propitio natus videtur. Quare tibi author ſum, imo & ſupplex, ut opuſculo tuo ſubjungas quam nuper expediit verſionem noviſſimam Pſalmi centeſimi quarti, expleto nondum anno ætatis decimo quinto, ut vel inde pateat, quantas ſpes faciat erectioris animi, & Poëticen ad ſupremum culmen etiamnum

non fuiſſe perductam. Patriæ honori, almæque veſtræ matris, quæ ſuo gremio tam genuinam & generoſam ſobolem fovet & complectitur, imo virtutis & literaturæ incitamento id non denegabis, neque importunitati votisque amiciſſimi tui,

GULIELM. CUMIN.

LEC-

LECTOR HUMANISSIME!

POSTQUAM Nobiliſſ. hujus carminis author ſumma Phœbi induſtria ad Poëſin factus & informatus, Muſisque propitiis natus, ſua ſponte, aut noſtro Præceptorum monitu themata ſubinde multa præclarè tentaverat, auſus eſt tandem non ſine Dis animoſus puer ſe rebus virisque magnis miscere, & in divinis Muſarum choreis, ducente *Buchanano*, teſtem ſequi; quo ſucceſſu, quâ ingenii laude, & ſpei effulgentis luce te arbitrum appello. Sunt hæ meſſis uberioris primitiæ, hæc victimæ, polluctæ prima libamina, hoc operis, quod molitur, perfecti ſpecimen antecedaneum. D. O. M. indulgentiâ largus pulcherrimum ſanguine & cognomento regio ornamentum, certiſſimum rei literariæ præſidium, ſuum Muſis delicium, nobis ſcholæque noſtræ dulce rarumque decus diutiſſime conſervet, melioribus uti ſatis det, opibus mactet, proſperet.

T. B.

PSAL.

PSAL. CIV.

Eia patrem caue, pange Deo præconia laudum
Mens cognata polo, quem majestate serenat
Oris honos, redimitque sacris circumflua pennis
Gloria, sidereo trabeatum lucis amictu,
Ille sibi ætherii subsellia firma theatri
Imbri feris contiguat aquis, & celsus in axe
Nimbijugo dat lora volans, vehiturque quadrigâ
Æriâ, ventos frænans auriga jugales.
Aura levis promptis mandata capessere pennis,
Flamma voraxque sacras ulcisci accingitur iras.
Fulta suæ molis solido fundamine tellus
Stat nullâ violanda manu, quondam obruta tellus,
Æquora cœruleo tegerent cum culmina velo:
Voce tua rumpente moras, varioque tumultu
Horrisono reboante polo, stupefacta repente
Fulmineas tremuere minas, testante pavorem
Terrificum refugo præscripta in mœnia fluctu.
Cernere erat venis montes juga nuda solutis
Tollere, & ad positas valles descendere metas;
Et laceros undare sinus, vallesque per imas.
Irruere è mediis argentea flumina saxis.
Néve iterum terras perruptis undique claustris
Hauriat indomiti diffusa licentia ponti.
Comprimis instabiles resono molimine fluctus.
Perque humiles passim sinuoso tramite valles
Præcipites volvuntur aquæ, prærupta secantes,
Quas onagri pecudesque bibant: hic remige pennâ
Vecta per alticomæ spatiantia brachia sylvæ
Implumem fovet ore larem, ramosque frequentans

Avia

Avia mulcit avis tremuli discrimine cantûs.
Montibus imbibitur gelidis argenteus humor
Nectaris ætherii: sensim & cum fœnore multo
De terra locuplete penu genialia surgunt
Semina, vitales animoanda vigoris in usus:
Unde avidæ fœnum pecudi, mortalibus herba,
Et munus Cereale datur; mentemque gravatam
Bacchi animans genialis honos, & succus Olivæ
Exhilarans rutilum diffuso lumine vultum.
Nec minùs & fœtus animal vegetabilis humor
Arboreos, Libani cedro sua tecta virenti
Concelebrat pennata cohors; tibi pinea surgit,
Cui sobolem, creduque pios Crotalistria nidos.
Sic silices lepori; sed Echino concava saxi
Indulgent facilem tranquillâ pace quietem.
Tu Lunare decus stabilis dæ temporis ortu
Instabiles lunare vices, & sidus Eöum
Clara renascentis reserans spiramina lucis,
Hesperio recubare toro: tunc, cum urget in astra
Præcipitem lux prona diem, cava tecta relinquit
Quadrupedum sylvestre genus, catulique Leonum
Ore fremunt, poscuntque vagis alimenta querelis.
Cum croceis invecta rotis aurora resurgens
Sparserit in totum radiis nova lumina mundum,
Cæca cavernosi subeunt penetralia saxi:
Fervet opus, semperque hominum manus emicat ardens,
Dum ruit, & fuscis nox terram amplectitur alis.
Mens mundi, rerumque parens, quam mira patrasti,
Cuncta movens, mota amplectens, amplexa gubernans!

Da-

Dædala nec tantum ſentit tua munera tellus
Omnigenis diffuſa bonis; ſed & undique fluctus
Æquora, quæ medias lambunt circumſona terras,
Tam patulo complexa ſinu: quæ remige pinna
Concelebrat pinnata cohors, ſulcantque per undas
Fluctivagæ vada ſalſa rates: ubi grandia cete
Humida ſpumificis turbant cryſtalla choreis.
Incumbunt hæc cuncta tuæ, pater optime, curæ,
Temporibus ſatianda ſuis: te dante renident,
Et dextram pandente legunt; condenteque vultum,
Prorſus in obſcuris tabeſcunt cuncta tenebris.
Te vitam tollente, fugit modo corporis artus
Spiritus, & tenues ſenſim vaneſcit in auras:
Vitales affiante auras, generoſa reſurgit
Progenies, tacitasque novat gens aurea terras.
Gloria perpetua Domini, renovanda juventa
Floreat; æternamque operi dei ferre coronam:
Quo radiis fulgente vagis, conterrita tellus
Intremuit, trepidisque fluens de montibus ater
Undabat tangente vapor. Te proſequar uſque
Laudibus, hæc lutea dum putris fabrica maſſa
In cineres reſoluta cadat: fatalis at ima
Impietas de ſtirpe ruet ſine ſemine: ſed mens
Eia patrem cane, pange Deo præconia laudum.

GUL. STUARTUS OCHILTRIUS.

VATICINIUM.

Nobilis hic juvenis, ſi vitæ ſtamina ducat,
Caſtalidaſque colat, carmine clarus erit.

J. A.

Ami-

Amico unice & in paucis charo,

D. THOMÆ BELLO

Philologiæ Professori in inclytâ Academiâ JACOBI REGIS Edinburgenâ, cum de Antiquitatibus Romanis tractatum in lucem ederet,

S. P. P.

PErmultis memorande mihi, dignissime frater,
Nominibus, primos internumerande sodales,
Consortes quos junxit amor, tu charus Orestes,
Fidus ego Pylades mihi gaudeo, lætus amico
Gratulor ingenium felix, sortemque secundam:
Quod Spartam inprimis palmam virtutis honestam
Illustres virtute pari, gravitate modesta,
Incumbens vigili cura, probitate fideli,
Ut secli venientis honos, spes florida, surgens,
Auspiciis formata tuis, generosa juventus
Sedulo virtuti, studiisque assuescat honestis,
Dumque ex officio veteris vestigia Romæ
Eruis, & secto propinæ prisca moderno,
Urbis & imperii fuerint quæ sacra, profana,
Quid belli factumve togæ, quæ jura sepulchris,
Conjugiis, ludis, mensis, ut cætera mittam,
Quanta tibi à patriis debetur gratia Musis!
Ante erat eloquii Romani Scotia limes,
Te mensore, capit jam totam Scotia Romam
Limite tam parvo, fœde sine fœcibus urbis.
Jam Tacitus tacitus *quondam, jam Livius ingens,*
Tranquillus, Florusque patent, jam Cæsaris arma
Sive Senatoris clavum, sellamque Curulem
Nosse datur, lituum Numæ, trabeamque Quirini.

Quæ-

Quæque voluminibus vastis complectier antè
Tentárunt latè, Dempſterus, & ipſe Roſinus,
Lipſius, & noſtras Goodwinus, lector habebit
Hoc comprenſa brevi manuali cuncta libello.
Maſculo & ingenii partu, fœtuque virili
Craſſa ſuſurronum bello maledicta refutas,
Quippe Palæmonias artes pedantica vocum
Inſulſo Arcadici dicunt trivialia ritu.
Agnoſco gratusque lubens quòd denique, frater,
Promoveas noſtras iſto molimine curas,
Dum prætextato, virtutis ut ardua carpat,
Injicis igniculos, ſtimulos, animosque viriles,
Herois ſoboli (ſit non ſine numine votum!)
Nobilis Argadiæ Comitis, quod nomen honoris
Nomine jam liceat tenui memorare cothurno,
Illius (& meminiſſe juvat) datur ora tueri
Interdum, & doctas audire & reddere voces;
Dum recolit Romæ quæ rudera, Relligione
Viderit antiqua multos ſervata per annos,
Quosque triumphales arcus, quæ templa deorum
Ethnica, quæ divis, mutato nomine, ſacra
Vana ſuperſtitio (pudet heu opprobria) fecit.
Scilicet haud aliud Papiſmi eſt putrida maſſa
Quam farrago, chaos, rudis indigeſtaque moles,
Et gentilismi tætris transfuſa lacunis,
Pontifices, Salios, videas cum Flamine fratres,
Purpureosque patres, Veſtales, luſtra, Lupercos,
Hinc & Chriſticolæ, prohl! Bacchanalia vivunt.
Quam vellem, ſi quis ſecum componeret urbem
Εωλάλοφον, dominam mundi, veterémque novámque;
Eſſe quoque in fatis quem pagina ſacra revelat,
Adproperet DEUS ipſe diem, quo dedecus orbis
Magna parens ſcelerum, ſtuprum, ſentina, cloaca,
Imponens mundo Babylon, impoſtaque ſeptem
Montibus, ipſa ſuis celebretur Roma ruinis.
Tutamen interea frater chariſſime, ſalve;
Vive DEO & patriæ, melioribus utere fatis:

Sic

Sic tibi tu vives, monumentum erit iste libellus
Pyramidumque situ solidoque perennius ære:
Et postquam impostor mitratus, splendidus ostro
Rex Capitolinus, Tarpeias desinet arces
Scandere cum tacita moniali virgine Vestæ,
Fundetur patrium crescens tua fama per urbem.

G. CUNINIUS.

Dabam Sterlini pridie
Idus Decembreis.

Votum Anno Resp. ex Apoc. 18.

RoMa DIV tIr Vbans Papæ opto CorrVM aVLa.

SangVIne sanCtorVM foeDa, sVperba LVIt.

IN

IN ELIMATUM

Hoc

ROMANARUM ANTIQUITATUM

Breviarium Ἐγκαρπιαστικόν.

SI Romam quis nosse velit, gentemque togatam,
Hic breviter codex perspicueque docet.
Perdius hunc, studiosa cohors, pernoxque revolve,
Quæque tenet memori condita mente tene.
Cum jucunda leges, queis delectabere, multa;
Commoda tum studiis comperiere tuis.
Incrustat geminum sic una fidelia murum,
Utilibus mistum quando suave vides.
Quòd si sine doctiloquùm capies haud carmina vatum,
Veriloqui nequeunt historicique capi.
Sunt quibus illorum passim monumenta referta,
Quæ rudis haud capiet dum monumenta capis.
His sin posthabitis secteris inania rerum,
Haud dubie studiis damna dolenda dabis.
Hic etiam sacri retegens mysteria verbi
Inveniet studiis non aliena suis.
Insuper armisoni soboles generosa Gradivi
Hinc licitis discet ludere castra dolis.
Denique quî minitans sacris patriæque ruinam
In rapidis fuerit mersus Iberus aquis.
Macte animi, virtutis iter quo carpere belle
Belle queas, Pylii sint tibi secla senis.

J. A.

ROMA RESTITUTA,

SIVE

ANTIQUITATUM ROMANARUM COMPENDIUM ABSOLUTUM.

LIBER PRIMUS.

CAP. I.

NON *Nili* illius Ægyptiaci, quàm Mundi hujus universi ortus, omnibus divinitùs non edoctis hominibus, hominum sectis & gentibus, obscuriores semper extiterunt. Etenim mundi exordium ipsos Gentilium Coryphæos, mirum! quemadmodum latuit, lusit, & miserrime excruciavit. De hoc enim Philosophi, Poëtæ, Mythologi, Sacrorum Mystæ, Antistites, aliique primâ ab origine mundi multa quæsiverunt, disseruerunt, disceptârunt, conjectârunt, divinârunt, delirârunt, errârunt; hariolati, hallucinati, nugati, fabulati, & inaniter commenti sunt. Verùm nos ex hac ignorantiæ caligine, ex hoc erroris & trepidationis metu, ex his ambiguitatis angustiis, ex his incertitudinis & conflictantium opinionum cruciatibus eripuit illa ab alto veniens, in tenebris splendens lux sacris eloquii divini oraculis prodita, & Scripturis sacris olim consignata; hâc enim

de mundo edocti sumus, *quòd, quando* & *quampridem* à Deo, ex nihilo productus seu creatus sit: quomodo, ob grassantia Incolarum scelera, hic orbis terrarum inferior, immisso aquarum diluvio, periit, & Deo peccatorum vindici pœnas dedit gravissimas: ex quibus tamen aquis emersit, enatavit, atque eluctatus, caput denuo exeruit, & misericordiâ Dei benignissimi quasi renatus, ortus secundos sortitus est. In mundo hoc redivivo & revirescente floruerunt, & sibi invicem successerunt quatuor Imperia, sive Monarchiæ latè per totum mundum celebratæ: scilicet Babylonica, Persica, Græcâ, & Romana. Hæ quatuor Monarchiæ, suo quæque tempore, suam cum imperio linguam, suas leges, suos ritus, atque instituta sua mundo à se devicto intulerunt; & sub posteriore remansit semper aliquid à priore acceptum. Ex his quatuor Monarchiis postrema Romana hodieque obtinet, & quanquam non floreat aut vigeat, vivit tamen utcunque animam agens angustam, & in familiâ Austriacâ apud Germanos residet præcipuè. Hujus Monarchiæ lingua Latina, hujus mores, leges, & instituta suas jam obtinent vices, & in usu posita sunt præcipuo. Quocirca convenit ut Antiquitates præcipuè Romanas exquiramus & summo recolamus studio.

Priusquam res Romanas in specie pertractandas aggrediamur, pauca in genere dicenda sunt de Calendario, Urbe, & Populo Romano.

CAP. II.

De Calendario Romano.

TEMPUS res omnes surgentes, stantes, cadentes sic regit & circumstat, ut in iis rectè recensendis meritò primum locum vendicet atque occupet. Quapropter

propter pauca de Tempore, & Calendario temporis cuſtode & indice principio dicenda.

Calendarium conficiunt Anni, Menſes, Dies.

CAP. III.

De Annis.

DE Annis dicendum, ut componuntur, & ut computantur. Annus quoad compoſitionem eſt triplex: Annus Romuli, Annus Numæ Pompilii, Annus C. J. Cæſaris, qui vocatur Annus Julianus.

Annus Romulianus à Romulo ordinatus habuit menſes decem, dies tercentum quatuor.

Annus Num. Pomp. duodecim menſes habuit, dies 354.

Annus Julianus ex diebus 365. & quadrante conſtitutus eſt.

Annus & Romuli & Numæ rejectus eſt, quoniam Solis curſui & Lunæ rationibus non ſatis conveniebat, neque ratas anni tempeſtates ſatis fideliter deſignabat. Horum annorum errores cum deprehenderet C. J. Cæſar, ipſe annum ſic reſtituit. Menſes ſervavit duodecim, quibus ſuum dierum numerum adaptavit, prout res maximè poſtularet. Sed ex quatuor, quos diximus, quadrantum collectione, evenit, ut elapſo quarto quoquo anno, fiat intercalatio, ſive interjectio unius diei ex iſtis quatuor quadrantibus compoſiti. Iſta diei intercalatio fiebat poſt 6. Cal. Mart. & quoniam noluerunt menſis Februarii numerum hujus diei augmento mutare aut dies 29. accenſere (prout nobis uſu jam venit anno Biſſextili) fortè religione prohibiti, aut quia Faſtorum ratio ſine inſigni perturbatione id non ferebat, ideo diem intercalarem bis recenſere maluerunt, bis ſcilicet recenſendo 6. Cal. Mart. Inde & annus, & menſis, & dies Biſſextilis dicitur, ſive Intercalaris.

Annorum computationem exhibent variæ Gentium & populorum Æræ.

CAP. IV.

De Æris, seu variis Annorum computis.

ÆRa plur. neut. significant calculos æneos: ea vox sing. fœm. significat ipsam computationem, seu computationis rationem aut summam.

Æræ insigniores apud Historicos & Chronologos septem occurrunt.

Æra 1. universalis, & omnium gentium communis, vocatur Æra mundi: & in rebus recensendis sic notari solet A. M.

Æra 2. Judæorum propria, vocatur Jubilæorum. Initium habuit A. M. 2609. anno circiter decimo Othoniëlis Judicis Israëlitici. Singuli Jubilæi continent annos 50. ut constat ex institutione sacrâ.

Æra 3. Græcis propria, est Æra Olympiadum, initium faciens A. M. 3228. quo tempore Olympia sive Ludi Olympiaci (ab Hercule primùm in honorem Jovis instituti) ab Iphito demum restituti fuerunt. Olympias Græcis, ut Latinis Lustrum continet & significat quinquennium, sive quinque annorum spatium: nam Græci sua Olympia, ut Latini sua Lustra, quaternis singulis elapsis annis peragebant. Quid autem Olympia, quid Lustrum proprie & re ipsâ significet, dicendum restat, cùm ad res Theatricas, sive Ludicras deventum fuerit.

Æra 4. Romanis propria, appellatur Æra Romana: & pro diversis Epochis, sive periodis diversimodè notari solet; 1. Ab anno U. C. qui fuit A. M. 3256. 2. Ab annis Regum. 3. Post Regifugium, sive post Reges exactos, ab annis Consulum: & sic notari solet e. g. Cn. Pompejo, M. T. Cicerone Coss. i. e.

Con-

Consulibus. 4. Post exactos Consules & mutatum Reip. statum rursus in Monarchicum, ab Imperatorum annis tempora designari cœperunt. Hæc æra etiamnum obtinet apud Gentes & populos Imperio Rom. subjectos, & Cæsaribus subditos. Hujus æræ sive Computi exemplum illustre habemus apud D. Lucam Euangelistam, *cap. 3. vers. 1. Anno autem decimoquinto Imperii Tiberii Cæs.* &c. Æram huic similem & affinem retinent aliorum etiam populorum Reges alii in rescriptis, edictis, & mandatis suis consignandis: e. g. est hic annus Regis nostri augustissimi vigesimus quartus.

Æra 5. Assyriorum, sive Chaldæorum propria, vocatur Æra Nabonassaris, initium faciens cum regno Nabonassaris (aliàs Salmanassaris) Regis A.M. 3276.

Æra 6. verè aurea, nobis & omnibus ubique gentibus felicissima est *Æra Christiana*, ortum habens à natalibus D. N. J. C. A. M. 4004.

Æra 7. Historicis satis, fortè nimis celebrata, est Ægyptiaca, & vocatur Æra Dynastiarum. Has nos Dynastias, si non ut meras fabulas, tamen ut nimiùm fabulosas, quippe ab Authoribus suis ad plurima ante mundum secula deductas (si vera est fama) missas facimus, & suis antemundanis tenebris remittimus.

Hactenus de Annis dictum & ut componuntur, & ut computantur: dicendum restat, quomodo scribantur, seu quibus modis notis committantur istæ annorum computationes; & sic Literarum numeralium usus docendus est.

CAP. V.

De Literis Numeralibus Romanorum.

OMnis Numerus apud Latinos septem literis absolvitur; quæ ob id Numerales appellari solent. Hæ septem literæ sunt M. D. C. L. X. V. I. Quæ, quo scribuntur ordine, illum Astrologis decantatissimum & mirabilem dictum annum 1666. quo hæc doceri cœpta sunt, nescio quî exhibeant: det Deus augurium. Harum literarum tres priores majores numeros indicantes rationem usûs sui certam habent: non item quatuor posteriores. M. enim mille denotat: D. dimidium mille, seu quingenta: C. centum; primâ scilicet literâ capitali pro totâ voce positâ: L. quinquaginta: X. decem: V. quinque: I. unum; sed ob rationem nimis incertam. Variat harum literarum usus pro vario quem obtinent loco in numeris describendis e. g. M C. mille & centum; C M. nongenta tantum indicant: D C. sexcentum; C D. quadringenta tantum significant: L X. sexaginta; X L. quadraginta tantum: X I. undecim; I X. novem: V I. sex; I V. quatuor tantum denotant. Quos nonnulli nimis scioli, literarum numeralium sensus nescio quos Cabalisticos effingunt, & figmenta omnia indè excusa nos prorsus rideamus, rejicimus, & nihili putamus. Frustra igitur sunt illi qui literas numerales adeo superstitiosè observârunt, ac si personæ aut res quævis numeralibus nominis sui literis descripta haberent sua fata. Sic de annis componendis, computandis, denotandis. Sequuntur Menses.

CAP.

CAP. VI.

De Mensibus.

Menses à metiendo dicti, quòd metiantur annum, ex instituto Romuli decem tantùm fuêre: quorum hic ordo erat. Primus erat Martius; deinde Aprilis; Maius, Junius, Quintilis, Sextilis, September, October, November, December. His Numa Pompilius duos alios adjecit, ut duodecim Menses essent, Januarium videlicet & Februarium.

Januarius à Jano Deo dictus: Quòd sicut Janus est bifrons, & præterita & futura videt, ita hic mensis respiciat ad finem transacti anni, & principium futuri. Ut Romulus vir bellicosus & Martis filius Martium cæteris mensibus præposuit, sic Numa Pomp. pacis studiosus, & Cives à re bellicâ ad agriculturam & vitam mansuetam transdere cupiens, Januario principem locum assignavit, in honorem Jani, ut qui civilis vitæ ac terræ colendæ quàm belli fuerit studiosior. Vel annum ab hoc mense incepit Numa ad naturæ potiùs ordinem respiciens: cùm post Brumam Sol progrediendi fine facto convertatur, & ad nos cursum reflectat, ac quasi de novo cursum suum incipiat: optimum judicavit, idem anni quod Solis esse principium: cui sententiæ accedit Ovid. sic canens.

Bruma novi prima est veterisque novissima Solis:
Principium capiunt Phœbus & annus idem.

Unde liquet, cum ratione & naturâ rerum optimè convenire initium anni factum à Januario, ut nobis in usu est; quod alii ad extremum usque Martium rejiciunt, ut Angli vicini, quâ ratione viderint ipsi. Hic mensis in Junonis tutelâ erat.

Februarius, à Romulo præteritus, & à Numâ additus,

ditus, nomen habet à Februo lustrationum Deo, cui à Numa erat dicatus. Necesse erat eo mense Civitatem lustrari: quo statuit ut Justa Diis Manibus solverentur. Tradunt nonnulli hunc mensem primitùs fuisse totius anni ultimum, sed non satis id probant. Solus hic mensis habet dies pares à constitutione Numæ: vel, ut universa putatio totius anni impar fieret, quod alioqui factum non fuisset, si hic etiam mensis imparem dierum numerum obtinuisset: putabant veteres, pro sua superstitione, numerum imparem gratiorem diis: unde dictum illud.

——— *numero Deus impare gaudet.*

Hunc numerum tam in anno, quam in singulis mensibus voluerunt: quod in Februario, propter rationem antè dictam, fieri non potuit. Erat hic mensis intercalationi destinatus, & ideo Intercalaris dictus: qua de re priùs. Fuit autem in tutela Neptuni.

Martius, quondam primus, nunc tertius mensis ordine, sic dictus à Marte, quòd is erat Romuli pater, & quod multa erat illius gentis in re militari alacritas. Fuit hic in tutela Minervæ.

Aprilis, quasi Aperilis, quòd ver omnia aperit, fuit in tutela Veneris.

Majus, ut quidam volunt, à Majoribus populi, ut & Junius à Junioribus, post factam populi divisionem à Romulo. Vel à magnitudine & majestate Jovis, qui à Tusculanis vocabatur Deus Majus. Vel à Maja Vulcani uxore cui Sacra fieri solebant Calendis Majis. Vel à Maja Mercurii matre, quod hoc mense Mercatores omnes Majæ pariter Mercurioque sacrificabant: sed contendunt alii hanc Majam, cui mense Majo res divina celebratur, Terram esse, hoc nomen adeptam à magnitudine, sicut & Mater Magna in sacris vocatur. Testatur Festus hunc mensem in compluribus Civitatibus fuisse ante urbem conditam. Est qui appellationem deducit à veteri Cimbri-

ca

ca voce *Mai*, sive *Maji*, quâ omnis viror plantarum significatur, quòd hoc mense omnia virescant & floreant. Fuit hic mensis in tutela Apollinis.

Junius, dictus aut ex parte populi, ut suprà; aut quasi Junonius, nam ædes Junoni Monetæ Cal. Juniis dedicata est: vel à Junio Bruto primo Consule, quòd hoc mense i. e. Cal. Juniis pulso Tarquinio sacrum Carnæ Deæ in Cœlio monte voti reus fecerit. Fuit hic mensis in tutela Mercurii.

Quintilis, quòd à Martio quintus esset, hoc nomen retinuit etiam tum, cum Numa Pomp. reliquis decem mensibus à Romulo institutis duos alios Januarium viz. & Februarium addidisset, & Januarius primus anni mensis esset. Postremis temporibus idem mensis Julius appellatus est à C. Julio Cæs. qui eo mense natus ferebatur. Fuit in tutela Jovis.

Sextilis, à Martio sextus; postea Augusto Imperante in ipsius honorem, Augustus est appellatus. Hoc nomen cùm alii Septembri, quo mense Augustus erat natus, indere vellent, ipse Sextilem prætulit, quòd eo mense primùm Consul factus, ac eo multis magnis præliis victoriâ potitus esset. Hic in Cereris tutela erat.

September dictus quòd septimus esset à Martio: quemadmodum testatur Varro menses reliquos à Junio ad Decembrem usque à numero dictos. September autem dicitur non tantum quòd à Martio septimus numeretur, verumetiam ob imbrium frequentiam, & aëris turbationem, quæ sub initium Autumni accidere plerumque solet; haud aliter ac reliqui menses ad finem usque anni suas appellationes antiquitùs nacti sunt. Hic mensis in Vulcani tutela fuit.

October appellationem habens, ut supra, in Martis.

November in Dianæ.

December in Vestæ tutela fuit.

CAP. VII.

De Diebus.

NIhil nobis cum die Aſtronomorum Naturali, & Artificiali: ſed agendum eſt de Civili, qui eſt ſpatium 24. horarum apud Romanos pertingens à media nocte ad proximam mediam.

De Diei Romani partibus primò dicendum eſt: deinde de dierum differentiis.

Diei partes primùm duæ apud Romanos erant, Antemeridiem & poſtmeridiem. Alii poſtea eundem in quatuor partes, ſicut & noctem ſimiliter, diviſerunt: id quod teſtatur ſimilitudo illa militaris, cùm dicitur vigilia 1. 2. 3. 4. Tandem verò plura Diei tempora & notata, & propriis diſcreta nominibus, quæ apud veteres Poëtas paſſim ſcripta inveniuntur. Sunt numero ſedecim. 1. Dicebatur media nox. 2. Mediæ noctis inclinatio, vel de media nocte. 3. Gallicinium, ſive Galli cantus. 4. Conticinium, quod tum & galli conticeſcerent & homines etiam quieſcerent: ſecundum illud Virgilii:

——— *ſuadentque cadentia ſidera ſomnos.*

5. Diluculum, cum incipit dignoſci dies. 6. Mane, cum eſt dies clarus: dictum autem eſt Mane, aut quòd ab inferioribus locis i. e. à manibus exordium lucis emergeret; aut ab omine boni nominis, quòd Lanuvini mane pro bono dixerint: aut, quòd malumus, à manando, quod tum manet dies ab Oriente. 7. Tempus antemeridianum. 8. Meridies, quæ ipſa eſt media diei pars, & tum etiam merus eſt dies. 9. Tempus pomeridianum. 10. Solis occaſus, ſive ſuprema tempeſtas, hoc eſt, noviſſimum diei tempus. 11. Veſpera, à ſtella Veneris quæ Græcis Ἕσπερος dicitur appellata, quod tum appareat illa.

12. Cre-

12. Crepuſculum, ſic forte appellatum, quod res incertæ creperæ dicantur: noctis an diei tempus ſit incertum eſt. 13. Prima fax, quod lumina tum accendebantur. Livius appellat *primas tenebras*: Horat. *prima lumina*: Juven. *Lucernas*. 14. Concubia nox, cum itum eſt cubitum. 15. Intempeſta nox, i.e. multa nox, quia tum intempeſtivum eſt quicquam agere: alii Silentium noctis appellârunt, ab eo quod ſiletur. 16. Inclinatio ad mediam noctem. Sic de diei partibus.

Dierum Genera & Differentiæ plurimæ fuerunt.

Dies alii Feſti, alii Profeſti, alii Interciſi. Feſti dicebantur, qui Diis dicati erant: Profeſti, qui Hominibus ad rem privatam & publicam adminiſtrandam conceſſi: profeſti dicti, ut Feſto placet, quod procul ſint à Religione Numinis divini. Interciſi erant Deorum Hominumque communes: quibusdam enim illorum horis fas erat, quibusdam non fas erat jus dicere.

Feſti dies dividuntur in Sacrificia, Epulas, Ludos, Ferias. Sic & profeſti, in Faſtos, Comitiales, Comperendinos, Statos, & Præliares.

Sacrificia ſunt, cum ſacrificia Diis offeruntur. Epulæ, cum Dii divinis epulationibus celebrantur. Ludi, cum ludi in Deorum honorem aguntur. Feriæ, cum feriæ aguntur. Feriæ ſunt vel publicæ vel privatæ. Feriæ publicæ ſunt quadruplices, Stativæ ſcilicet, Conceptivæ, Imperativæ, & Nundinæ.

Feriæ Stativæ ſunt univerſi populi communes, certis conſtitutis diebus & menſibus, & in Faſtis, ſtatis obſervationibus annotatæ.

Conceptivæ ſunt quæ quotannis à Magiſtratibus vel Sacerdotibus concipiuntur in dies vel certos vel etiam incertos.

Imperativæ ſunt quas Conſules vel Prætores pro arbitrio poteſtatis indicant.

Nundinæ ſunt Paganorum, i. e. ruſticorum, quibus conveniunt, negotiis propriis vel mercibus proviſuri.

Feriæ privatæ ſunt vel propriæ familiarum, ut familiæ Claudiæ, Juliæ, &c. vel ſingulorum hominum: ut natalium, fulgurum ſuſceptiones, funerum, atque expiationum.

Faſti ſunt quibus licet Prætori fari tria verba ſolennia juris, *Do*, *Dico*, & *Addico*: quibus contrarii ſunt Nefaſti, cum hæc ſolennia verba Prætori non liceret fari. Comitiales, quibus liceat populo ſuffragiis agere. Comperendini, quibus vadimonium licet dicere. Stati, qui judicii cauſâ cum peregrino inſtituuntur. Præliares erant, quibus fas erat res repetere vel hostem laceſſere. Ut diebus Faſtis Nefaſti, ſic præliaribus non præliares erant oppoſiti.

CAP. VIII.

De Calendis, Nonis, Idibus, & earum computatione.

ROmani ex ordinatione Romuli ſingulos menſes diſtribuerunt in partes, ſcilicet Calendas, Nonas, & Idus.

Calendæ ſunt primus cujuscunque menſis dies, dictæ à verbo Græco καλέω, i. e. *voco*, quo etiam priſci Latini frequenter uſi ſunt; & ideo dictæ, quòd his diebus ejus menſis Nonæ à Pontificibus calentur quintanæne an ſeptimanæ ſint futuræ.

Nonæ appellatæ ſunt, quod ab eo die ad Idus novem putentur dies, incluſive ſcilicet, ſive, quod Nonæ ſemper ſint nonus ab Idibus dies.

Idus habent variam & incertam nimis appellationis rationem. Vel enim vocabulo Tuſco ſic appellantur, apud quos idem dies Iris appellabatur: vel à verbo

verbo Græco *Idw*, i. e. *video*, ut Idus sit quasi Vidus, quod eo die plenam speciem Luna demonstrat; vel ab Etrusca voce Iduare i. e. dividere; quia Idus mensem dividunt, & plerunque in medium incidunt.

Ad computationem Calendarum recte instituendam Tria tantum notanda sunt. *Not.* 1. Hanc computationem esse retrogradam: nam ad Calendas mensis sequentis referuntur omnes mensis antecedentis dies post Idus; ab Idibus retrò imus ad Nonas; à Nonis ad Calendas. 2. *Not.* Quod quisque mensis diebus constet: nempe, Aprilis, Junius, September, November 30: cæteri 31. præter unicum Februarium qui 28; præterquam quòd anno bissextili unum intercalet diem, qui conficit 29. 3. *Not.* Quot quisque mensis Idus habeat & Nonas: quod hi docent versiculi.

Majus sex Nonas, October Julius & Mars:
Quatuor at reliqui. Dabit Idus quilibet octo.

Sit hujus computationis exemplum hoc. Calendæ Majæ sunt primus Maji dies: tricesimus primus sive ultimus Maji dies est 2. Cal. Junii, sive pridie Cal. Junii. Ultimus Cal. Junii, est postridie Idus Majas i. e. dies 16. Idus Maji sunt ejus dies 15. Decimus quartus est secundus sive pridie Iduum: octavus sive ultimus Iduum Maji est postridie Nonas, sive dies octavus. Nonæ Maji sunt ejus dies 7. Secundus sive pridie Nonarum est 6. ejus dies: Sextus sive ultimus Nonarum Maji est postridie Cal. Maji, sive dies 2. Est igitur dies 28. Januarii (quo hæc scripta) ex computatione Calendarii 5. Cal. Febr. Et sic de Calendario Romano.

CAP. IX.

De Urbe Româ.

URbs fundamenta jecit Romulus II. Cal. Mart. inter secundam & tertiam horam ejus diei; anno qui supra. Dies ille patriæ natalis habebatur: idcirco eo die fine sanguine sacrificabant, & pastores in agris Palilia celebrabant, unde Poëta,

Urbi festus erat, dixêre Palilia patres:
Hic primus cœpit mœnibus esse dies.

Cœpit primùm Roma in monte Palatino extrui: cui deinceps adjecti sunt alii sex montes, in quibus montibus sita Roma Septicollis dicitur. Unde Ovid. Trist. lib. 1. Eleg. 4.

Sed quæ de septem totum circumspicit Orbem
Montibus, imperii Roma Deûmque locus.

Hi septem montes sunt Palatinus, Capitolinus, Quirinalis, Cœlius, Esquilinus, Aventinus, Viminalis. In monte Palatino posita semper erat imperii Romani sedes, quæ ab hoc monte Palatium appellata est: hinc ædificia quævis magnifica Palatia dicuntur. Erat in hoc monte Asylum sive locus perfugii: cujusmodi in multis aliis gentibus fuisse etiam legimus: unde ortæ sententiæ, *Ad te tanquam ad Asylum: Ad te tanquam ad aram confugimus.* Huic Asylo simile est apud nos perfugium in Palatio regio concessum, non quibusvis facinorosis deterius peccantibus, sed tantum decoctoribus ære alieno obrutis; ad tempus.

Mons Capitolinus, à Capitolio sic dictus, vocabatur etiam Tarpeius, & Saturni mons. Erat in hoc monte Tarpëio rupes Tarpeia, præruptus & projectus sc. locus, unde facinorosi præcipitari solebant: cui similis erat locus Romæ dictus Gemoniæ Scalæ: unde

unde *ad scalas Gemonias mitteretur*. est capitis damnare ut præcipitetur. Innitebatur huic monti Capitolium Romanum, quod, perinde ac ipse mons, [illegible] habet à capite. Toli ex hoc monte effosso dum fundamenta Arci iaciebantur.

De cæteris montibus nihil insigne notandum est. Unde nomina ducant, prolixum magis quam utile, & vix operæpretium erit dicere.

Septem prædictis montibus, à quibus utpote insignioribus, Roma Septicollis dicitur, adduntur alii tres montes minoris notæ, via collis Viminalis, mons Aureus, & mons Vaticanus: quorum ultimus celeberrima totius Europæ Bibliotheca Vaticana Pontificis Romani clarus est. Sic de urbe.

Cap. X.

De Populo Romano.

POpulum Romanum quod attinet, is ex multis gentibus congregatus sub Romulo in unum coaluit. Hujus populi varias institutæ divisiones à Romulo [illegible] ceps: quarum nos præcipuas attingemus.

1. Populi Romani divisio fuit in Senatores & Plebeios. Plebeii tunc temporis censebantur præter Senatores, alii omnes. Senatores dicebantur etiam Patres, Patroni, & Patricii. Senatores & Patres dicebantur, ob ætatem, gravitatem, & curam populi paternam: eadem etiam ob causam dicebantur Patroni. Patricii propriè sunt Senatorum filii, seu viri Senatoribus oriundi & Parentibus Senatoriis prognati. Senatores à Romulo primum electi erant tantum centum: & propterea calceum gerebant dimidiatis lunulis ornatum; est enim lunula dimidiata C centenarii nota. Centum hi à Romulo delecti Senatores

tores dicebantur *Majorum Gentium*. His à Tarquinio Prisco Romanorum Rege adjecti sunt alii centum di[illegible]*inorum Gentium*. Hanc Majorum & Minorum gentium appellationem Diis primum datam, & inde huic rei commodatam censemus: non aliud quam majorem aut minorem honoris gradum significare. His etiam liberata Rep. alios centum addidit Brutus, qui *Patres Conscripti* appellati sunt; quod in album Senatorum referebantur: hanc tamen appellationem universo Senatui & Senatoribus omnibus concessam plerunque legimus.

2. Pop. Rom. divisio est in Senatores, Equites, & Plebem. Equites, quanquam ab initio semper in Rep. Romana fuerunt (Romulis enim jactis urbis fundamentis, ut Reip. curam centum Senatoribus tradidit, sic Juniores mille numero armatos pro salute novi Regni excubare præcepit: unde miles à mille dictus) eorum tamen Romæ multis annis nullus fuit ordo, nulla autoritas, nullus census. Nam duo tantum erant ordines, Senatorius & Plebeius, usque ad Gracchorum tempora: quo toto tempore Equites Plebeiis accensebantur. Equitum Romanorum signum erat annulus aureus iis solis concessus, quo distinguerentur à plebe. Hinc Eques auratus, Miles auratus dicitur. Angusticlavio induebantur, i. e. toga purpurata ad similitudinem clavorum minorum. Laticlavium enim erat solis Senatoribus proprium. Cum Equites creabantur equum publicum acceperunt stipendio publico alendum. Et Equites & Plebeii à Senatoribus quamvis primùm distincti, posteà tamen fluctibus Reip. Senatui illati sunt.

3. Pop. Rom. divisio est in Nobiles, Novos, & Ignobiles. Hæc Civium Rom. divisio à Jure Imaginum est sumpta. Fuerunt enim Nobiles dicti qui Majorum suorum imagines habuerunt: qui suos tantum, non etiam Majorum imagines habuerunt, Novi: qui

vero

vero nec Majorum, nec ſuas habuerunt, Ignobiles: ita ut jus imaginum nihil aliud ſit quam jus nobilitatis. Eſt autem Imago inſignis alicujus viri ſimulacrum, oris ſimilitudinem artificioſe effictam, coloribus pigmentisque adumbratum referens, quod in inſigniori aut celebriori domus parte ligneo armario includebant. Non autem omnibus imaginem ſuam ponere licebat, ſed iis tantum qui Magiſtratus Curules geſſiſſent: quales primùm fuerunt Ædiles Curules, Prætores, Cenſores, & Conſules. Cumque hi Magiſtratus primum ſolis Patriciis patuerunt, ſequitur etiam ſolos Patricios jus imaginis habuiſſe. Poſtquam autem hi honores Plebi erant communicati, eos jus imaginis ſimul accepiſſe dubium non eſt. Magiſtratus Curules erant illi qui Rhedâ, inde Sella, Curulis dicta, ad Curiam vehebantur. Cæteri autem Judices Pedanei.

4. Pop. Rom. diviſio eſt in Optimates & Populares. Eſt autem hæc diviſio non ordinum, ſed factionum. Qui autem ſint Optimates, qui Populares docet diſerte *Cicero in Orat. pro Sextio*: ubi ſic ait. Duo genera in hac civitate ſemper fuerunt eorum qui verſari in Rep. atque ſe excellentius gerere ſtuduerunt: quibus ex generibus alteri ſe Optimates, alteri Populares & haberi & eſſe voluerunt. Qui ea quæ faciebant, quæque dicebant, multitudini jucunda eſſe volebant Populares; qui autem ita ſe gerebant, ut ſua conſilia optimo cuique probarentur, Optimates habebantur. Unde manifeſtum eſt, Populares cenſeri quosvis cives cujusvis ordinis multitudini ſervientes, ſive Patricii, ſive Plebeii, ſive Senatores, ſive Equites, ſive de Populo.

5. Pop. Rom. diviſio eſt in Servos, Libertos, Libertinos, & Ingenuos. Servus eſt qui ſervitutem etiamnum ſervit: qui ſervitutem aliquando ſervierat, nunc autem à Domino ſuo manumiſſus eſt, is Li-

Libertus est; seu, ut Plaut. *Festucâ factus*: qui parentibus libertis prognatus est, is Libertinus est: verum cujus, vel mater sola, vel uterque parens libertinus est, is Ingenuus est, sive Liber. Post autem Appii Cœci censuram, cœperunt Libertus & Libertinus pro eodem censeri. Tribus autem modis civitatis Romanæ libertatem homines adepti sunt. 1. Natu, qui Cives Originarii appellati sunt. 2. Donatione & cooptatione, cum aut homini, aut genti cuivis exteræ civitatis jus concessum est; qui Civitate Donati & Municipes appellati sunt: sic *Cæsar* totas gentes Civitate donavit, quas appellavit Municipias. 3. Manumissione, & hi propriè Liberi dicti sunt.

6. Pop. Rom. divisio est in Tribus, Curias, Centurias, & Classes. Harum unaquæque est priore minor & posteriore major. Populum Rom. in Tribus & Curias primùm divisit Romulus, qui tres tantùm constituit; unde Tribum dictam volunt nonnulli. Curiæ erant 30. nam unaquæque Tribus decem continebat Curias: ex Tribubus & Curiis constabant Comitia Tributa & Curiata. Centuriarum & Classium author & institutor fuit *Servius Tullius*: ex Centuriis constabant Comitia Centuriata. Classis erat Centuriæ tantùm subdivisio secundum facultates suas, aut censum, & locum quem in acie tenere solebant. Sic de Populo Romano.

LIBER II.

Cap. I.

De Rebus Romanis.

HIS de Urbe & Populo Romano in anteceſſum dictis, tranſeundum è veſtigio eſt ad Res Rom. tractandas & enarrandas.

Quatuor ſunt Rerum Romanarum ſumma capita, ſive genera. Vel enim. 1. Sacræ ſunt, vel 2. Civiles, vel 3. Militares, vel 4. Theatricæ, Ludiales ſc. ſive Ludicræ, i. e. ad Ludos ſpectantes.

In tractandis Rebus Sacris Rom. dicendum eſt, 1. De Diis. 2. De Locis Sacris. 3. De Sacerdotibus præcipuis. 4. De Sacrificiis, Ritibus, & Cæremoniis apud Romanos maximè uſitatis.

Cap. II.

De Diis Romanorum.

DEum dictum volunt nonnulli à dando, quòd Deus det omnia. Alii, quod ei nihil deſit. Alii, à Græco Δείδω, quod timorem, ſive metum ſignificat: Sic Statius: *Primus in orbe Deos fecit timor.* —— Plerique à Græco Θεὸς deducunt, quod derivant, vel à θέω, quod *currere* ſignificat. quia homines Cœlum, Lunam, Solem, & alia Aſtra, propter motûs & curſûs velocitatem, Deos eſſe putârunt, & coluerunt. Plures tamen à θεάομαι, quod eſt *video, intueor*; quod Deus omnia videat: quæ nominis ratio nobis placet imprimis. Ut de falſis Ethnicorum Diis teſtatur Juven. in clauſula Satyr. 14.

—— *Ver-*

——— *tandemque fatebere lætus,*
Nec surdum, ne Tiresiam quenquam esse Deorum.

Et multò veriùs Buchananus cum Psalte divino, de Deo vero canit *Psal. 94. ver. 9.*

——— *Deus*
Qui fecit aurem, surdus est? qui luminum
Formavit orbes, ipse nil videt?

Et optimè Poëta Græcus, ——— ἔχει θεὸς ἐνδικον ὄμμα.

Romani plures, plurimos (non pari in honore omnes, aut religione) habuerunt Deos. Nos omnes Rom. Deos in has Classes referemus.

In primâ Classe sunt, *Dii Majorum Gentium* dicti, propter majores in mundo administrationes, vel quod populis magnis innotuissent, majorque illis cultus adhiberetur: Dicti etiam sunt, Dii Consentes, & Selecti, quibus velut consiliariis Jupiter in maximis rebus agendis utebatur: sunt autem hi: *Janus, Jupiter, Saturnus, Genius, Mercurius, Apollo, Mars, Vulcanus, Neptunus, Sol, Orcus, Liber Pater, Tellus, Ceres, Juno, Luna, Diana, Minerva, Venus, Vesta*, numero viginti, in quibus duodecim mares, octo fœminæ. Optimi authores Marti adjiciunt *Bellonam, Victoriam*, & *Nemesin*: Veneri adjiciunt *Cupidinem, Adonim*, & *Gratias*, quas Græci Charites appellant: hæ pingebantur nudæ, quia gratiæ sine fuco esse debent: connexæ, quia indissolubiles gratias esse decet: quòd vero una aversa pingitur, duæ nobis obversæ, hæc ratio est, quia profecta à nobis gratia duplex solet reverti. Gratiarum nomina sunt Pasithea, Aglaia, & Euphrosyne, Jovis & Hermiones filiæ, Veneris famulæ. Nam teste Servio, veteres singulis Diis ministros inferioris potestatis addiderunt: ut Veneri Adonim, Dianæ Virbium: Gratiæ & Nympharum, & Musarum, & Veneris, & Venustatis erant comites, & etiam una cum *Suadâ*

& Mer-

& *Mercurio* collocari ſolebant. Genio vicina numina cenſentur *Penates*, *Lares*, Dii ſc. domeſtici, Dii præſides, & familiæ & rei familiaris cuſtodes, ut Genius ſingulorum hominum. Veteres unicuique homini duos attribuebant Genios, alterum bonum, alterum malum: hi Genii & Manes appellati ſunt: unde illud Virgilii.

Quæque ſuos patimur Manes. ——

Orco, ſive Plutoni adduntur reliqua Inferorum numina, *Parcæ* & *Furiæ*. *Parcæ* per antiphraſin dictæ, quod nemini parcant, tres ſunt, *Clotho*, *Lachefis*, & *Atropus*: quarum Clotho colum tenet, Lachefis fuſum, Atropus filum rumpit, vitæ ſtatum curſumque deſignantes: unde verſus ille,

Clotho colum retinet, Lachefis net, & Atropus occat.

Furiæ Erinnyes dictæ Plutoni itidem deſerviebant, quibus veteres commotæ mentis affectus adumbrabant, propterea[illegible] Deas exiſtimabant; ſemper verò virgines in prov[illegible]bio dictæ: quòd, cùm malefactorum ultrices ſint, facilè corrumpi nequeant quin etiam pœnas de delinquentibus ſumant. Erant autem tres Furiæ ſorores, *Alecto*, *Tiſiphone*, *Megæra*; quidam etiam quartam addunt *Lyſſam* i. e. Rabiem. De Furiis ſic ſcribit Iſidorus: ajunt & tres furias antiqui, fœminas crinitas ſerpentibus, propter tres affectus qui in animis hominum multas perturbationes gignunt, & interdum cogunt ita delinquere, ut nec ad famam, nec ad periculum ſui reſpectum habere permittant. Ira quæ vindictam cupit. Cupiditas quæ deſiderat opes, Libido quæ appetit voluptates, ideò furiæ appellantur, quod ſtimulis ſuis mentem feriant, & quietam eſſe non ſinant. De iis ſic Cicero: agitant & inſectantur impios Furiæ non ardentibus tædis ſicut in fabulis, ſed angore conſcientiæ. *Dea Fortuna*, licet in ſelectos Deos à veteribus non ſit numerata

merata, tamen ab iisdem vel potentissima fuit habita, & pluribus nominibus celebrata: id quod Juven. graviter sic reprehendit.

Nullum Numen abest, si sit prudentia; sed te
Nos facimus, Fortuna, Deam cæloque locamus.

Secundæ Classis sunt Dii dicti *Indigetes* vel quod nullius rei egerent, vel potius, quia ex hominibus in divinitatem pervenissent, & postea in Diis agerent: nempe, ex hominibus Dii facti sunt, quos sua in Cœlum merita vocârunt, ut author est Cicero: cujusmodi apud Romanos fuerunt *Hercules*, *Faunus*, *Carmenta*, *Euander*, *Castor*, *Pollux*, *Æsculapius*, *Acca Laurentia*, *Quirinus*.

Tertiæ Classis sunt Numina, propter quæ datur ascensus in Cœlum. Hujus Classis Deos sive potiùs Deas in tertio honoris & religionis loco Romani habuerunt. Priorum classium Deos colebant & sanctè adorabant; his templa, sed commodo & delubra statuebant. In hac classe recensentur *Mens*, *Virtus*, *Honor*, *Pietas*, *Fides*, *Spes*, *Felicitas*, *Concordia*, *Pax*, *Quies*, *Felicitas*, *Libertas*.

Quartæ Classis sunt *Semones* sive *minores* Dii in quorum tutelâ homo esset, & ea quæ sunt hominis. Semones dicti erant quasi semi homines & sic semidii tantum reputati sunt. Hi vel *nascentibus* vel *infantibus* præerant: cujusmodi recensentur *Opis*, *Naseio* sive *Natio*, *Vaticanus* sive potius *Vagitanus*, *Levana*, *Cunia Rumina*, *Diva Potina*, *Diva Educa*, sive *Edusa*, *Ossilago*, *Nundina*, *Statilinus*, & *Stataanus*, *Fabulinus*, *Paventia*, *Carne* vel *Carnea*, *Iuventus* vel *Iuventas*, *Orbona*, *Volupia*, *Lubentina* sive *Lubentia*, *Anculi*, *Anculæ* dii deæque. Vel *Nuptiis* præerant, & Dii nuptiales appellantur: cujusmodi recensentur *Iugatinus*, *Domiducus*, *Domitius*, *Manturna*, *Virginensis*, *Cinxia*, *Mutinus* qui & *Priapus*, *Subigus*, *Prema*, *Viriplaca*. Vel *Parturientibus* præerant:

cujus-

cujusmodi recenſentur *Mena*, *Iuno Fluonia* & *Lucina*, *Pertunda*, *Latona*, *Egeria*, *Nixii Dii*, *Proſa*, vel *Prorſa* & *Poſtverta*, *Intercidona*, *Pilumnus*, *Deverra*, *Matuta*, *Bona Dea*, *Mana Geneta*. Vel *Actionibus* præerant: hujusmodi ſunt *Murcia*, *Strenua*, *Stimula* *Agenoria*, *Agonius*, *Horta*, *Catius*, *Volumnus Deus*, & *Volumnâ Dea*, *Adeona*, & *Abeona*, *Lacuna*, *Vitula*, *Pellonia*, *Numeria*, *Feſſonia*, *Vibilia*, *Averruncus*, *Angerona*, *Hæres Martia*, *Stata*, *Laverna*, *Nænia*, cui accenſetur *Libitina*. Non hic ſilentio prætereundum eſt, veteres ſingulis partibus humani corporis ſingulos præfeciſſe Deos. Caput Jovi deferebant, Neptuno pectus, cinctum Marti, frontem Genio, ſupercilia Junoni, quæ inde Lucina dicta; oculos Cupidini tribuunt quidam, quidam Minervæ; aurem Memoriæ: dextra Fidei erat ſacra, nam in fidem porrigitur: dorſum & partes poſticæ Plutoni erant propriæ, Renes & Inguina Veneri, pedes Mercurio, genua Miſericordiæ: tali & plantæ in Thetidis poteſtate erant: digiti erant Minervæ conſecrati.

Quintæ Claſſis ſunt Dii Ruſtici: cujusmodi Pales, Flora, Pomona, Vertumnus, Seia & Segetia, ſive Segeſta, Tutilina Dea, & Tutanus Deus, Robigus, Bonus Eventus, Populonia, Fulgor, Pilumnus, & Picumnus Dii fratres, Sterculius, Bubona, Hippona, Mellona, Jugatinus, Collinus, Vallonia, Ruſina, Terminus, Pan, Sylvanus, Priapus.

Sexta Claſſis continet Deos Miſcellaneos: cujusmodi ſunt Pallor & Pavor, Cloacina, Aius Locutius, Ridiculus vel Rediculus, Tempeſtas, Febris (ubi notandum obiter, veteres quosdam Deos ut prodeſſent, quosdam ne obeſſent, placaviſſe, ut Orbonam, Robigum, Febrim, &c,) Fugia, Fornax, Caria, Vicepota, Minucius, Volturnus, Horculus, Cardea, Limentinus.

Septima Claſſis continet Deos peregrinos: cujusmodi

modi sunt Sanctus, Deus fidius, Isis, Osiris, & Serapis. Tiberius ad Senatum retulit ut Jesus Christus in Deorum numero Romæ coleretur: Patribus non placebat: quippe noluit ille verus & unicus Deus tam profano & ridiculo Idolorum agmini adscribi: quibus in perpetuum pulsis, & extinctis, ipse sibi regnum sine fine firmavit.

CAP. III.

De Locis Sacris Romanorum.

Romani suos Divos religiosè colebant: constituebant enim iis maximis sumptibus loca sacra: cujusmodi erant imprimis Templum, Fanum, Delubrum, Ædicula, Ara, Lucus: de quibus quomodo inter se differant, paucis dicendum.

Templum à templando vel tuendo dictum est, & veteribus erat locus in aëre vel in terrâ quem Augures, captandorum auguriorum causa definire solebant; qui Templum dicebatur, quod ex omni parte conspici posset. Ædes autem sacræ Templa dicta erant, quòd essent, uti Cœlum, Deorum domicilium. Solebant autem Templa ab hominibus propter certas causas Diis voveri, cujus rei multa exempla in historiis reperiuntur. Quando vota erant, & id, propter quod vovebantur, prosperè successerat, tum definiebantur, vel certi illius Templi fines constituebantur: & dicebatur id: *Templa effari* vel *Fana fistere:* Templa sic definita condebantur, condita dedicabantur ab iis qui ea vovissent: tandem ab Auguribus inaugurabantur i. e. suis auguriis sanctiora reddebantur: hoc enim nisi fieret, Templa esse non poterant, sed Ædes tantum dicebantur: unde discrimen inter Templa & Ædes sacras facilè intelligitur.

Fanum à fando dicitur, quod, dum Pontifex Templum

plum dedicat, certa verba fatur: re ipsa autem idem est quod Templum.

Delubrum dictum à loco in quo Dei simulacrum dedicatum est, ita ut à dedicato Dei simulacro Delubrum dici cœperit: Sicut enim locum, in quo candelam figerent, Candelabrum; ita in quo Deum ponerent, Delubrum appellârunt veteres.

Ædicula diminutivum est, quasi parva ædes sacra: sicut & Sacellum.

Ara ab ardendo dictâ est secundùm aliquos quòd in eo victimæ incensæ ardeant: secundum alios, à similitudine areæ: sunt etiam qui aras primùm Ansas dictas ajunt, quòd esset necessarium eas à Sacrificantibus teneri.

Lucus nonnullis per antiphrasin dictus est, quod minimè luceat, locus sc. opacus arboribus densis obumbratus: verùm alii; ut videtur, rectiùs Lucum sic dictum putant à lucentibus inibi Sacrificiorum ignibus, Cæterùm, hoc obiter monendum, non omnibus Diis promiscuè Templa omni in loco ædificari fuisse solita. Aliis intra urbem, aliis extra eam, aliis in montibus, aliis in foro, aliis alibi templa construebantur. Nec etiam forma omnium fuit eadem. Cœlitibus & aliis Superis à terrâ extare templa volebant: Inferis Diis, sub terrâ: Terrestribus media ponebant sæpiùs. i. e. partim sub, partim supra terram, Sic de Locis Sacris Rom.

CAP. IV.

De præcipuis Sacerdotibus Romanorum.

HOmines priscos agrestes, asperos, & more ferarum viventes ad mitiorem cultum vitamque Saturnum & Janum, qui in Latio regnârunt, redegisse fama est; eos agrorum cultum & politiorem quan-

dàm vivendi rationem docuisse. Ipsis verò, qui hactenùs sine ullâ religione fuerant, primus Deorum cultum metùmque injecit Faunus Saturni filius, qui Lucos sacravit, Templa constituit, & sacrificorum jus ordinavit: unde volunt nonnulli Templa à Fauno Fana appellari, quod Pontifices sacrando illic fantur. Post Faunum, *Picus*, *Latinus*, *Euander*, & alii qui in Latio regnarunt novas semper Cæremonias commenti sunt. Noviſſimè Dæmonum cultum maximè in Latio auxit Æneas, Sacris Phrygiis in Italiam transportatis: cujus posteà exemplum secuti cæteri reges, Albani primùm, deinde Romani, multa & ipsi sacra addidere, usque ad N. Pomp. qui cùm omnia in certum ordinem sacra direxissent; divini apud Romanos Juris conditor creditus est. Qui verò sacris illis præfecti, & qui Sacerdotum ordines fuerint, nunc dicendum.

CAP. V.

De Triginta Curionibus & Curione Maximo.

NOs ex Sacerdotibus Romanis primum locum assignamus 30. his Curionibus, quòd illi universis populi Romani sacris præessent, nec singulari cuiquam Deo specialiter servirent. Curiones à Curiis dicti sunt: cum enim Romulus populum Romanum in tres Tribus & 30. Curias distribuisset, singulis Curiis præposuit unum aliquem virum, quem Curionem dixit, qui sacra pro suâ Curiâ curaret. Hoc sacerdotium Numa confirmavit. Quia igitur 30. Curiæ seu partes populi erant, Curiones etiam tot fuisse necesse est. Hi singuli à singulis Curiis eligebantur. Unus autem qui reliquis omnibus præsidebat, & Curio Maximus dicebatur, cujusque authoritate cæteri Curiones regebantur, omnium Curiarum suffragiis

giis Comitiis Curiatis creabatur. Sacra quæ in Curiis fiebant Curionia dicebantur & *Curionium æs* quod dabatur Curioni ob sacerdotium Curiatûs.

Cap. VI.

De Lupercis.

Romulum cum fratre Remo nutriverat Lupa unde in imo monte Palatino locus ubi Romulum lupa nutriverat Lupercale dictus: unde Lupercalia sacrificia itidem appellantur, quoniam Luperci Lupercalia celebrantes, à Lupercali cursus sui initium faciebant. Lupercalia sacrificia ad expiandos Manes fiebant. Mensis quo hæc sacra fiunt Februarius à februando i. e. purgando dicitur, & Dies lupercaliorum februata. Euander ex Arcadiâ hoc solenne in Latium tulit, & instituit, ut nudi Juvenes Panà Lycæum venerantes per lusum atque lasciviam currerent: unde hæc sacra Lycea dicuntur à Pane Lycæo numine Arcadico, quem Romani Inuum vocant, & idem putatur esse cum Fauno. Romani in Lupercalibus canem immolant, quoniam naturaliter lupis canis adversatur: ob quod Romulus Lupæ nutrici gratias habere videtur. Luperci tergora Capris eripiunt, & succincti discurrunt circum antiquum oppidum i. e. Palatium: occurrentes coriis verberant: fœminæ ultrò obviam occurrunt conceptum & partum faciliorem sperantes.

Cap. VII.

De Pontitiis & Pinariis.

Herculis, cæso Geryone, victor in Erythiâ, quæ est Insula oceani Hispani abacto nitidarum boum

armento, in Latium venit, & prope Tyberim loco herbido procubuit, ut læto pabulo reficeret boves. Cacus latronum princeps eximias boves duas caudis in ſpeluncam traxit. Hercules ſomno excitus, luſtrato grege, cum partem abeſſe numero ſenſiſſet, omnia circuit, averſa veſtigia comperit: confuſus novitate rei ex loco infeſto agere armentum cœpit: cum autem boves deſiderio relictarum mugiiſſent, reddita fuit è ſpelunca vox quæ Herculem convertit: inventâ fraude Cacum plantâ ex antro ductum neci dedit. Concurſus trepidantium paſtorum advenam reum cædis faciunt apud Euandrum, qui miraculo literarum inter rudes artium homines eo loco tum regebat. Is intuens habitum formamque viri, rogat qui vir eſſet? ubi nomen, patrem, patriamque acceperat, quia ſic Carmenta mater ejus vaticinata fuerat, extemporalem aram Herculi erexit & juvencum indomitum mactavit. Inde ſervatum eſt, ut quotannis Romani juvencum indomitum Herculi immolent. Et Hercules epulum populo dedit: Sacrum fieri voluit à *Potitiis & Pinariis*, quæ tum familiæ maximè inclytæ ea loca incolebant. Fortè evenit, ut Potitii præſto eſſent, hisque extra apponerentur: Pinarii, quia tardi fuêre, extis adeſis ad cæteram venerunt dapem. Potitii ab Euandro edocti Antiſtites Sacri ejus diu fuerunt: poſtea cum interiiſſent, empti de publico ſervi officium exercuerunt. Ara ab Euandro erecta, cui Hercules decimas ſolvit, Maxima vocatur, & proxima eſt foro boario, ubi ex voto decimæ fiunt. Tradunt, *Qui velit dives fieri Herculi decimas ſolvat.* Hinc opes Marci Luculli factæ memorantur, & ipſe Hercules theſaurorum Deus putatur.

CAP.

CAP. VIII.

De Fratribus Arvalibus.

ACca Laurentia Nutrix Romuli duodecim ſuſcepit Liberos, ex quibus cum unum extuliſſet, Romulus in demortui locum ſe dedit, & ita nutricem pientiſſimè conſolatus eſt. Ab hoc numero duodenario duodecim arvorum Sacerdotes eſſe voluit, & ſe inter liberos Accæ Laurentiæ fratrem duodecimum appellavit. Fratres hi *Arvales* nominati ſunt, quia ſacra publica faciebant propterea ut fruges ferant arva: à ferendo igitur & arvis Fratres Arvales dicti ſunt. Conſueverat Acca Laur. pro agris ſemel in anno ſacrificare, duodecim filiis ſuis ſacrificio præſidentibus: quorum unus cùm eſſet mortuus, Romulus defuncti vicem ſubiit, quem ideo nutrix ſpiceâ coronâ vittâ albâ colligatâ pro religioſiſſimo inſigni donavit: exinde duodecim fratrum Arvalium inſtitutum obtinuit.

CAP. IX.

De Auguribus & Haruſpicibus.

A*Ugurandi* ars antiquiſſima à Chaldæis ad Græcos, à Græcis ad Etruſcos, ab Etruſcis ad Latinos venit: & ipſe Romanorum pater Romulus Augur fuit, & ideo inſtituit, ut Magiſtratus auguriis confirmarentur; & poſteri non niſi augurio jubente res inchoabant. Augures nomen habent ab *Avibus & gerendo*; quia per eos avium geſtus educuntur: ſive ab avium garritu, unde eſt augurium. Poſt inſtitutum Augurum Collegium, primum à tribus tribubus tres fuerunt Augures; inde quatuor creati: tan-

dem, plebe per Tribunos id petente, quinque ex plebe Augures quatuor patriciis adjuncti fuêre, & sic numerus novem Augurum manſit. Augurum dignitatem non parum demonſtrat, quòd, cum cæteris fere omnibus Sacerdotibus, ſimul ac in judicium ducti ac damnati eſſent, alium ſubſtitui moris fuiſſet, Augures hac lege immunes eſſent. Dum enim viverent, licet maximorum criminum convicti fuiſſent, Sacerdotio tamen potiebantur, neque unquam privari poterant.

Auguriorum genera erant Quinque, ex quibus, auſpicandis rebus, continuandisve, aut abrumpendis accommodata præſenſio prænotioque futurorum eventuum peti putabatur. Eorum primum à Cœlo, alterum ab avibus, tertium à pullis, quartum à quadrupedibus, quintum à Diris erat deſumptum.

1. Ex Cœlo tonitrua & fulmina auguria dabant.

2. Avium augurantium aliæ erant Oſcines, aliæ Præpetes. Oſcines aves dicebantur quæ ore canentes faciebant auſpicium: ut Corvus, Cornix, Noctua, &c. Præpetes quæ volatu auſpicium faciebant: & hæ quidem aut ſuperiora tenebant & Præpetes vocabantur; aut inferiora & Inferæ dicebantur. Præpetes autem ideò dicuntur, quia omnes aves priora petunt volantes. Erant etiam aliæ avium differentiæ: quædam enim vocabantur Siniſtræ, quæ ſinebant aliquid fieri; quædam Funebres, quæ averſo omine impediebant aliquid fieri: & hæ aut Arculæ dicebantur ab arcendo, quòd arcerent vel vetarent; & Cliviæ, quod difficilia vocabant clivia: aut Remores, à remorando; aut Inebræ, aut Tenebræ, ab inhibendo & tenendo, quo nomine omne obſtaculum intelligebatur: aut Alteræ, cum ſupervenerunt quæ felici auſpicio vitium facerent: aut Volsgræ, quæ ſe vellendo malum auſpicium faciebant: aliæ Supervacaneæ erant, quæ ex ſummo cacumine vocem mittebant.

3. A

3. A Pullis auſpicia captabant Sacerdotes: auſpicia autem captabant à vario pullorum paſtu.

Ex Quadrupedibus Lupos, Vulpes, Capras, Aſinos, Arietes, Lepores, Muſtelas, Mures omina moviſſe & auſpicia, quæ Pedeſtria dicebantur, compertum eſt.

5. Dirarum nomine complector tum ea quæ in noſtris fiunt corporibus, aut iisdem alioquin accidunt inſolitò; tum quæ in domibus, agris, itineribus quocunque modo præter rationem & morem eveniunt atque objiciuntur.

Haruſpices dicti à victimis in arâ aſpiciendis: quia poſtquam victima immolata eſt, inſpectis extis futura prædicunt: unde etiam Extiſpices appellati ſunt.

CAP. X.

De Veſtalibus Virginibus.

VEſtales dicebantur hæ, quod Veſtæ ſacra curarent, & ignem ejus cuſtodirent. Veſtalis cultûs originem, quemadmodum pleraque omnia, Numa Pomp. intulit: etſi initia ejus usque adeò vetera ſunt, ut ex Trojanis ad Albanos, Æneæ duce, longè commigraverint: unde Virg. Æneid. 11.

Sic fatur, & manibus vittas Veſtamque potentem,
Æternumque adytis effert penetralibus ignem.

Deæ huic Veſtæ, quam Terram eſſe eandem Deorum Matrem volebant, perpetuò vigil ignis conſecrari ſolebat: ejus obſervationi ac cultui pleræque virgines è primoribus patrum electæ ſolebant præfici; quarum negligentiâ ſi forte ſanctus ignis reſtinctus eſſet, flagris à Pont. Max. cædi jubebantur. Inceſti vero crimine damnatam veſtalem vivam ſuffodi inſtitutum eſt: primæ virgines à Numa delectæ quatuor

fuêre, nempe, Gegania, Berenia, Camilla, Tarpeia: duæ aliæ à S. Tullo additæ. Prima quæ capta fuit Amata traditur; ideo cum capitur virgo hoc nomen ei imponitur. Capitur à Pontifice non minor annis ſex, & non major decem, & quæ non ſit patrima nec matrima, néve linguâ aut ſenſu aurium diminuta, aliáve corporis labe, neque filia ſervi, neque ejus qui domicilium in Italiâ non haberet. Caſtitas Veſtalibus terminata eſt in triginta annos: decem primis diſcit virgo myſteria ſacra, totidem miniſtrat, in reliquis docet: poſt 30. annos nubendi fit poteſtas.

CAP. XI.

De Flaminibus.

Flamines à filo dicti, quaſi Filamines: ſic enim Varro, Flamines, quòd Licio in capite velati ſemper erant, ac caput filo cinctum habebant, dicti ſunt. Horum ſinguli cognomina habebant ab illo Deo cui Sacra faciunt: ſed partim aperta, partim obſcura ſunt. Dialem & Martialem flaminem Romulus inſtituit; Numa Quirinalem addidit. Varro aſſerit Numam Pompilium Flamines ſingulis Diis feciſſe, & ab iis nomina dediſſe. Hinc reſp. hominibus in cœlum relatis Flamines decrevit. Deorum miniſtri Flaminei dicti, Miniſtræ Flaminulæ. Flamines non poterant niſi ſingulis Diis attribui: ſed rerum omnium ſacrarum adminiſtri Camilli dicebantur. Tres prius dicti Flamines Dialis ſc. Martialis, & Quirinalis ex Patriciis creabantur, ideoque *Flamines Majores* dicti erant, quibus, proceſſu temporis, alii duodecim ex plebe additi ſunt, *Minores* appellati. Flamini ſine pileo domo egredi erat nefas.

CAP.

CAP. XII.

De Saliis Palatinis.

SAlii à saliendo & saltando dicti: Salios duodecim Marti Gradivo legit Numa: hi in Comitiis quotannis versicoloribus tunicis ornati per urbem tripudiant succincti æneis balteis; togas fibulis nectunt quas Trabeas vocant; gestant in capite pileos quos vocant apices; gladio accinguntur, dextrâ lanceam aut virgam gestant, lævâ Thraciam peltam. Cœlestia sunt arma, *Ancile* vocant i. e. circumexcisum: id fertur cœlo delapsum in regiam Numæ anno octavo regni ejus. Dictis duodecim Saliis, alios duodecim addidit Servius Tullus. Hac autem occasione primum instituti erant Salii: regnante Numa pestis aut alia lues publica in Romanos grassabatur, quæ nullis sacrificiis aut sacris oblationibus averti poterat: tunc temporis cœlo delapsum est Ancile cum hac voce, *Omnia Romæ salubria futura, quamdiu hoc Ancile tutum servari poterat:* Unde Mamurius artifex peritissimus, ex mandato Numæ, alia undecim Ancilia fecit adeò primo similia, ut ab alio aliud dignosci non potuerit. Illud hoc ille animo conatus est, ut si quis cœleste illud Ancile suffurari voluerit, incassum moliretur, dum ex errore pro illo arriperet. Duodecim dictis Saliis Ancilia illa duodecim servanda tradebantur. Salii inter saltandum recensebant & cantabant *Carmina saliaria* quæ in Deorum & hominum laudem composuissent: in his carminibus tum Deos appellabant, tum viros multos præclaros, appellato Mamurio Anciliorum artifice carmina sua claudebant.

CAP. XIII.

De Fœcialibus & Patre patrato.

FOE*ciales* dicti, quod fidei publicæ inter populos præerant: nam per hos fiebat ut juſtum conciperetur bellum, & ut fœdere fides pacis conſtitueretur. Eos inſtituiſſe creditur Numa cum indicendum eſſet bellum eum Fidenatibus. Hi mittebantur priusquam conciperetur bellum ad res repetendas: & ſi non impetrabant, bellum indicebant. Fœcialium unus, qui *Patrem patratum* faciebat, ex ipſis Fœcialibus electus ſacris veſtibus ornatus ad authores injuriarum procedebat: priusquam in urbem intraret, Janitorem vel alium qui obviam fuiſſet, alloquebatur quibusdam imprecationibus: inde in forum pergit, illic differit quâ cauſâ venerit, tempus ad conſultandum dat triginta dierum: ſi per hos dies res infecta maneret, Diis cœleſtibus Manibusque invocatis, abit & ad Senatum refert, & ubi in Senatu, quod juſtum piumque eſſet, actum erat, Fœcialis bellum indicebat: Fœcialium ſacra violare nefas erat: nam Fabius cum ea violaſſet, Urbs Roma à Gallis Senonibus everſa fuit. Dicuntur Fœciales à fœdere faciendo aut feriendo. *Pater patratus* erat, cui & pater & filii erant: & maximus habebatur. Patratus quaſi perfectus & abſolutus habitus eſt; & perfectior ille qui vivo patre pater eſſet factus: quare volebant Jurisjurandi & Pacis præſidem oportere ſimul prorſum & retrorſum videre, id vero maximè præſtare poſſe eum, qui & filium habeat de quo conſultet, & Patrem quicum deliberet. Patratum Pomp. Lætus vult dictum à patrando, i. e. fanciendo fœdere. Patratus à Fœcialibus creabatur, & in fœdere fanciendo, ut cæteri iuderant, ſic ille ſolus præerat.

CAP.

Cap. XIV.

De Pontificibus.

Pontifices ex Patribus legit Numa, & ex his Pontificem Max. cujus scitis omnia publica probataque sacra subjecit, ut esset quò consultum plebes veniret, & idem nec cœlestes modo cæremonias, sed & justa funebria & prodigia quæ susciperentur & curarentur, doceret. Defuncto Pont. Max. alius eligebatur non à populo, sed ab ipsis Pontificibus. Pontifices à ponte & faciendo appellati sunt: pontem enim Sublicium primùm fecerunt, & deinceps sæpe restituerunt. Quare videntur à Numâ non Pontifices, sed Sacerdotum principes nominati, & quando sublicius pons factus fuit à ponte Pontifices appellati: & ideo sacra ab iis trans Tyberim ad pontem fiunt. Pontifices ab eo dictos scribunt quidam, quòd potentiâ sacra perficiant. Pontifex nobis nunc est Præsul. A luxu quo in sacris utebantur Pontifices dicta est *Cœna Pontificia*, i. e. lauta, affluens & opipara.

Cap. XV.

De Rege Sacrificulo.

Postquam Romani jam liberi, extincto Regio nomine, Consules creârunt, necubi desiderium Regis esset propter quædam sacra publica quæ Reges faciebant, Regem sacrificulum constituerunt, & è Patribus elegerunt: id Sacerdotium Pontifici subjecêre, ne novæ libertati additus nomini honos officeret.

CAP. XVI.

De Sacerdotibus Cybeles, seu Gallis Matris Deûm.

Galli Sacerdotes Cybeles matris Deûm sunt, & semimares, i. e. castrati: ab eo quòd Dea puerum Phrygem amavit Atyn, cui præcepisse dicitur ne concumberet: ille Sagaritidi Nymphæ coivit sub arbore. Cybele excisâ arbore ulta est: puer metu fere exanimatus aufugit ad Dindyma montem vicinum, & dolore amens, pudoreque admissi facinoris, virilitatem sibi amputavit. Hac ratione facti Dea memor, per ejusmodi homines castratos sibi ministrari perpetuò voluit. Galli dicti sunt à Gallo flumine Phrygiæ. Rhea nominatur Cybele à Cybelo, qui est pars montis Dindymi: appellatur etiam Pessinuntia, à monte Pessino, ut & Berecynthia à monte Berecyntho, quia utrobique colebatur. Princeps Sacerdotum ejus Archigallus dictus est.

CAP. XVII.

De Duumviris, Decemviris & Quindecimviris Sacrorum.

Duumviri à Tarq. Superbo institui fuerunt, qui soli inspicerent libros Sibyllinos. Deinde cùm plebs creari ex suis instaret, ex plebeiis & patriciis creati erant decem, & inde quindecim qui libros inspicerent: his aliquando corrigendorum Fastorum cura data fuit: hi Februarium, qui ultimus erat, proximè post Januarium posuerunt.

CAP.

CAP. XVIII.

De Sibyllis.

Sibyllarum vaticinia versusque tam antiquos esse constat, ut ex Sibyllæ Delphicæ operibus Homerus multa operi suo inseruisse dicatur. De Sibyllarum numero variant authorum opiniones. Harum tamen decem vaticiniis claruerunt. Prima appellabatur Persica, 2. Libyca, 3. Delphica, 4. Cumæa, 5. Erythræa, 6. Samia, 7. Cumana, 8. Hellespontica, 9. Phrygia, 10. Tyburtina, JESUM CHRISTUM incarnandum omnes præcinuerunt. Locus ubi asservabantur eorum libri erat in Capitolio infra terram in arcâ lapideâ, ubi ad incendium usque Capitolii superstites manserunt: quo demum tempore & ipsi incendio periêrunt. Nullam rem, ne sacra quidem, Romani tam diligenter ac Sibyllina oracula custodiebant. Post Capitolii tamen incendium pleræque prophetiæ istæ innotuerunt, partim traditione partim exemplaribus aliis ex aliis gentibus allatis. Tantæ certitudinis erant omnia illarum vaticinia, ut rem maximè certam proverbialiter *Sibyllæ folium* appellemus: unde Poeta,

——— *folium recitare Sibyllæ.*

Solebat Sibylla Cumæa teste *Virg. 3. Æneid.* oracula sua foliis descripta temerè in limine antri congerere, quæ sic spargebant venti, ut in ordinem redigi non possent: unde *Sibyllæ folia colligere* est rem arduam & impossibilem tentare. *Sibylla* nomen proprium non est, sed appellativum ab officio inditum, quo nomine omnes fœminæ vates à veteribus nuncupatæ sunt. Sibylla dicta est quasi Σιὸς βάλη à Σιὸς Æolicè Θεὸς & βαλὴ, i. e. Deus & consilium; quia consilium Dei hominibus annunciârunt.

CAP. XIX.

De Epulonibus.

VEteres Pontifices (ut ait Cicero) propter multitudinem ſacrificiorum tres Epulones voluerunt, ut ludorum epulare ſacrificium facerent. Id ſacerdotium antiquum fuiſſe conſtat, ſed de ejus [illegible]e non ſic conſtat. Numerus auctus fuit, duo additis, & quinque fuêre Epulones: & poſtea theatralium ludorum ac Circenſium ambitione, ſeptena fuiſſe leguntur.

CAP. XX.

De Titiis Sodalibus.

SOdales Titii Sacerdotes extra urbem habitabant, & in tuguriis certa auguria ſervabant, quoniam deputati à Pontificibus erant. Titii appellati erant ab avibus Titiis quas in auguriis obſervabant. Sic de Sacerdotibus.

CAP. XXI.

De Rom. Sacrificiis & ſacrificandi ritu.

SAcrificium dicebatur quicquid ſuper altare Diis adolebatur aut offerebatur. Sacrificium nunc *Victima*, dictum, aut ab hoſtibus victis, ut placet Ovidio; aut, quia vincta ad aras ſtabat: nunc *Hoſtia* ab hoſtiendo, i. e. feriendo: adſtabant enim miniſtri *Popæ* dicti qui Hoſtiam hoſtiebant, i. e. ſecuri feriebant.

Hoſtiæ erant vel Præcidaneæ, vel Succidaneæ, quaſi Præcedaneæ & Succedaneæ. Victimæ ante ſo-

lenne

leune aliquod ſacrificium oblatæ Præcidaneæ dicebantur: quæ ſi quibus auguriis minùs auſpicatæ comperiæ erant, tum ſecundam offerebant Succidaneam appellatam. Unde Plaut. *Meum tergum tuæ ſtultitiæ ſubdes Succidaneum:* i.e. ſaxis ego tuo loco huic ſtultitiam tuam.

Sacrificandi Ritus hujusmodi fuit. Sacerdos, aliquot ante factum aliquod Sacrificium diebus, totum lavare corpus, præcipue cum pedibus manus ſolebat; quæ ſi minùs laviſſet Sacrificium parùm rectum cenſebatur: unde proverbialiter, *Illotis pedibus & manibus ad rem aliquam accedere*, eſt ſine debitâ reverentiâ eam tentare. Præterea toro & cibis quibusdam Sacerdoti ante ſacrificium abſtinendum erat. Inter ſacrificandum aut ipſe, aut minister illi præiens, & virgulam Commentaculum dictam gerens, populum his appellavit verbis, *Hoc age.* Quibus ſic peractis, Sacerdos, poſitis ſuper altare manibus, quædam Jano & Veſtæ vota faciebat; quippe ſine quibus ad alium quemvis Deum Romani nullum fore aditum, putabant. Votis ſic peractis, pecudis mactandæ capiti frugis aliquantulum, cum libo ex farina & ſale facto, Latinè *Mola* dicto, imponebant. Erat autem Mola far toſtum ſale aſperſum: unde Molare, & Immolare, i.e. ſacrificare. Poſt hæc Augur ex calice ligneo qui Simpolum ſive Simpulum dictus eſt vinum bibebat. Calix iſte poſtea ad totum populum circumferebatur, ut exinde libarent ſinguli i.e. leviter gustarent: unde ſacrificare *Libare* dicitur. Hoc poſtquam ſinguli libâſſent, quod vini & thus is reliquum erat pecudis capiti, media inter cornua, infundebatur, quodam altâ voce clamante *Macta eſt Hoſtia*, i.e. magis aucta & magè grata Diis: quomodo Virg.

Macte puer virtute nova, ſic itur ad aſtra.

Unde etiam *mactare* eſt ſacrificare. Hoſtiam adhunc modum mactabant: Sacerdos primùm pilos aliquot

liquot pecudis media inter cornua expilabat, & eos in ignem mittebat *prima libamina* appellans: facie in Orientem versâ, ministros, quos Popas nominatos diximus, pecudem ferire jubebat, postquam ipse longum & curvum cultrum per dorsum ejus duxisset. Adstantium alii vasis idoneis sanguinem excipiebant, corium alii excoriabant, alii lavabant. Exinde Augur aut Sacerdos aliquis exta inspiciebat, & ea cultro Secespitâ à secando dictâ vertebat & volvebat; erat enim nefas ea manu attrectare, ne, si pollutum forte fuisset sacrificium, manus ei periisset. His sic peractis, Popæ singulas ex singulis extis portiones excidentes, eaque farre involventes qualis ad Sacerdotem mittebant: Sacerdos patinâ sive diseo qui Lanx dicta est, impositas altari inferebat & adurebat: & hoc propriè erat litare sive adolere, i. e. satisfacere, & sacrificium Diis debitum peragere. Postquam oblata Diis portio adurebatur, populus omnis ad commune convivium se conferebat. Ubi in Deorum laudes inter edendum carmina canebant, & psallentes cymbalis circum altaria saltabant; significantes exinde nullam corporis partem non debere in Deorum cultu esse exercitam. Ante peractas has universas Cæremonias nemini convivium hoc vel gustare fas erat: unde proverbialiter, *Sacra haud immolata devorare*, est cibum haud benedictum rapidè deglutire. Romanis Juge Sacrum fuit ignis Vestalis: Sacrificium verò Juge sive quotidianum non reperimus. Sic de Rebus Sacris Rom. dictum esto.

CAP. XXII.

Appendix ad Lib. II. de Christiano Sacrorum Rom. usu.

NE quis miretur forte, quorsum Christianus quisquam in enarrandis Romanorum Sacris, dicam? An

An horrendis idolomaniis? tantopere laboraret: haud ab re futurum putem, hujus enarrationis usum in Christianâ religione illustrandâ, exornandâ, & confirmandâ satis luculentum, sequentibus his Consectariis demonstrare.

Consectarium primum. Hinc patet clarissimè, & constat liquidissimè maximum Religionis omnis firmamentum & fundamentum solidum *Deum esse.* Nulla enim gens tam barbara, nulla natio tam efferata, nullus tam incultus & agrestis populus, qui suos non agnoscat Deos, sua quæ colat Numina non habeat. Imò ipsa hominum monstra perditissima, quoties cœcis animi stimulis & fœdis Conscientiæ suæ vulneribus agitantur, vapulant, & conficiuntur. *Quod nescire cupiunt subinde sentiscunt.*

Consect. 2. Non potest à quovis Ethnico pro absurdo nobis objici personarum unius veri Dei nostri Trinitas. Nos enim distinctionem solùm, eamque personalem tantùm, trium in ultimissima Deitate personarum docemus: verùm illi divisionem, eamque essentialem naturam, multos Deos, & multa Deorum agmina effingunt. Optimè cum unitate constat *multitudo distincta* quam *divisa tollit*, & dat pessum. Ethnici multos ponentes, omnem tollunt Deum. Nos unum verum Deum credentes, tres tuemur Personas distinctas, non divisas, *alias*, non *aliud* à se invicem.

Consect. 3. Ex eo quod illi suos singulis fere rebus præfecerint Deos, manifesta est divina omnibus rebus præsidens Providentia, & ea vis cœlestis, quam tantopere prædicavit Cicero pro Milone, iis & eo circiter verbis *ea ea vis est, Judices*, &c.

Consect. 4. Exinde continuò elucent perfectiones Dei absolutæ cum immensâ virtute & omnipotentiâ quæ sola omnibus sufficiat, quam illi, ineptè partitis Deorum operis, vel inscii nobis indigitârunt.

Consect. 5. Hinc etiam manifestum est, hinc rerum.

rum omnium Præsidi Deo summum cum debita pietate cultum esse ab omnibus præstandum & solvendum. Id nos disertè docent Romanorum Aræ, Luci, Templa, Fana, Ædiculæ, Orationes, Sacrificia Supplicationes, Ritus, Cæremoniæ sacræ, & idgenus cætera pietatis officia, instrumenta, & indicia, tantâ Quiritium cura, tanta Civium frequentia celebrata.

Consect. 6. Vera & rectè instituta religio: 1. Authorem solum vendicat Deum: 2. Vindices & custodes Reges, rerumque potitos principes, populorum præsides: 3. Ministros autem & Curiones vult Sacerdotes, i. e. certos ad id institutos viros idoneos, qui Sacris jugiter incumbant, eaque ex officio tractent & faciant. Primum docemur exemplo Numæ Regis inter suos religiosissimi, qui monitu Deæ Ægeriæ totam religionem constituit. Secundum docemur Regum omnium, Consulum, & Imperatorum exemplo, qui aliquam virtutis speciem præ se tulerunt. Tertium nos docent tot supra enumerati Sacerdotum ordines.

Consect. 7. Rectè institutum Dei cultum quovis modo seu miscendo temerare & polluere, seu minuendo labefactare & convellere, seu oppugnando eversum & abrogatum ire, nobis religio esse debet. Nam Pompilius Rom. Rex religiosissimus, in Pontificibus creandis, id curavit inprimis, *Ne jus Divinum, negligendo patrios ritus peregrinosque adsciscendo, turbaretur.* Et Deum acerrimum violatæ religionis vindicem disertè testatur Cicero pro Milone: *Ille aliquando oculos ad sacrilegos puniendos aperiet: ille quamvis seras, justas tamen & debitas pœnas ab iis expetet.*

Consect. 8. Quoties de Diis per sacrificia placandis quidquam audimus, exinde monemur: 1. De labe & reatu nostro. 2. De ira Dei sceleris & peccati omnis vindice. 3. De necessaria satisfactione, redemptione,

ptione, & expiatione irato Numini pro nobis facienda: est autem ea unicè *Redemptio parta per sanguinem Jesu Christi, qui factus est propitiatio pro peccatis nostris.* 4. De rara miserantis Dei clementia, qua pronus est ad peccatores profugos propter factam propitiationem in gratiam recipiendos.

Consect. 9. Ex tota Religionis Romanæ mole & machina videre est, quàm, in sacris præsertim, humanum sit labi, errare, impingere & à Religione ad superstitionem & horrendam Idolomaniam declinare.

Consect. 10. Hinc denique videre est, plerosque veteris Romæ errores à recentioribus Romanis, Pontificiis puta, usurpatos, repetitos, & novis artibus fucatos atque interpolatos esse. Horum nos deliriorum pauca paucis perstringemus.

1. Quod nos Polytheismi arcessere haud veremur, est impia Sanctorum Apotheosis, quos illi non penè, sed penitus ad religionem & memoriam consecrare audent, quibus Templa, dies Festos, Missas, supplicationes & similia Religionis & cultûs officia, instrumenta, & indicia permittunt.

2. Primo adfine & antecedaneum est, quod superbis meritorum, proh pudor! honoribus, mortales ad cœlum evehant, & Diis misceant atque inseruant.

3. Prioribus non absimile, est, quòd, pro variis Numinum suorum differentiis, varias cultuum *Latriæ, Duliæ, Hyperduliæ*, differentias procudant.

4. Legendas & Traditiones Pontificias Romanis fabulis ne hilo quidem meliores quis puer non videat? Non aqua aquæ, non lacte lacti similius est.

5. Tremenda Missæ mysteria, ineptas cæremonias, & ritus ludicros, quis non Saturni, Vestæ, Cereris, aut Cybeles Deûm matris sacra putaret? Imò apertè demonstravit Doctissimus Casaubonus pene uni-

universa Missæ mysteria esse ex Ethnicis Numæ Pomp. institutis mutuata & translata. Et quis gesticulantes Missidicos non vel Romuli Lupercos putet, vel Martis Salios, vel Deorum Flamines infulatos, vel bibulos & voraces Herculis portitios qui plebi Pinariæ totum præripiunt sacrificium? Quis Eremitas & alios id genus Monachos seorsum degentes non Titios Sodales diceret Auguria extra urbem captantes? Quis Sacerdotes cœlibes non matris Deûm Gallos dixerit, & Capones semimares? Sed Gallos rectius appellandos monent ex iis sæpe prognati pulli haud pauci.

6. Execrandæ Satisfactiones, Missæ animarum, & si quæ sunt ejus farinæ alia, re tenus sunt ipsissimæ Romanorum Lustrationes & Inferiæ. Exorcismos autem, configurationes, reliquias, amuleta, lustrationes & ejusmodi, non sacras Religiones dixeris, sed execranda veneficia, quæ Plutonem, non Pompilium authorem referant.

7. Tam operosam Cæremoniarum molem, tot diversos Clericorum ordines, tam prolixas Sacerdotum tabulas, ipsissima Numæ Pomp. instituta putaveris.

8. Quid quòd perditus ille Sacrificulus Papa, Sanctissimus (si Diis placet) Pontificiorum pater, ipsissimus re tenus & nomine, *Romanorum Pontifex Maximus est? Cujus scitis omnia subjecta sunt, cujus dicta omnes sic audiunt, ut nemo contrà vel mutire audeat; cujus imperio cedunt Reges Augustissimi, Principes celeberrimi, rerum publicarum Præsides clarissimi, quibus, præter inanem titulum nihil reliquit integrum, *Ne novæ ejus libertati additus nomini honos officeret*: quibus verbis Pomponius Lætus Regem Sacrificulum Rom. Pontifici Maximo subjectum narrat.

Nos verò ista legentes deploremus ingentem humanæ naturæ cœcitatem, qualis ea sit, nisi à Spiritu sancto

ſancto & Dei verbo illuminetur: atque Deo gratias agamus, quod tantis ac plusquam Cimmeriis tenebris clementer nos eripuerit, nobisque in S. S. verbo ſui veram cognitionem revelarit.

LIBER III.

De Rebus Civilibus Rom.

CAP. I.

ROmanorum Res Civiles vel Publicæ ſunt, vel Privatæ. Res Civiles publicæ ſunt, 1. Politia: 2. Comitia: 3. Magiſtratus: Nam Leges Rom. ad Patronorum noſtrorum J. C. Provinciam pertinentes nos iis miſſas facimus. De iis conſulat Philologus Ulrici Zaſii Catalogum Legum Antiquarum: Ludovici Charondæ Annot. in Leges XII. Tabulat. & ejusdem notas in Ulpiani Titulos. Res Civiles magis privatæ ſunt, 1. Rom. Veſtes: 2. Menſæ & Convivia: 3. Nuptiæ: 4. Exequiæ.

CAP. II.

De Politia Rom.

TRes Politiæ ſpecies à plerisque recenſentur: Regnum ſive Monarchia, Ariſtocratia, & Democratia: quarum ſingulis contrariæ ſunt oppoſitæ. Monarchiæ Tyrannis, Ariſtocratiæ Oligarchia, Democratiæ Ochlocratia & Anarchia.

Regnum eſt imperium unius ad communem utilitatem ſpectans. Polybius diſtinguit inter Regnum & Monarchiam ita, ut Monarchia dicatur, ſi quis robore

bore corporis & animi viribus præstans sibi ipsi imperium, & principatum alicujus populi sumat & attineat sine voluntario populi consensu; Regnum verò cum voluntario subditorum consensu imperium & principatus uni alicui conceditur: Regnum ex Monarchiâ oritur, & hæc illo est prior; sic Polybius.

Tyrannis, Monarchiæ oppositа ejusque aberratio, est imperium unius ad suam ipsius utilitatem spectans. Qui hujusmodi imperium tenet Tyrannus dicitur, ducto nomine, ut quibusdam placet, à Tyrrhenis, quod ii latrociniis quondam insignes fuerunt: vel à Græcis, quibus quicunque in civitate, quæ libera esse soleret, dominabatur, Tyrannus appellabatur, non Rex. Tyranni nomen olim & bonis Regibus ob fortitudinem concessum: postea verti cœpit, eumque notavit qui nullam legibus & juri reverentiam haberet, sed pro suo libitu omnia ageret, & in immeritos contra jus fasque sæviret.

Aristocratia est imperium paucorum ad communem utilitatem spectans. Ac dicitur Aristocratia, vel quia optimè imperant (Latinis Optimatum imperium) vel quia ad optimum publicum spectantes imperant.

Oligarchia est imperium ad utilitatem paucorum, scilicet divitium, spectans.

Democratia est imperium populi ad communem utilitatem spectans.

Ochlocratia est, cum vulgus authoritatem suam confert ad augendam potentiam tenuiorum civium contra optimates.

Anarchia, omni in genere politiæ contraria, est, in quâ nemo præest aliis, nec quisquam alteri tanquam legitimo Magistratui obtemperat, sed quilibet facit quod sibi rectum videtur aut lubet.

Hæc Politiæ genera omnia Resp. Rom. experta est. Monarchia fuit sub Regibus, Dictatoribus, Impera-

peratoribus. Hæc in Tyrannidem versa est sub Tarquinio Superbo Rege, Dictatore Syllâ, Imperatoribus Tiberio, Nerone, Caligula, & aliis. Aristocratia fuit sub Consulibus, Tribunis Militaribus consulari potestate, & Decemviris legibus scribendis creatis. Oligarchia fuit aliquot annis ante secessionem plebis in montem sacrum tertio Decemvirorum anno, & sub Imperio Triumvirorum Reip. constituendæ. Democratia, Tribunis pleb. in Remp. inductis, quamdiu illi intra metas sese continuerunt: quando verò contra Patricios & Majores Magistratus tumultuari sunt & seditiones excitarunt, Ochlocratia effecta fuit. Ab Anno U. C. 376. impeditis per totum quinquennium; ut Liv. vel quadriennium, ut malunt alii Magistratuum Curulium comitiis, & à Tribunis pleb. Rep. administratâ, Anarchia fuit.

Cap. III.

De Comitiis Rom.

Comitia, à comeundo dicta, fuerunt conventus populi ad ferendum de re aliqua suffragium. Inter Concilia & Comitia illud est discriminis, quod Comitia dicta sunt, quando universus populus conveniret; Concilia autem, quando pars tantùm ejus aliqua congregata esset: promiscuè tamen aliquando ab authoribus pro eodem usurpantur. Non omnes populi conventus Comitia dicta fuerunt, sed ii tantum qui ferendorum de re aliquâ suffragiorum causâ haberentur. Quando verò Religionis, vel ludorum, vel censûs gratia universus populus, uti sæpè fiebat, conveniret, Comitia non fuerunt. Erant primùm omnia Comitia *Calata* dicta, à Græco verbo καλῶ, i. e. voco: unde Latinum *calo* rude, vetustum & obsoletum verbum. Comitiorum sic propriè dictotum

rum genera fuerunt tria, *Curiata*, *Centuriata*, & *Tributa*.

CAP. IV.

De Comitiis Curiatis.

FUerunt Comitia Curiata, in quibus populus curiatim ſuffragium dicebat, i. e. in quibus populi per Curias diviſi ſententia rogabatur, ut, quod plures Curiæ ſtatuiſſent, id juſſum populi eſſe diceretur. Comitia Curiata ſunt à Curiis, de quibus ſuprà.

In Comitiis Curiatis, quando nondum Centuriata, nec Tributa fuerunt, omnia quæ ad Remp. pertinuerunt peracta ſunt. Reges & alii Magiſtratus in iis creati: leges omnes quæ ad illud usque tempus latæ ſunt, & judicia peracta: ita ut omnia quæ populi ſuffragiis fiunt non niſi in Comitiis Curiatis fierent.

Poteſtatem convocandi & habendi Comitia Curiata habuerant primùm Reges, penes quos ſumma omnium rerum poteſtas fuit. Poſt exactos Reges, Magiſtratibus quibusdam Patriciis, Conſulibus, Prætoribus, Dictatoribus, Interregibus, & Pontificibus etiam id jus fuit.

Qui in his Comitiis ſuffragium tulerunt erant Cives Romani, & quidem ii tantum qui in Curias deſcripti erant: nec omnes qui in Curias deſcripti erant cives, ſed ii tantùm qui in urbe habitarent; qui verò extra urbem domicilia habuerunt, in Curias deſcripti non ſunt: inter quos quid fuerit diſcriminis, ſic habemus. Omnes cives qui in urbe domicilia haberent, in Curias & Tribus deſcribebantur. Poſtquam creſcente Rep. multis vicinis populis devictis jus civitatis communicaretur, deſcribebantur illi in Tribus & Cives Romani erant. Quamdiu autem extra urbem viverent in Curias non referebantur, ſed ſua ſacra

cra patria retinebant: qui autem ex Coloniis, aut Municipiis, vel etiam Provinciis Romam migrabant, ii cum in Curias describebantur, patria sua sacra relinquere cogebantur, & ea recipere quæ ejus Curiæ in quâ describebantur propria essent. Illi ergo, quibus in urbe erat domicilium, jus suffragii in Comitiis Curiatis habebant, reliqui non item.

Comitia Curiata non fere poterant auspicatò fieri nisi intra Pomœrium, idque in foro, adeoque in Comitio. Fuit Comitium, locus quò populus Comitiis Curiatis conveniret: erat foro conjunctum, imò pars fori: multis annis tecto caruit, & propterea sæpe Comitia indicta, ob tempestatem ingruentem, peragi non potuerant, sed dissoluta fuerunt. Longo autem tempore post, ubi Hannibal in Italiam venit, tectum illi impositum fuit, quod posteà à Cæsare restauratam. Plurimæ statuæ in hac fori parte fuerant; item Rostra quæ L. Furio Camillo, & Cn. Mænio Cos. ex rostris navium Antiatium condita fuerant: unde Templum illud *Rostra* appellabatur, à suggesto ex iis rostris in foro exstructo.

Comitia Curiata non diebus quibusvis, sed Comitialibus sunt habita, nec certo aliquo tempore, sed quando postulabat Reip. necessitas.

Modus habendi Comitia Curiata fuit hujusmodi. Primùm edicebantur ab aliquo eorum Magistratuum quibus id jus fuisse paulò antè diximus. Convocabatur deinde populus per triginta Lictores. Habebantur etiam auspicatò, ita ut obnunciationi parendum esset, si de cœlo observatum esset auspicium. Obnunciabant autem Augures, quoties signa adversa nunciabant. Post facta auspicia, rogatio de quâ Curiæ suffragium laturæ erant, publicè recitabatur: quæ ubi recitata erat, Præses Comitiorum Curias in suffragium mittebat, his verbis: *Si ita vobis videtur, Quirites, discedite in Curias & suffragium inite.* Si

vero Rogatio non videbatur è re populi. Tribuni pleb. intercedebant, utentes solenni verbo *veto*, vel *vetamus*: quod cum fieret, non licebat Curiis suffragium ferre, sed Comitia vel dissolvebantur, vel in alium diem differebantur. Nemine autem Tribunorum intercedente, discedebat populus in Curias, & de Rogatione consultabat. Post, singulæ Curiæ una post alteram sorte vocatæ, exibant & suffragium ferebant: & ea quidem, quæ prima exierat, *Principium* dicebatur. Quod autem plures ex 30. Curiis jusserant, id ratum habebatur. Atque si primùm vocatæ consentirent, statim atque sexdecim ex illis suffragium dixerant, finis fiebat Comitiis: quia tum certum esset à pluribus id jussum esse quod sexdecim jussissent: sin dissentirent, eousque vocabantur dum sexdecim consensissent. Observabatur & hoc, ut Curia primò ad suffragium ferendum sorta vocata esset boni ominis: si contrarium accideret, Comitia in alium diem proferebantur. Tandem quod pluribus Curiis visum esset, id ad Patres referebatur, ut ab iis confirmaretur: qui tamen mos non semper fuit retentus, sed posterioribus temporibus mutatus, ita ut Patrum sententiam Curiæ confirmaverint.

Suffragia, & in his Comitiis, & in aliis, ab initio semper usitata, fuerunt vocalia usque ad legem illam Tabellariam à Gabinio Tribuno pleb. latam, quâ cautum erat, ut in Comitiis quibus Magistratus crearentur, populus non voce, sed tabellâ suffragium ferret. Ita ab omni parte liberum judicium suum in Magistratibus creandis populus habebat. Secuti hanc legem sunt & alii, quibus cautum, ut non solùm in Magistratibus creandis, sed in judiciis populi, in legibus jubendis & vetandis, item in judicio perduellionis tabulæ usurparentur. Leges in Comitiis ferendas oportebat Trinundino antè proponi quàm Comitia haberentur.

CAP.

CAP. V.

De Comitiis Centuriatis.

SIcut Curiata Comitia à Curiis, ita Centuriata à Centuriis dicta sunt. De Centuriis suprà satis diximus in sextà Pop. Rom. divisione. Erant igitur Centuriata Comitia, in quibus populus per classium Centurias divisus suffragium ferebat, ita ut suffragia colligerentur centuriatim, & quod plures Centuriæ juſſiſſent, id ratum haberetur.

Solebant his Comitiis Magistratus creari, leges ferri, bellum indici, judicium peragi.

Jus horum Comitiorum habendorum fuit penes Magistratus majores tantùm, ut Consules, Censores, Dictatores, Interreges, Tribunos Mil. consulari potestate, & Decemviros legibus scribendis. In iis suffragium tulerunt Cives Romani, qui in Centurias descripti erant, quique jus suffragii habebant, non tantùm qui in urbe Româ, sed etiam qui extra urbem in Italiâ habitabant, civitate tamen cum jure suffragii donati erant. Non enim omnes Itali pari jure civitatem adepti sunt: Sed alii cum jure suffragii, alii sine jure suffragii: qui igitur civitate cum jure suffragii donati erant, etiamsi in urbe non habitabant, jus suffragii habebant. Neque omnes etiam Cives qui in urbe habitabant jus suffragii in Comitiis Centuriatis habebant: ut illi qui à Censoribus ignominiæ causa notati in Ceritum tabulas relati sunt, & Ærarii facti.

In Comitiis Magistratuum adfuerunt Candidati, i. e. illi qui nova officia, novos magistratus ambiebant, sic dicti, quia candidis togis indui solebant. In genere autem omnibus interfuêre Comitiis Diribitores, Rogatores, Custodes & Præcones.

Centuriata Comitia haberi oportebat in loco inaugurato extra Pomœrium, Locus autem Cent. Comitiis destinatus erat Campus Martius: de quo mox.

Nulla Comitia, adeoque nec Centuriata, nisi diebus Comitialibus, haberi poterant.

Comitia hæc Centuriata ex authoritate Senatûs fieri oportebat: hoc enim discrimen inter Centuriata, Curiata & Tributa Comitia, præter alia, fuit: quòd Tributis non opus esset authoritate Senatûs, in reliquis vel maximè necesse eam accedere: ac primis quidem temporibus, post habita Comitia, Patres auctores fiebant, h. e. ea quæ populus suis suffragiis jussisset, confirmabant: Posteà verò id jus Senatui ademptum est, & institutum, ut antequam Comitia haberentur, in incertum Comitiorum eventum patres authores fierent. Postquam authores facti essent, hoc est, postquam Comitia probâssent habenda, tum edictum præmitti necesse erat, ut ad quem diem convenire populus deberet, multò antè intelligeret: unde fit ut in omnibus historiis tam sæpe reperiantur Consules Comitia edixisse. Id verò edictum in tabellâ scriptum publicè proponi solebat. Quoniam autem Comitiis etiam adesse ex agris homines oportebat, qui in urbem fere, nisi nundinis, hoc est nono quoque die, non veniebant, propterea edictum illud per tot saltem dies publicè extare necesse erat, ut populo universo notum esset. In Comitiis legum, leges ferendæ solebant à Legislatore populo propalari, ut quid de iis sentiret, perspectum ille haberet: solebant etiam his in Comitiis vel legislator ipse, vel alius quispiam ejus nomine leges has populo suadere, eumque ad has amplectendas hortari, & id proprie est *legem rogare.*

Nulla Comitia Centuriata jure fieri poterant nisi captatis anteà auspiciis. Deinde etiam eum qui Comitia habiturus erat, & Candidatos, ante Comitia auspicatos fuisse necesse erat. Captatis sic auspiciis, & sa-

& ſacris peractis, primis quidem temporibus magiſtratus Comitia habiturus urbem egrediebatur, atque tabernaculum capiebat; eum ſequebantur omnes cives armati ſub ſignis, in ſuis quique Centuriis. Poſterioribus verò temporibus non omnes cives armati in campum conveniebant, ſed tantum præſidii cauſâ paucorum hominum exercitus imperabatur, atque in Janiculum introducebatur & erigebatur vexillum, donec peracta eſſent Comitia: Hoc etiam ſemper obſervatum fuit, ut Conſul Comitiorum die, quaſi ad uſurpationem vetuſtatis, extra pomœrium tabernaculum haberet velut dux exercitus.

Si cœptis Comitiis tonitru ſuperveniſſet, tum ea dirimebantur: ſi ipſis Comitiis morbo Herculeo correptus quispiam repente concidiſſet, diſſolvenda erant Comitia, nec juſta eo die haberi poterant: unde ille morbus *Comitialis* dictus eſt.

Populus Romanus, cui quidem jus erat ſuffragii, ad diem edictum convenîebat in Campo Martio: atque ibi priusquam in Centurias diſtribueretur, habebat Magiſtratus concionem ad populum, quâ rogabatur, ut id de quo ageretur jubere aut vetare vellet. Hujusmodi autem conciones non ſolum antequam populus in ſuffragium mitteretur, ſed interruptis etiam interdum Comitiis habitæ fuerunt. Erat omnium actionum cum populo commune principium *velitis, jubeatis, Quirites*: qua dicendi formulâ ortum eſt nomen *Rogationis* omnibus actionibus cum populo commune. His peractis, jubebat magiſtratus populum in ſuas Centurias diſcedere ad ſuffragium ferendum: idque populus faciebat, niſi hic obnunciatum eſſet, aut ab aliquo magiſtratu interceſſum.

In ſuffragiis ferendis, primis temporibus, primæ ad ſuffragia vocabantur maximi cenſus Centuriæ, ſequentibus autem temporibus, omnes Centuriæ in ſortem adjiciebantur, & quæ prima educebatur,

primum suffragium dicebat, & *Prærogativa* dicebatur: Deinde reliquæ vocabantur, quæ dicebantur *Iure vocatæ*. Ante leges tabellarias latas, cum populus voce suffragium ferebat, erant in singulis Centuriis Rogatores qui singulorum rogabant sententias, quas palàm singuli proferebant: in quam autem partem plures ejusdem Centuriæ inclinassent, ea totius Centuriæ sententia censebatur: quam deinde Rogator per præconem nunciari jubebat. Si Magistratuum Comitia essent, rogabantur singuli quem vellent Magistratum esse: & tum nominatim singuli appellabant quem vellent Magistratum creari. Idem in Comitiis Regis Sacrorum fiebat. Sin Legum Comitia essent, cùm populus legem accipere vellet, solebat uti his verbis solennibus ac velut conceptis, *uti rogas*, quibus significabat se velle hoc ita fieri quemadmodum Legislator fieri vellet. Cum verò legem accipere nollet, utebatur solenni verbo *antiquo*, quo significabat se quod rogaretur antiquare, i. e. ne omnino fieret, vetare. Iisdem vocibus etiam utebantur in Comitiis judiciorum. In Comitiis legum Magistratus, post denumerata suffragia, legem aut acceptam, aut antiquatàm pronunciabat, populumque dimittebat. In Magistratuum verò Comitiis, solebat is, qui Comitia habebat, priusquam populum dimitteret, eos renunciare, quos jam sæpe à Præconibus pronunciatos populus creâsset, adjecta solenni precatione: ut ait Cic. pro Muræna, *Quæ precatus sum à Diis immortalibus, Judices, &c.* Deinde qui Consules designati essent, domum de campo duci solebant à magnâ multitudine populi, ac præsertim propinquorum & necessariorum.

CAP.

CAP. VI.

De Campo Martio.

Campus Martius, qui alibi Tyberinus dicitur, fuit locus extra urbem prope portam Flumentanam; Martius dictus, eò quòd Marti sacer vel dicatus esset: eum fortasse Romulus sacravit, non enim traditur. Author est Dionysius moris fuisse, in campo Martio Reges & Magistratus creari. In hoc campo præter nativam loci pratorumque amœnitatem, ornamenta etiam & statuæ illustrium virorum erectæ erant: & ex Capitolio, cum ille locus nimis angustus esse cœpisset, propter ornamentorum, quæ quotidie inferrentur, multitudinem; plurima in Campum Martium translata sunt. Campi hujus admirabilis magnitudo, & Curules pariter cursus, & alia equestria certamina expedita suppeditabat: nec minùs, tam multis pilam, trochum, palæstram exercitatione tractantibus, aliaque incumbentibus simul opera. Perennes solo herbæ, coronatique usque ad fluminis alveum colles, Scenicarum ostentatio picturarum ejus generis spectacula præstabant, ut difficilè & invitus abscedas. In hoc igitur Campo varia ludicra exercebantur: tumultu exorto delectus in eo habebantur: clari viri mortui cremabantur: & hic campus fere schola Militiæ Romanæ, ubi juventus Romana ad palum omni genere armorum, & quidem veris duplo graviorum exerceretur, caput petendo, lateribus insidiando, poplites succidendo, insiliendo, resiliendo, punctim potiùs quàm cæsim feriendo, & interim tamen assiduè sese protegendo, item jaculando. Parsibi Tironum pilis, lapidibus, sagittis, manu, fundâ, arcu jaculandis exercebatur: tum verò saltu fossæ latitudinem, aut valli altitudinem superare, præcipuè autem cursu locum occupare, fu-

gientem assequi consuescebat. Erant etiam equi ligneï in campo, ut insilire, desilire, dextrâ, lævâ, inermis, armatus, districto etiam gladio futurus Eques addisceret, veros etiam equos domaret, & futuris præliis assuefaceret. Erat etiam in hoc campo horologium quod habuit septem gradus circùm, & lineas distinctas metallo inaurato. Solum etiam campi, eo loco ubi horologium istud fuit, lapide amplo quadrato stratum fuit, & habuit lineas quasdam, & in angulis quatuor ventos cum inscriptione, *Ut Boreas spirat*, ex opere musivo.

CAP. VII.

De Comitiis Tributis.

COmitia Tributa, à Tribubus dicta, quæ primùm tres tantùm numero extiterunt, sed postea crescente urbe & populo Romano auctæ sunt in triginta quinque.

Tributa Comitia haberi solebant ad creandos Magistratus minores, ad Sacerdotes collegiorum cooptandos, ad leges ferendas, & ad judicium exercendum.

Comitia Tributa habere solebant Consules, Prætores, & Tribuni pro variis rebus in iis tractandis & agendis. Omnibus civibus Romanis, quibus data erat civitas cum jure suffragii, licebat in Comitiis suam dicere sententiam, sive in urbe, sive extra urbem habitarent. *Notandum* hîc obiter, civitatem vel solam, & sine suffragii jure, vel cum eo jure personis singularibus, coloniis, præfecturis, civitatibus, sociis, aut fœderatis dari solitam. In Comitiis Tributis Magistratuum candidatos adesse oportebat, sicut in Comitiis Sacerdotum. In Comitiis autem Judiciorum adesse etiam oportebat Reos & Accusatores cum Advocatis, Patronis, & Sordidatis. Aderant etiam in his Comi-

Comitiis, ut in aliis Diribitores, Custodes, Rogatores, & Præcones.

Tributis Comitiis vocandis non erat unus destinatus locus, quemadmodum Curiatis & Centuriatis: quia religio non erat, extráne, an intra Pomœrium haberentur. Hinc, interdum in Campo Martio, interdum in Comitio, nonnunquam in Capitolio, aliquando in pratis Flamineis, seu Circo Flamineo habita fuerunt.

Comitia hæc, ut alia, non poterant nisi diebus Comitialibus haberi ordinariè. Quo autem anni tempore, id de omnibus sciri nullo modo potest; propterea quod pro re natâ, & Magistratûs ea habentis voluntate vocari solebant omnia præter Comitia Magistratuum, quæ exeunte Quintili, aut Sextili demum ineunte haberi solebant: eo enim tempore solebant fere creari Magistratus ordinarii. Indicebantur hæc Comitia ab aliquo Magistratu qui ea habiturus erat, idque ut plurimùm Trinundino antequàm haberentur. Leges in his Comitiis ferendæ Trinundino etiam ante promulgandæ, suadendæ, & dissuadendæ atque explicandæ erant.

Comitia hæc à Centuriatis & Curiatis differebant, quod non auspicio haberentur, neque Patres horum Comitiorum authores extiterunt, prout in Comitiis Centuriatis.

Cum populus in Comitiis convenerat, tum Concio habebatur à Magistratu eo qui Comitia illa habebat; qua concione de Magistratibus aut Sacerdotibus creandis, vel de legibus ferendis verba ad populum faciebat. Hæc peractâ, populus in suas quisque Tribus discedebat: tum sortitiones fiebant à Magistratu quæ diversi erant generis. Una erat ac prima omnium ad sortiendum in quâ Tribu Latini suffragium ferrent: altera fiebat inter Tribus, quo sc. ordine quæque earum suffragium ferret. Quæ Tribus prima forte exibat Prærogativa dicebatur. Hoc tamen di-

versum erat à Comitiis Centuriatis, quod in his sortitione prærogativa Centuria facta; reliqua Comitia absque sorte pro censu, ordine, atque ætate peragebantur: at Comitiis Tributis sorte utendum erat ad finem usque Comitiorum. Sortiente Magistratu, prout quæque prima exierat, à Præcone ad suffragium ferendum vocabatur. Suffragia viritim colligebantur, ita ut omnes qui ex eâdem Tribu essent rogarentur. Postquam autem tota Tribus suffragia dixerat, sententiæ numerabantur atque describebantur, hoc est, tot puncta in tabellâ notabantur quot tabellæ similes reperirentur. Unde punctum apud bonos authores per Metonym. signi pro suffragio, & Poëta, *Omne tulit punctum*, pro *omne suffragium* dixit. Atque in quam plures consensisse videbantur, ea Tribûs sententia renunciabatur. Post dicta suffragia, qui in Magistratuum Comitiis creati erant Magistratus à populo, & à Magistratu & Præcone renunciati, domum à frequenti amicorum comitatu deducebantur. Post legum Comitia id modò restabat ut leges publicarentur: id quod æneis tabulis per fora & templa fixis fieri solebat. In judiciorum Comitiis, si damnatus erat Reus, ilicò prædes dare, aut mulctas solvere cogebatur, alioqui in vincula duci à Magistratu jubebatur.

CAP. VIII.

De Magistratibus Rom.

Magistratuum Rom. alii in ipsâ urbe fuerunt, sive Urbani; alii extra Urbem sive Provinciales. Urbanorum alii majores, alii minores: utrorumque alii ordinarii, alii extraordinarii fuerunt. Magistratus ordinarii majores fuerunt Rex, Præfectus, vel Tribunus Celerum, Consules, Censores, Prætores, Imperatores, Cæsares augusti, donati tribunitia potestate.

Nobi-

Nobilissimi Cæsares, vel Principes Juventutis, Præfectus urbis.

Magistratus majores extra ordinem fuerunt, Præfectus urbis absente ordinario Magistratu, Interrex, Dictator, Equitum Magister, Decemviri legibus scribendis consulari potestate, Tribuni Militum consulari potestate, Triumviri Reip. constituendæ.

Magistratus minores ordinarii, Quæstores Urbani vel Ærarii, Tribuni Pleb. Ædiles plebis, Ædiles Curules, Ædiles Cereales, Curatores omnium Tribuum, Triumviri capitales, Triumviri nocturni, Triumviri valetudinis, Triumviri Monetales, Quatuorviri viarum curandarum, Quinqueviri Cis & Uls Tyberim, Decemviri litibus judicandis, Centumviri litibus judicandis, Præfecti Ærarii, Curatores operum publicorum, Curatores alvei Tyberis & Cloacarum, Curatores viarum singularum extra urbem, Præfectus Prætorio, Præfectus frumenti populo dividendi, Præfectus vigilum, Præfecti regionum, Denunciatores regionum, Magistri vicorum quatuordecim regionum urbis, Advocatus Fisci.

Magistratus minores extra ordinem Duumviri perduellionis, Quæstores parricidii, vel rerum capitalium, Præfectus Annonæ, Quinqueviri mensarii, Triumviri mensarii, Duumviri navales, Triumviri qui conquirerent juvenes idoneos ad arma ferenda, militesque facerent; Quinqueviri turribus murisque reficiendis, Triumviri Senatus legendi, Triumviri recognoscendi turmas Equitum Romanorum.

Magistratus pop. Romani extra urbem vel provinciales fuerunt Proconsules, Proprætores, Legati Proconsulum, Legati Proprætorum, Quæstores Provinciales, Proquæstores, Præfectus Ægypti, Præfecti Præfecturarum, Consulares quatuor qui per Italiam jus dicerent, Juridici Italiæ, Triumviri, vel Quinqueviri, vel Septemviri, vel Decemviri coloniæ deducendæ,

cendæ; Quinqueviri vel Quindecimviri agrorum metiendorum dividendorumque, Triumviri vel Quinqueviri ad inſpiciendos fines, litesque dirimendas.

Miniſtri Magiſtratuum pop. Rom. fuerunt Scribæ, Accenſi vel Adcenſi, Præcones, Lictores, Viatores, Carnifices. De his ſingulis dicere nec otium eſt, nec animus, neque opus: verum præcipuos & authoribus Latinis maximè uſitatos compendio perſtringemus.

CAP. IX.

De Regibus Roman.

EX Floro ſatis conſtat qui, quot, & quales fuerint.

CAP. X.

De Præfecto, ſive Tribuno Celerum.

CEleres, i. e. Equites expediti trecenti juvenes robuſtiſſimi ex nobiliſſimis familiis delecti per ſingulas Curias, Curiarum ſuffragiis commendati, qui circa Regem eſſent, ipſum haſtati per urbem aſſectarentur, & juſſi miniſteria exequerentur, in militiâ Anteſignani & Protectores, qui primi pugnam inirent & poſtremi ſe reciperent: Equites quidem ubi campus eſſet ad equeſtre certamen accommodus; Pedites verò, in aſpero loco & equis invio. Celeres appellati ſunt à miniſterio expedito. In tres Centurias diſtincti, quarum ſuus cuique Præfectus, qui Centurio dicebatur: qui verò his omnibus & Centuriis & Centurionibus præerat, Præfectus ſive Tribunus Celerum nuncupabatur.

CAP.

Cap. XI.

De Senatoribus.

Senatores primùm à Romulo electi erant centum: posteà rerum temporumque decursu, affluebat eorum numerus & crescebat supra mille, quos Augustus in ordinem demum redegit: aut à nobilitate generis, aut ab ætate, aut à sapientiâ nomen cepêre: iidem Patres & eorum familia Patricia dicebatur: iidem multitudinis Patroni, i. e. defensores erant: iidem peregrinis appellati Principes in Civitate. Hi centum primùm instituti Senatores in summo erant honore, & Senatores *Majorum Gentium* dicebantur, qui post hos centum creati ex Patriciis adscripti fuere *Patres Conscripti* appellati sunt: qui postea ex plebe in Senatorum numerum relati sunt, Senatores *Allecti* dicebantur. Totum illud Senatorum Collegium, sive Concilium *Senatus* dictus est. Quod illi in Concilio constituerant, ratum erat, & *Senatus consultum* appellabatur, si sc. plebs consentiret: nam cùm à Patribus per discordiam secessit, sibi constituit quæ *Plebis Scita* vocabantur. Rex ad Senatum referebat: Senatus de omni re cognoscebat & suffragium ferebat, & quod visum pluribus, id fiebat: populus Magistratus creabat, leges sanciebat & de bello decernebat.

Cap. XII.

De Interrege.

Spatium temporis à defuncto Rege usque ad creationem sequentis Interregnum dicebatur & qui præerat cum regia potestate & insignibus, Interrex erat.

CAP. XIII.

De Præfecto Urbis.

ROmulus unum elegit, qui urbanis negotiis præesset: hunc Præfectum Urbis fuisse satis constat. Longo post tempore, tantum sibi urbis Præfectus vendicavit, Cæsarum temporibus, ut crimina omnium in urbe cognosceret, & demum cum Cæsares ab urbe abessent, Præfectus velut alter Cæsar imperabat, & de rebus omnibus quæ ad urbem pertinebant, censebat.

CAP. XIV.

De Consulibus.

PUlsis Regibus, authore L. Junio Bruto Tribuno Celerum, consulare imperium factum est cum omni regiâ potestate & insignibus, & ne per omnia Regiam potestatem sibi vendicarent; lege cautum fuit, ut ab iis provocatio esset, néve possent in caput civis Romani animadvertere injussu populi: solum relictum est illis ut coercere possent, & in vincula publica duci juberent. Consules, à consulendo dicti, i. e. providendo & populo prospiciendo, duo quotannis creati sunt in Comitiis Centuriatis à Præfecto urbis. Apud eos summa totius imperii erat. Hi Senatum populumque per Accensos & Præcones cogebant: hi exercitus ductabant: hi primi jurârunt neminem Romæ se passuros regnare; & idem fecit populus. Insignia Consulum fuêre Sella Curulis, regia & eburnea, in quâ jus dicebatur; Trabea, seu purpurea prætexta; Lictores præferentes ipsis fasces. Fuit & hoc maximæ dignitatis, quòd ab eorum Magistratu

gistratu annorum numerus signabatur, non aliter quam apud alias gentes à Regibus, aut apud nos Christianos à nativitate Servatoris nostri.

CAP. XV.

De Dictatore & Magistro Equitum.

QUotiescunque se Romani bello aut alio quovis periculo imminente impeditos senserunt, Dictatorem statim creârunt cui Reip. summam tradiderunt. Hic à Rege differebat tantum nomine & imperii duratione. Dictatoris nomen fortitus est, quia dictis ejus parebat populus. Dictator sex mensibus durabat: &, si id demum necesse esset, in alios sex menses denuò eligebatur. A Dictatore ad populum provocatio non erat, & ei capitis animadversio data est: quibus rebus à Consulibus differebat. Dictator creatus designabat sibi Magistrum Equitum, qui Dictatori idem fuit quod Regi Præfectus Celerum; absente enim Dictatore summam omnium rerum gerendarum potestatem habuit.

CAP. XVI.

De Prætoribus.

PRætor, quòd præeat, quasi Præitor dictus appellabatur primum omnis fere Magistratus, ipse etiam Consul. Prætor dictus ille qui præiret jure & exercitu: nam cum Consules avocarentur à bellis finitimis, neque esset qui in civitate jus dare posset, factum est ut Prætor quoque crearetur, qui jus populo diceret. Prætor primùm unicus tantum in urbe designatus erat; posteà autem non sufficiente eo Prætore, quod multa urbe peregrinorum ad jus petendum in

in urbem veniret, creatus est alius Prætor. Ita Prætores duo facti, unus qui civibus, alter qui peregrinis jus diceret: unde ille *urbanus* & *major*, hic *peregrinus* & *minor* vocabatur. Hi Comitiis Centuriatis creati à populo, jurisdictionem, sed incertam, accipiebant. Ubi verò designati erant, ex Senatusconsulto duas jurisdictiones urbanam & peregrinam sortiebantur, quamque sorte adepti erant eam exercebant. Causarum duo sunt genera, aliæ Criminosæ, aliæ Civiles: hæ primùm Prætoribus propriæ, deinde etiam illæ: unde Prætores Quæsitores dicti sunt. Munus juris à Prætoribus dicundi tribus hisce continetur verbis *Do*, *dico*, *addico*: Prætor enim actionem dabat, jus dicebat; tam res quam homines addicebat. Insignia Prætorum fuerunt prætexta, Sella Curulis, hasta, gladius: ministri erant Scribæ, Accensi, & Lictores. Prætexta iis cum Consulibus communis fuit. Sella Curulis fuit Sella eburnea quâ in publico & privato loco sedendi causa utebatur. Propria autem Prætorum insignia duo fuêre, hasta & gladius; illa ad jurisdictionem, hic ad quæstionem significandam. Prætores rebus privatis & civilibus præpositi erant duo illi jam dicti: rebus autem publicis & criminosis præpositi etiam plures fuere.

CAP. XVII.

De Censoribus.

Censores constituti sunt, quod Consules negotiorum mole impediti vacare civibus censendis non poterant; ideoque totos annos septemdecim nullus fuit habitus census. Partim igitur hanc consularis muneris, & alia quædam officia judicarunt patres transferenda esse in peculiarem Magistratum, cui hujus Censuræ nomen est impositum, quòd ad eorum censio-

censionem i. e. arbitrium censeretur populus: vel quod suam quisque rem tanti æstimare solitus sit quanti illi censuissent. Censores duo creati, censuique habendo præfecti, ab eaque re Censores appellati sunt. Fuit hic unus de Magistratibus majoribus, & Reip. Romanæ, propter disciplinæ custodiam, cujus severa cura Censoribus inter cætera sine provocatione commissa fuit, admodum salutaris. Censorum officium erat describere facultates cujusque civis, observare singulorum hominum, etiam eorum qui Senatorii, aut equestris erant ordinis, mores & vitam; notare ignominia civem quemcunque, Senatorem loco movere, Equiti adimere equum & annulum, si quid in vita ejus deprehenderet honestati contrarium; tollere quoque omnia quæ probitati morum pestem & perniciem illatura videbantur: *Magistri morum* solebant nominari. Fuit autem observatum, ut ad hoc munus non eligerentur nisi duo vera virtute & authoritate insignes, & ut plurimum consulares. Quum Censor moreretur, id pro infaustissimo habebatur omine, Creabantur quinto quoque anno, quod tempus Lustrum appellabatur: & completo quinquennio (quadriennio potius) lustrabant, & taurilia sacrificia de sue, ove, tauro faciebant: alii Suovetaurilia appellant. Censuram Mamertinus Dictator postea annuam & semestrem fecit. Hic Magistratus primum solis patriciis concessus, postea etiam plebi.

CAP. XVIII.

De Quæstoribus.

Quæstores à quærendo dicti sunt, qui conquirerent publicas pecunias & maleficia. Tria fuerunt eorum distincta genera alii enim Quæstores Urbani

vel

vel Ærarii: alii Quæſtores parricidii vel rerum capitalium: alii Quæſtores provinciales fuerunt, qui provincias gererent & earum vectigalia conquirerent.

CAP. IV.

De Tribunis Plebis.

TRibunis plebis creandis initium fuit ſeceſſio plebis à Patribus in montem ſacrum facta ob crudelem Patriciorum fœnerationem: quæ cum ingentem trepidationem incuſſiſſet Patribus, Menenium Agrippam ſummæ ea tempeſtate authoritatis virum plebi pariter ac patribus charum, Legatum ad componendam popularem ſeditionem decernunt; qui gravi uſus oratione, in qua Apologum de conſpiratione membrorum contra ventrem induxit, quemadmodum corpori ea conſpiratio cladem intulerit, atque eò delenivit plebis animos, ut illius opera pacem cum Patribus iniverit: in cujus fœderis pactione convenit, ut plebeios in urbe magiſtratus obtinerent. Primùm Tribuni Plebis conceſſi duo, deinde tres additi, mox quinque, item alii: hoc pacto decem Tribunis in plebem Romanam fuit jurisdictio. Tribunorum creandorum poteſtatem plebeii adepti ſunt, ut ipſi ſibi è ſuo corpore, contra Patriciorum potentiam ac vim, creare magiſtratum peculiarem poſſent, à quo auxilii latio adverſus Conſules eſſet; utque hic magiſtratus ſacroſanctus eſſet, h. e. talis quem vel vi vel verbo violare capitale eſſet, & ſcelus inexpiabile: ita ut magis ad impediendum quam agendum initio Tribuni eſſent creati: hoc fine, ut, ſi quid vel de publico vel privato negotio animadverterent à patribus agi quod fraudi poſſet eſſe plebi, interponerent ſuam authoritatem, & illud averterent, non autem ipſi nova & alia moliremur, ſicuti ſæpe fecerunt. Poterant

rant igitur Tribuni quemvis tueri contra vim intentatam à superiore, & licebat illis quibusvis decretis quæ improbabant, intercedere: licebat etiam ipsis quemcunque vellent arreptum in concionem producere & cogere quibus de rebus esset interrogatus de iis respondere. Hac tantâ potentiâ & immunitate tanquam telo quodam acerrimo armati, si qui naturâ inquieti, aut alias patribus iniqui essent, valdè abusi sunt suâ potestate, & paulatim latiùs progrediendo, & multò plus sibi juris vendicando quàm initio fuerat concessum, multùm labefactârunt authoritatem Senatûs & Consulum, & authores crebri fuerunt maximorum tumultuum & malorum, & non rarò pestes & pernicies nominantur Reip. & *Furores Tribunicii* sunt furores insanissimi. Quanquam ipsa Tribunorum constitutio, si intra limites suos mansisset, & justè fuisset administrata, fuisset saluti Reip. & frænum Patrum ne discederent ab officio. Est hoc de Tribunis memorabile, quod, si unus exterorum rogationibus refragaretur, impedire poterat omnia. Domus Tribunitia nunquam fuit clausa, sed noctu & interdiu semper iis, quibus opitulandum esset, patuit. Nec licuit Tribuno integrum diem ab urbe abesse, nisi in Latinis feriis. Potestas Tribunorum etiam terminata fuit mœnibus, nec extra urbe quicquam valuit. Tribuni plebis primùm è Tribunis militum eligebantur. Tribunitiam potestatem Sylla Dictator totam abolevit, eam Pompeius restituit: sub Constantino autem Imperatore in universum Tribunatus cessavit.

CAP. XX.

De Tribunis Militum Conſulari poteſtate.

UT plurimorum aliorum Magiſtratuum, ita etiam hujus authores fuerunt Tribuni plebis. Dicuntur Tribuni Militum vel Militares conſulari poteſtate, ad differentiam eorum qui Caſtrenſes Magiſtratus erant. Cauſam autem iis creandis dederunt Tribuni plebis, qui rogârunt, & graviſſimè urſerunt, poſt multa alia privilegia quæ patribus & patriciis antè extorſiſſent, tandem etiam hoc, ut alter Conſulum ex plebe fieri liceret. Opponunt ſe patricii graviſſimè: de furore ſuo tribunitio nihil remittunt: tandem ne Conſulatus cum plebe communicaretur, Senatusconſultum factum eſt, ut in locum Conſulum alii magiſtratus, vel præfecti, pars ex plebe, pars ex patribus crearentur. Hoc ſenatus-conſultum plebs laudibus extulit & accepit, & ſic Tribuni Militum tres conſulari poteſtate, & quidem omnes patricii eligebantur. Fuerunt hi Tribuni nonnunquam omnes patricii, nonnunquam ex patribus & plebe ſimul creati: poteſtate & inſignibus iisdem quibus Conſules uſi fuerunt, ut patet ex titulo.

CAP. XXI.

De Triumviris.

PLurimi Magiſtratus Romæ fuêre Triumviri dicti. Primi ſunt Triumviri Reip. conſtituendæ, inſtituti ad ſedandos tumultus, ad componendas turbas & delenda partium ſtudia exorta in Rep. poſt J. Cæſarem in ſenatu 23. vulneribus confoſſum. Hi pio Magiſtratus prætextu tyrannidem palliantes ſeſe Triumviros

viros Reip. constituendæ appellavêre, quorum nutu & auspiciis omnis Resp. niteretur. Cæterum quorsum eorum animus inclinaret, mox ipse rerum eventus ostendit omnes divinas humanasque res commiscens: omnibus inter se opibus consumptis ad extremum unus Cæsar potitus est, qui & ipse omnibus cæteris superstes ipsum de quo loquimur triumviratum obtinuit. Duravit Romæ hic Triumviratus annos circiter decem.

Alii erant Triumviri Capitales dicti, qui & Tresviri seu Treviri nonnullis appellati carceris custodiam haberent, & in facinorosos animadverterent, ante constitutas quæstiones publicas. Iis octo lictores ministrabant.

Erant & Triumviri Menarii, quibus commissum erat ex ærario publico persolvere pauperum Civium debita. Huic muneri præerant aliquando quinque Quinqueviri Mensarii dicti, à mensâ in quâ pecunia numerari solet.

Erant etiam Triumviri coloniæ deducendæ, qui populi in colonias deducti duces eligebantur: Sed ad hoc aliquando septem, decem, aut viginti electi, qui ex eo Septemviri, Decemviri, Vigintiviri coloniæ deducendæ appellari solent.

Erant etiam Triumviri Monetales, qui cudendæ monetæ præfuere, inde dicti Triumviri A. A. Æ. F. F. i. e. auro, argento, ære, flando, feriendo.

Triumviri Valetudinis pestis causâ creari solebant, atque Domini sanitatis vocabantur: his, temporibus de morbo suspectis magna potestas concedi solebat.

Triumviri Nocturni ad incendia arcenda excubias agebant, unde Nocturni dicti sunt.

CAP.

CAP. XXII.

De Decemviris legibus scribendis Consulari potestate.

DEcemviri loco Consulum tribus annis Reip. præfuerunt. Hi Athenis leges tulerunt in decem tabulis: datumque est iis jus summum, à quibus provocatio non erat; & datum est ut leges corrigerent & interpretarentur. Sequente anno duas tabulas addiderunt: & inde appellatæ leges duodecim tabularum. Hæ leges aereis tabulis pro rostris ponebantur. Decemviri hi, assumptis civitatis gubernaculis, aggressi sunt Remp. constituere. Potestatem & insignia habebant eadem quæ Consules, ut patet ex titulo. Penes unum fasces erant, & reliqua Consularis potestatis insignia; is senatum convocabat, decreta confirmabat, cæteraque agebat pro imperio. Reliqui servatis vicibus succedebant, idque ad certos dies, donec elaberetur tempus annuum.

CAP. XXIII.

De Ædilibus.

ÆDiles, alii Plebeii, alii Curules, alii Cereales erant: qui licet nomen unum, officia tamen multùm diversa habebant. Ædilis dictus est qui ædes sacras & privatas curaret.

Ædiles plebis eodem anno quo Tribuni plebis, ex plebe eligebantur duo, qui Tribunis pleb. administrarent quicquid opus esset, & lites nonnullas eorum permissu dijudicarent, ædiumque sacrarum, locorum publicorum, & annonæ curam haberent. Ab uno officiorum suorum vocantur Ædiles: curarunt au-

autem multas res magnas quas hîc recenſere longum foret.

Ædiles Curules appellabantur à Sellâ Curuli quâ uti ſolebant. Creabantur ex Patriciis, non ex Plebeiis primùm: poſteà alternis annis ex plebe fiebant. Erant numero duo. Horum munus fuit ludos ſacros & ſolennes ſuis ſumptibus inſtituere ac procurare, ſacrarum ædium ac privatarum curam habere, curare ut Templa, Theatra, Stadia, Fora, Porticus, Curiæ, Baſilicæ, atque Mœnia magnificis operibus reficerentur & ornarentur: etiam annonæ aliarumque rerum curationem & cognitionem ſibi vendicarunt; & multa cum Ædilibus Plebeiis communia habuerunt: omnium maximè ad eos pertinebat fas & lites Redhibitionum, i. e. in quibus agebatur de rei corruptæ vitio quam quis aut vendidiſſet aut commutâſſet dirimere.

Ædiles Cerales dicti, qui Cereri i. e. frumento præerant, à C. J. Cæſ. inſtituti, & ex Patriciis creati.

Cap. XXIV.

De Proconſulibus.

Proconſulem ſex Lictores præcedebant: cætera omnia habebat ut Conſules. Statutum erat, ut qui Conſules uno anno fuiſſent, ſequente Proconſules eſſent. Deinde Proconſules ad provincias mittebantur, & ſinguli ſingulos legatos habebant, qui adminiſtrationi præſtarent auxilium. Proconſul poteſtatem exercet in eâ provinciâ tantùm quæ ei tradita eſt vel decreta, niſi vocaretur in jurisdictionem voluntariam. Sub Cæſaribus diſtinctæ provinciæ: & Conſulares ſub Senatu populoque Romano erant, Proconſules ſub Imperatoribus.

Cap.

CAP. XV.

De Imperatoribus Augustis Cæsaribus donatis Tribunitiâ potestate.

POpularis Reip. Rom. status hac ratione iterum in Monarchiam conversus est. Cum C. J. Cæsar devictis Pompeii in Hispania filiis, & reliquiis civilis belli confectis Romam reversus esset, Senatus qui magna ex parte Pompeium secutus fuerat, metuens ne ipse victoria elatus crudele aliquid in se statueret, novos quosdam & singulares honores decrevit: inter quos fuerunt præcipuè, ut Pater patriæ diceretur, Consul in decennium (quem tamen honorem post aspernatus est) Dictator in perpetuum esset, sacrosanctus haberetur, Quintilis mensis ab ejus nomine Julius appellaretur, in acta ipsius Magistratus ineuntes jurarent, & ut Imperator appellaretur. Quæ omnia post necem Julii in Octavio, postquam Triumviratum deposuisset, sunt confirmata, & alia insuper addita. Nam præter hæc quæ commemoravimus, Imperatores tribunitiâ etiam potestate donabantur, Pontifices maximi creabantur: denique omnis potestas quæ Consulum, Tribunorum plebis, Censorum, cæterorum denique omnium olim fuerat, in illos est translata; atque illud etiam iis datum, ut legibus soluti essent, nec ullo præscripto tenerentur. Augusti autem dicti sunt hac ratione, prout ex Floro videre est in clausula lib. 4. ubi Octavii Cæs. facta ingentia, & summos honores inde partos repetens, historiam sic claudit. „ Tractatum etiam in Senatu; an, „ quia condidisset imperium, Romulus vocaretur: sed „ sanctius & reverentius visum est nomen Augusti, „ ut scilicet jam tum dum colit terras, ipso nomi„ ne & titulo consecraretur.

CAP.

CAP. XXVI.

De Principibus Iuventutis, Cæsaribus, & nobilissimis Cæsaribus.

NOn erant hi propriè Magistratus, sed tamen ad capiendos Magistratus designabantur. Consueverant enim Imperatores ex filiis, vel nepotibus, vel aliis sanguine junctis unum atque alterum, quorum præclaram indolem conspexerant, creare, ad quos imperium transferre volebant; eosque primum Principes Juventutis, pòst, extincta fere Cæsarum familia, Cæsares, tandem nobilissimos Cæsares appellabant. Primus hujus instituti author fuit Octavius Augustus.

CAP. XXVII.

De Præfecto Prætorio.

PRæfectus Prætorio sub Cæsaribus disciplinæ militari præerat: ejus posteà authoritas aucta est erga forenses causas, ubi imperium declinare cœpit, nomen mutavit, Magister Stabuli dictus (nobis est comes stabuli) cum anteà sub Regibus Tribunus Celerum fuit, & sub Dictatore Magister Equitum. Sic de Magistratibus Romanis, adeoque de rebus civilibus publicis: sequuntur privatæ, cujusmodi primò sunt Vestes.

CAP. XXVIII.

De Vestibus Roman. & primum de Togâ.

ROmanæ Toga, uti Græcis pallium erat propria: unde hi gens *Palliata*, illi *Togata* appellari antiquitùs

quitùs solebant. Quare cum omnia quæ ad vestitum Romanorum pertinent attingere nequeamus, pauca solummodò notabimus de Rom. Togâ, Tunicâ, & Calceis.

Toga à tegendo dicta amictus exterior fuit: ex lana fiebat. Cingebatur Toga cinctura triplici, laxiore, strictiore, & cinctu Gabino. Cinctura laxior erat qua Toga laciniâ traheretur, & terram verreret, quod molle ingenium indicabat. Cinctura strictior, quâ sinus Togæ in anteriore parte conficeretur, nec Toga ad pedes devenire permitteretur: unde *alte præcincti* pro expeditis dicti sunt. *Cinctus Gabinus* dicebatur Toga sic interdum rejecta, ut una lacinia à tergo revocata hominem cingat. Hoc vestimenti genere utebatur Consul bella indicturus, ideò quia cum Gabii Campaniæ civitas sacris operaretur, bellum subitò venit: tum cives accinctis togis suis ab agris ad bella profecti sunt & victoriam adepti: unde hic est ortus mos.

Togæ mensura pro opibus varia fuit: quibus enim domestica res angustior, iis Togæ parvæ: quibus ampla, majores. Honestiores fœminæ non Togâ utebantur, sed Stolâ: quæ tamen obscuri erant loci, item ancillæ & mulieres impudicæ Togam ferebant: unde apud Poëtas sæpe togatæ mulieres Matronis opponuntur; quippe eo nomine Meretrices vocabantur. Exulibus Romanis, quibus aquâ & igni esset interdictum, uti togâ non licebat. Mutatâ Rep. & imperio labente, Toga, quæ olim Civibus necessaria erat, apud paucos & non nisi honestiores remansit: Vulgus, spretâ eâ, abiit ad penulas, lacernas, aut tunicas solas, easque coloris pulli. Toga pacis, ut sagum belli insigne fuit. Togarum genera fuerunt Prætexta, Candida, Pura, Pulla, Sordida, Picta, Purpurea, Palmata, Trabea.

Toga Prætexta à prætexendo dicitur, quia ei purpura

pura prætexta erat, i. e. quia purpuram in orâ habebat. Hac togâ utebantur pueri usque ad annum decimum septimum: qui annus Tyrocinii dicebatur. Hac primum utebantur Sacerdotes Romani & summi Magistratus. A prætextâ Prætextati dicti sunt, ii sc. qui in ætate essent prætextatâ, i. e. puerili, & qui in Magistratu.

Toga Candida dicebatur quâ induebantur ii qui honores petere volebant, inde *Candidati* appellati: erat autem candida cui intendendæ albedinis causâ cretam addiderant; est enim plus candidum quàm album: albus color nativus lanæ est; candidus propriè splendens ille, & qui est ab arte.

Toga Pura fuit communis *Toga* hominum privatorum: eadem *Virilis* appellata & *Recta*, & *Libera*, & nonnunquam *Toga* simpliciter nullo epitheto addito. Pura dicebatur, quod albi coloris nullâ admistâ purpurâ esset. Virilis, quia pueris virilem ætatem ingredientibus dabatur, anno scilicet decimo sexto, postquam ex ephebis excessissent, & prætextatam seu puerilem togam exuissent. Libera, quia pueris initium quoddam libertatis erat, cum anteà custodirentur à Pædagogis. Recta, quod ominis causa à stantibus, & in altitudinem contexi solebat.

Toga Pulla atri coloris fuit, quam induebant luctûs causa: unde Atrati dicuntur mœsti & lugentes. Declinante enim Rep. cum exoleviſſet usus *Togæ*, exolevit etiam simul usus coloris albi: & tum pullæ fuerunt plebeiæ vestes omnes: hinc *Pulla Paupertas* dicta est: hinc discrimen Civium priori seculo ignotum, ut alii Candidati dicerentur, alii Pullati. Candidati, non ii qui peterent (ut olim) sed honestioris ordinis Cives: Pullati, infima plebs sive vulgus.

Toga Sordida à pulla differebat & colore & usu: non enim erat atra, sed alba, veruntamen erat sordidior & longo usu detrita: Deinde, nullus ejus usus

fuit in luctu, sed erat fere vestis vulgi, quod ob id sordidum interdum dicitur: qui verò ditiores & elegantiores erant, ii semper nivea toga vestiti erant.

Toga Picta vestis Hetrusca fuit, purpurei coloris, auro distincta, à Triumphantibus geri solita.

Toga Purpurea differebat à picta, quia pura erat; à Prætexta, quia hæc erat alba cum limbo tantùm purpureo circumducto, purpurea limbum non habebat.

Toga Palmata ab intextis palmis sic appellata.

Trabearum genera tria fuerunt: unum, è sola purpura Diis consecratum: alterum è purpura non sine albo: tertium augurale ex purpurâ & cocco.

CAP. XXIX.

De Tunicâ Roman.

Tunica propriè dicta, est vestis, quæ proximè togam attigit: primùm sine manicis, deinde manicata ac cinctura constricta erat. Omnes Cives Romani Tunica utebantur, ac Tunicæ ordines distinxerunt. Nam Senatores & Equites Tunicam clavatam induerunt, plebs rectam & sine clavis. Clavata tunica fuit, quæ clavos purpureos i. e. flores panno intextos vel insutos habuit. Latus clavus fuit Senatorum: Angustus clavus Equitum Romanorum.

CAP. XXX.

De Calceis Roman.

Calceamentorum duo genera fuerunt; Calceus & Solea. Calceus totum pedem tegebat; Solea plantam tantùm; pars enim superior habenis devincta fuit. Et Calceorum & Solearum multa genera fuerunt.

Lu-

Lunulatus Calceus erat Senatorum, de quo supra cap. de Senatorib. alias appellabatur *Mulleus*, à verbo antiquo mullare, i. e. fuere.

Pero sive purus Calceus ex puro corio sine lunulis factus erat.

Calcei *Uncinati*, iidem qui Caligæ, erant calcei illi quibus utebantur Milites, à quibus Cajus Cæs. Caligula Imperator nomen habuit, quia natus in exercitu erat.

Erant duo Calceamentorum genera Scenicis propria. *Soccus* Comœdorum erat calceus supra talos porrectus: hic pro Comœdiâ aliquando ponitur. *Cothurnus* Tragœdorum ad suram usque pertingebat; ambiguus & utrique pedi aptus erat: unde aliquando sermones ambiguos significat, aliquando turgidos, elatos, tragicos, & ipsam Tragœdiam: ut Horat. A. P.

Hunc Socci cepere pedem, grandesque Cothurni.
Id est, Comœdiæ & Tragœdiæ.

CAP. XXXI.

De Mensis & Conviviis Romanorum.

VEteres in more habuerunt quater in die cibum sumere: Jentaculum, quod prandiculum prisci appellaverunt, Prandium, Cœnam, Comessationem. Merendam posteri addiderunt, quæ à cibo meridiano nomen sumens idem cum prandio apud veteres fuit, inde quinquies cibum quotidie capere solitum constat: quod tamen non ita intelligendum est quasi omnes sine discrimine toties comederent; verùm de pueris qui famem non ferunt, & opificibus, servis, viatoribus, quorum labore fractas atque imminutas vires refici & augeri cibo necesse erat, item de Senibus qui valetudinis causâ aliquid cibi

ante Cœnam ſumebant: reliqui homines liberaliter educati ſemel tantùm, aut plurimùm bis comederunt. Prandia erant, ut plurimùm, breviſſima & parciſſima: ſumptuoſiora & liberaliora, vel feſtis diebus uſurpare ſolebant, vel nuptialia erant, vel ambitionis & largitionis, vel luxuriæ cauſâ inſtituebantur. His cauſis exceptis, & ſimilibus, parcè admodum prandebant, cœnabant largiùs. Cœnam veteres Veſpernam appellabant: quod autem Prandium vocamus, illi Cœnam appellabant. Certiſſimum eſt Comeſſationes antiquis probatas non fuiſſe. Ad cœnas maximè Convivas vocabant, quò liberiùs amicos tractarent, non interveniente negotiorum de die ſerie; inde tam frequens Cœnarum, prandiorum nulla, aut certè rara mentio in deſcriptione apparatûs alicujus magnifici.

Menſæ primùm ex ulvis paluſtribus aut ceſpite, ut & ipſi lecti ſeu tori: poſteà ex acere conficiebantur: lapſis deinde moribus, & invaleſcente luxuriâ, lecti, abaci, monopodia, menſæ, triclinia ex ebore facta, & primùm ærata, deinde & argentea, mox & laminis aureis obduci cœperunt: quæ morum pernicies diſciplinæque publicæ peſtis ac jactura à Cn. Manlio, victâ Aſiâ in urbem commigravit. Sed & citreæ menſæ usque adeò in pretio fuerunt, ut argenti auriſque æſtimationem ea arbor æquaverit. Menſæ primùm formâ quadratæ, poſteà rotundæ factæ ſunt: quæ menſarum formæ Græcis pariter & Latinis communes: Romanæ verò menſæ referebant figuram ſigmatis Græci quod idem cum C Latino, ſeu dimidiatæ Lunæ effigie, ut in ejus intercapedine poſiti ſervi & pincernæ omnia liberiùs circum miniſtrarent. Ad extrema hujus cornua honoratiores convivæ collocabantur. Ornabantur autem ſigmata hæc tapete, aut byſſino periſtromate, luxuriante Rep. quanquam priſca frugalitas frondibus, culmis, aut ferarum pellibus contenta fuiſſet. Ro-

Romani ante, Cœnam, quæ hora diei nona fere committebatur, exercebantur lavando, fricando, ungendo.

Priſci Romani ſedentes epulabantur: quem morem habuerunt à Laconibus & Cretenſibus. Poſterioribus temporibus accumbendi mos manavit ad Romanos, ut veriſimile eſt poſt Aſiam devictam Græciamque cognitam ab ipſis Græcis: quod Horat. innuit.

Græcia victa ſuum victorem cepit. ——

Accumbendi modus hujusmodi erat. In Cœnaculo menſa collocabatur rotunda, humilis, inferiorum quidem hominum, tripes, & ex ſimplice ligno; lautiorum citrea, aut acerna, aut lamina argentea intecta, quam pes eburneus fabrè factus, putà in modum Pardi aut Leonis, ſuſtinebat. Circum Menſam tres, ut plurimum, lecti erant, ex quo Triclinii nomen; vel duo etiam, quod Plaut. Biclinium: poſterior ætas à Veſpaſianorum Imperio Sigma vocare cœpit: quòd cum eſſet in formam hemicycli aut lunatæ teſtudinis extructum vocari placuit nomine literæ Græcæ; quia, ut ex marmoribus liquet, illa ætas ſigma literam ut mediam lunam ſcribebat C. Sigma autem duobus lectis tantum conſtitit: ii porrò lecti inſternebantur aulæis, purpura, aut alia veſte ſtragula, pro copia aut inopia convivatoris: id ſub horam Cœnæ fiebat. Priusquam autem accumberent, lavabantur, atque togas mutabant veſtibus quas à re Cœnatoria dixerunt. Tum etiam ſoleas pedibus demebant, ne lectum conſpurcarent. Cæterum aut terni quaterni unum locum occupabant: ſi plures, ſordidum id, & minimè lautum habebatur. Ita fiebat ut ex una communi menſa vix ſupra duodecim veſcerentur. Accumbebant reclinata ſupera parte corporis in cubitum ſiniſtrum, infera in longum porrecta, ac jacente, capite leviter erecto, dorſo à pulvillis mo-

dicè ſuffulto. Quod ſi plures uno lecto decumberent, primus decumbebat ad caput lecti, cujus pedes porrigebantur ponè dorſum ſecundum; ſecundus verò occiput obvertebat ad umbilicum primi, pulvillo interjecto; pedes jacebant ad tergum tertii: & ſic deinceps tertius, ſic quartus. Qui primus & ad caput lecti decumbebat, ſummus dicebatur; qui ad pedes, imus; qui inter iſtos, medius. Atque ſi tres Convivæ in uno lecto, medius digniſſimus; proximus honore ſummus: ſi quatuor, medium cenſeri arbitror proximum à ſummo: ſi duo tantum, digniſſimus ſummus fuit. Atque hæc quidem in privatis conviviis. In publicis autem Epulis & Cœnis nuptialibus cum hominum magna multitudo conveniret, numerus discumbentium obſervari non poterat, ſed plures ternis aut quaternis in uno lecto decumbebant.

Dicit autem Varro Convivarum numerum incipere debere à Gratiarum numero, & progredi ad Muſarum i. e. profici à tribus, & conſiſtere in novem: ut cum pauciſſimi Convivæ ſunt, non pauciores ſint quam tres; cum plurimi, non plures quam novem: Nam multos eſſe non convenit, quod turba plerunque eſt turbulenta. Ipſum deinde Convivium conſtat (inquit) ex rebus quatuor, & tum denique omnibus ſuis numeris abſolutum eſt. Si belli homunculi collecti ſunt, ſi lectus lectus, ſi tempus lectum, ſi apparatus non neglectus. Nec loquaces, inquit, Convivas, nec multos legere oportet: quia eloquentia in foro, & apud ſubſellia: ſilentium verò non in convivio, ſed in cubiculo eſſe decet. Sermones igitur id temporis habendi, non ſuper rebus anxiis aut tortuoſis, ſed jucundis atque invitabiles, & cum quadam illecebra & voluptate utiles, ex quibus ingenium noſtrum venuſtius fiat & amœnius: quod profectò eveniet, ſi de ingenuis rebus ad communem vitæ uſum pertinentibus confabulemur, de quibus in foro atque

in

in negotiis agentibus loqui non est otium. Dominum autem convivii esse oportet non tam lautum, quam sine sordibus: & in convivio legi non omnia debent, sed ea potissimum quæ simul sint ad vitam utilia & delectent. Hæc Varro.

Cœnam Antiqui in tres partes sive Missus tribuerunt. Primum Missum Antecœnam, sive Gustationem, sive gustum dixerunt, sive etiam promulsidem, quod daretur ante mulsum. Secundum, in quo præcipui & lautissimi cibi, proprie Cœnam: cujus quod præcipuum ferculum erat, Caput Cœnæ dicebatur. Tertium, in quo bellaria, mensam Pomorum sive Mensas secundas. Mos ridiculus apud Antiquos quo solebat Domino convivii, simul ac decubuisset scheda dari, quæ descripta ordine obsonia omnia haberet, ut jam tum scire posset quid postremum coquus missurus esset. Cœnatio ab ovis incepit, in pomis desiit: Horat. *ab ovo*

Usque ad mala. ——

Id est à prima mensa ad postremam. In Cœnis lautioribus Structore & Chironomonte utebantur. *Cœnam committere*, à ludis transumpta voce, erat incipere.

Prisci Convivio leges scripserunt quæ fuerunt fere illæ.

1. Vinum purum putum puer infundito.
2. Nymphis (i. e. Lymphis) in hoc regno aqua & igni interdictum esto.
3. A summo ad imum more majorum bibunto.
4. Patera vinum circumferunto.
5. Decem Cyathi summa potio sunto.
6. Musis nonum, decumum Apollini bibunto.
7. Dominam si quis habeat, indicium facito.
8. Ejus & propitiæ Deæ nomine supra numerum bibito.
9. Dicta, & jocos usurpanto.

10. Aſt intra licentiam & convitia utraque ſunto.

11. Rixæ, clamor, contentio ad Thracas ablegantor.

12. Eorum vicem carmen aliudve Muſæum proferunto.

13. Deque eo modicè & modeſte anquirunto.

14. Angeronæ (i. e. ſilentio) ſacra Menſa habetor.

15. Dicta indicta, facta infecta in vino inſcribuntor.

16. Qui haſce leges frauſus eſſit, ſacer inteſtabilis vivito.

Videat cui eſt animus, has lèges pulchrè explicatas à Juſto Lipſio *Antiq. lect. lib.* 3. Qui has bibendi leges ferebat, *Magiſter* vulgò dicebatur: Varroni Modimperator; Horatio Arbiter; Plauto Dictator; Græcis Sympoſiarcha, Rex, Strategus: & vel ſuffragiis, & ſola corollæ impoſitione, vel ſorte & talorum jactu eligi ſolebat. In ſecundis menſis pateras coronabant; Convivas autem coronare ebrietatis, non elegantiæ fuit. In memoriam & ſalutem Dominæ bibebant his verbis ſolennibus: *Benè mihi, benè tibi, benè nobis omnibus, & benè Amicæ meæ:* ut liquet ex Plauto: vel *Benè me, benè te, benè noſtrani*, &c. nempe vivere opto & precor. Parafiti & qui invocati ad cœnas venerunt *Muſcæ* appellabantur.

CAP. XXXII.

De Nuptiis Rom.

Nuptiis præibant ſponſalia à ſpondendo dicta, in quibus ſc. mutua ſibi ſpondebant officia Sponſus & Sponſa. In Sponſalibus pactum matrimoniale in tabulis ſcriptum habebant, quas præſentium teſtium ſigillis conſignabant, qui teſtes ob id Signatores dicebantur.

An-

Ante Sponſalia Augurem unum ſponſus, alium ſponſa conſulebat. Auſpicium maximè felix habebatur cornix: ea namque cornicum ſocietas, ut ex duobus ſociis altero extincto, altera perpetuò vidua maneat.

Solebat Sponſus in Sponſalibus annulum dare ſponſæ, quem illa in digito tertio gerebat, quoniam à corde ad hunc digitum arteria ducitur.

Nuptiæ à nubendo dictæ, i. e. tegendo: ſolebat enim antiquitus ſponſa ad ſponſum deduci facie velatâ.

Tribus modis mulier alicui legitima uxor fiebat: uſu, confarreatione, coëmptione. Uſu i. e. poſſeſſionis præſcriptione, ſi tutorum conſenſu nupta integrum annum nullo interrupto uſu cum marito egiſſet. Confarreatione, i. e. certis ritibus coram Pontifice peractis, certis verbis habitis, dum marito mulier traderetur, præſentibus decem teſtibus, & ſolenni ſacrificio oblato, in quo conjuges ex eodem libo farreo comederent, quod in ſacrificio oblatum eſſet: quod ſacrificium à farre Confarreatio dictum, & nuptiæ ipſæ Farreatio, & aliquando ſimpliciter *Sacra*. Coëmptione, cùm mulier emptionem ſimulans marito pecuniam dabat. Quarto etiam modo mulier alicui uxor fiebat, ſortitione.

In Nuptiis Coëmptione factis non propriis nominibus compellabantur Conjuges, ſed vir Cajus, mulier Caja appellabatur, in memoriam felicis matrimonii à Caja Cæcilia cum Tarq. Priſco initi: unde nova nupta in domum mariti deducta hoc utebatur Proverbio, *Ubi tu Caju, ego Caja*: quibus verbis ſignificabat ſe nunc omnia mariti ſui bona cum ipſo ſimul poſſidere: quæ verba ſic expoſuit Erasmus, *Ut tu Dominus, ego Domina*. Quæ ſic per coëmptionem erat nupta propriè Materfamilias dicebatur. Si qua harum cæremoniarum deeſſet, tum Nuptiæ di-

cebantur *Innuptæ*, i. e. matrimonium minùs firmum.

Peractis Cæremoniis Sponſa ad mariti domum ducebatur quinque ſacibus. Ab hoc domum ducendi more orta eſt phraſis *Ducere uxorem*: hinc etiam Faces ſive Tædæ per meton. ſig. ponuntur pro ipſis nuptiis. Poſtridie nuptiarum fiebant Repotia, & Sponſa ab amicis accipiebat Nuptialia dona.

Nuptiarum ſeparatio erat duplex: *Repudium*, Conjugum deſponſatorum tantùm hac verborum formâ à petente fiebat *Conditione tua non utar*. *Divortium* Conjugum matrimonio junctorum, à petente hac verborum forma fiebat *Res tuas tibi habeto*, vel *Res tuas tibi agito*. Utrumque genus dicebatur *Matrimonii renunciatio*: ubi not. eſt, Authores quosdam probatos pro verbo *renunciare* hac phraſi uſos fuiſſe *mittere*, vel *remittere nuncium*: quoniam in iſtiusmodi renunciationibus libellum Divortii cauſas continentem uxori per nuncium mittebant. In ejusmodi Repudiis ſive divortiis ritus omnes erant nuptiarum ritibus prorſus contrarii. Juſta divortii cauſa ad Cenſores delata nuptiarum tabulæ frangebantur, dos reſtituebatur, claves domùs à muliere auferebantur, & illa foras pellebatur.

CAP. XXXIII.

De Exequiis Romanorum.

SOlebant apud Romanos genere maxîme propinqui expirantium amicorum ſpiritum extremum ex ore quaſi per oſculum legere & excipere, & defunctorum oculos claudere.

Corpus inhumatum ſeptem dies aſſervabant, illud aqua calida quoridie lavantes, atque oleo interdum ungentes, ea ſpe ſc. ut, ſi corpus tantùm dormiaret, & non

& non prorſus demortuum eſſet, hiſce cauſis revivisceret. Toto hoc ſeptem dierum ſpatio conveniebant amici, atque clamores magnos ſubinde tollebant, ſperantes corpus forte ſopitum ſic expergefaciendum eſſe: hæc actio *Conclamatio* dicebatur: unde, cum pro virili in re aliquâ egimus incaſſum, de illa re proverbialiter *Conclamatum* eſſe dicimus. Corpus ſic conclamatum efferebatur togâ indutum ordinis, ſive muneris ſui propriâ. Qui defunctum corpus curabant *Pollinctores* dicebantur. Corpus ſic unctum, ut diximus, in lecto ponebatur juxta fores ædium defuncti, facie atque pedibus extrorſum verſis erga vicum aut viam publicam: hic ritus dicebatur propriè *Corporis collocatio*. Juxta lectum ponebatur Ara Latinè Acerra dicta, in quâ Amici quotidie ad funus usque ſacrificabant. Fores exteriùs cupreſſo ornatæ, ſiquidem defuncti opulentiores eſſent: unde Cupreſſus Horat. *feralis* & *inviſa* dicitur: tenuiores autem aut pauperculi hoc cultu carebant, præ hujus arboris raritate: unde Lucan.

Et non plebeios luctus teſtata Cupreſſus.

Dictorum dierum ſpatio, qui ad id inſtituti, omnia funeri neceſſaria parabant, quæ fere vendebantur in templo Libitinæ: unde Curatores illi Libitinarii dicti erant.

Octavo poſt mortem die, præco urbem obibat populum his verbis ad funus vocans *Exequias L. Titio L. filio; quibus eſt commodum ire, jam tempus eſt, ollus effertur.* Poſtquam convenerat populus, prodibat lectus purpurâ, vel alio magnifico ſtragulo coopertus: præibat Tubicen: pauperculæ quædam *Præficæ* appellatæ ſequebantur defunctum canentes. Senatoribus & Patriciis tuba, minoribus & plebeiis tibia canebant *Siticines*: Siticines autem vel Tubicines erant vel Tibicines ſitos, i. e. mortuos canentes. Senatores & alii inſigniores cives lecto, alii autem

inferioris notæ feretro ferebantur; lectum aut feretrum ferebant cognati aut genere propinqui.

Pauperes sumptibus faciendis impares crepusculo sepeliebant: unde, qui corpora ferebant, à vespertino tempore *Vespæ*, sive *Vespillones* appellabantur. Senatorum exequiis præferebantur cereæ majorum imagines cum omnibus honorum insignibus quæ adhuc superstes meruerat.

Exequias sequebantur defunctorum liberi, propinqui, & alii amici cum servis quos defunctus manumiserat atrati, i. e. veste atrâ & lugubri induti. Ab hoc exequias sequendi more dictæ sunt *Exequiæ*. Ritus hi quoniam ut defuncto debiti peraguntur, *Justa* appellati fuerunt. Corpore pro rostris posito, qui genere proximus defunctum & defuncti majores omnes pro rostris laudabat, quorum præsentes erant imagines.

Sepeliendi mos non humando, ut priùs, sed igni cremando: hujus ratio erat, ut sic inimicorum rabiem penitus effugerent, qui sæpè etiam in mortuos sæviebant atrociter. Feralis ille ignis ante incendium *Pyra* dicebatur, in incendio *Rogus*, quod tunc temporis rogari solebant Manes; post incendium *Bustum* quasi benè ustum. Corporis in Pyrâ positi oculi aperiebantur, ad cœlum intuendum: unaque semissis in ore positus ad Charontis naulum persolvendum. Pyram genere proximus incendebat face: post hæc gladiatores conducti certabant usque dum occumberet unus: hi à Busto *Bustuarii* dicti. Cæsorum sanguis Inferiæ, i. e. Diis inferis oblatio fiebat.

Corporis cremati cineres legebant genere proximi, quos in urnâ ponebant: unde Urna, Poëtis præcipuè, pro sepulchro posita. Ritus uti funebres, vesperi fere peragebantur, adeo ut facibus uterentur, quas circumdatis ceræ funibus *Funalia* appellabant: unde funus.

His

His ſic peractis Sacerdos totam turbam aquâ purâ ter ſpargebat. Præfica rum ætate maxima magnâ clamabat voce *ilicet*, i. e. ire licet, ſic miſſam faciens turbam. Sic turba diſceſſit defuncto in hanc verborum formulam valedicens: *Vale, vale, vale: nos te, ordine quo natura permiſerit, ſequemur.*

Seniores poſt exequias vocabantur ad epulum ferale *Silicernium* dictum, quaſi Silicœnium (ut nonnulli volunt) i. e. cœna ſuper ſilicem poſita; illud enim in arâ ex ſilice factâ edebant: ut alii autem volunt, Silicernium inde dictum eſt, quod qui hanc cœnam dabat ſilentio cerneret, nec ipſi de illâ guſtare fas eſſet.

Tenuiores pro epulo carnes crudas dono ferebant: donatio hæc *Viſceratio* dicebatur. Erat etiam poſt exequias potatio vini *Murrini*, vel *Murrina potio* appellata. Hanc poſteà prohibebant leges duodecim tabularum, ad ſumptus vitandos. Solebant etiam propinqui à funere redeuntes triſtem hanc vocem ingeminare *Leſſum, Leſſum*! quam poſtea etiam partim prohibuerunt leges 12. Tab. partim ad modum revocabant.

Ætate grandes tot dies lugere ſolebant, quot eſſent nati annis. Uxoribus maritos, Liberis parentes, totos decem menſes lugere licebat: intra quod tempus vidua mulier alii viro nubere ſine nota & ignominia non poterat. *Not.* hîc, quid differant *lugere*, & *elugere*: Lugere eſt ſimpliciter defunctum plorare, elugere eſt deſtinatum luctûs tempus explere. Sic de Rebus Civilibus Romanorum.

LIBER IV.

DE REBUS MILITARIBUS ROMANORUM.

CAP. I.

De Bello indicendo.

SATIS diximus supra Titulo de Fœcialibus & Patre Patrato.

CAP. II.

De Fœdere feriendo.

FŒDera alia aliis legibus, cæterum eodem modo omnia fiunt. Fœcialis Regem rogabat: Jubesne me Rex fœdus ferire? Jubente Rege: Sagmina, inquit, te Rex posco. Rex ait, pura tollito: Fœcialis ex arce graminis herbam puram attollit: postea Regem ita rogavit: Rex facisne me tu regium nuncium P. R. Quiritium? Vasa comitesque meos? Rex respondit: quod sine fraude meâ P. Q. R. Quiritium fiat, facio. Quibus sic peractis, ad hostem pergebat, fœderis leges recitabat; hostem de recto legum sensu interrogabat. Denique fidei testem appellabat Jovem sic. Si Pop. Rom. publico consilio, dolo malo ab istis legibus prior defecerit, tum ille Diespiter Pop. Rom. sic ferito, ut ego hunc porcum hodie feriam; tantoque magis ferito, quantò magis potes pollesque. Ubi dixit, porcum saxo silice percussit: inde nata phrasis *Fœdus ferire*. Solebant etiam Romani in fœderibus feriendis jurare Jovem lapidem; quòd Fœcialis lapidem manu tenens Jovem malæ fi-

dei

dei vindicem appellabat, ut qui fidem falleret sic demum periret, quemadmodum illi lapis iste è manu decidit.

CAP. III.

De Delectu Militum.

INdicto bello, proximum erat, ut Militum delectus haberetur à Consulibus.

Tria fuerunt Militiæ genera: Sacramentum, Conjuratio, & Evocatio. Sacramentum erat eorum qui singuli jurabant se omnia pro Rep. esse facturos, nec à signis discessuros nisi confectis stipendiis. Conjuratio erat causa tumultûs aut belli intestini: quo tempore, quia singulos interrogare non vacabat, qui fuerat ducturus exercitum ibat ad Capitolium & exinde proferens duo vexilla, unum roseum, quo pedites evocat; alterum cœruleum, quo equites: dicebat, qui vult salvam Rem. me sequatur: & qui convenerant, simul jurabant: unde dicebatur ista militia Conjuratio. Evocatio erat, cum ad diversa loca diversi propter cogendos exercitus mittebantur. Legitimum militiæ genus Sacramentum erat: qui hoc genere militabant, ab ipsis ducibus, delectu habito, conscribebantur.

Universa primaque copiarum omnium partitio erat in quatuor legiones. Per idem tempus Consulari præditi potestate edicunt Præfectis sociarum civitatum in Italiâ, è quibus auxilia putant accersenda, numerum indicantes, viamque & locum in quem convenire oporteat qui delecti fuerant. At civitates, delectu habito, simili antedicto mittunt Sacramento adactos, constituto præfecto, & mercedis exhibitore.

Miles, ante decimum septimum, & post quadragesimum

gesimum sextum ætatis annum, non, nisi necessitate cogente, ad arma vocari solebat.

Milites sic lecti cingi solebant, & sic in Militum numerum referri: fluxit autem mos iste ex eo, quod qui militarent omnes cincti erant: unde natæ phrases *in procinctu esse*, *in procinctu stare*: *testamenta in procinctu facere*; quale faciebant &c. milites mox pugnaturi. In Castris discingi, seu discinctus versari, & ipsum erat crimen à severis militaris disciplinæ Censoribus morte aliquando piatum, & sæpe aliorum criminum pœna.

Tyrones autem erant, qui publicis quidem expensis iter faciebant, nondum tamen in numero erant, neque Milites habebantur.

CAP. IV.

De Sacramento Militari.

Sacramentum Militare quale fuerit nemo fere exposuit, nisi quod eo juberi militantes sequi ducem quocunque ducat scribant. Milites primùm Sacramento tantum à Tribunis rogabantur, non jurejurando ad militiam adigebantur: ipsi autem inter se conjurabant se fugæ atque formidinis causa non abituros, neque ex ordine recessuros. Jul. Frontin. lib. 4. cap. 1. unde constat inter Sacramentum & jusjurandum discrimen aliquod fuisse, quanquam nunc communiter idem putentur. Sacramentum hoc militare plurimam apud milites vim habebat, præsertim Romanos. De eo hæc tantum ex optimis Authoribus brevissimè accepimus. Finitâ Conscriptione, Sacramento Tribuni adigebant sic. Unus ex tota legione eligebatur, qui singula sacramenti verba concepit & prævit: alii secuti saltem dicebant jurare se idem. Hoc vocabant *præjurationes facere*; cum ille præiret & con-

& conceptis verbis ante alios juraret, alii ſecuti dicebant tantum *idem in me*: Jurabant ſe neque ſigna deſerturos, neque aliquid adverſus populum facturos; item ſe conventuros juſſu Conſulum, neque injuſſu abituros.

Cap. V.

De Legionibus & Auxiliis.

UNiverſus exercitus Rom. in duas partes diviſus fuit, in Legiones & Auxilia. Legio à legendo dicta, quia leguntur milites in delectu; vel, à deligendo, quod ex omnibus pugnaces in illis delecti forent.

Legiones aliquando majori, aliquando minori militum numero conſtabant: ſc. aliquando trium, aliquando quatuor, aliquando quinque, aliquando etiam ſex millium.

Legiones à numeris Prima, Secunda, &c. dicebantur. Alia multa Legionum cognomina erant: Victrix, Fulminatrix, Felix, Ferrata ab armorum præſtantiâ, quæ tota è ferro, Fretenſis freto affixa, Pia, Fidelis, Valens, Minervia, Apollonia, Adjutrix, Germana, Gallica, &c.

De Legionibus not. 1. Non eundem ſemper fuiſſe Legionum numerum: 2. Legiones nomina ſua fortitas à diverſis rebus diverſimodè. 3. Plures aliquando fuiſſe ejuſdem nominis Legiones, ordine tantum inter ſe diſtinctas, ut v. g. Legio Victrix prima, ſecunda, tertia, &c.

CAP. VI.

De Legionis Partibus, Cohortibus, Manipulis, Centuriis, Turmis & Decuriis.

CONstabat Legio ex Pedestribus & Equestribus copiis. Pedestres copiæ in Cohortes & Manipulos: Equestres in Turmas & Decurias dividebantur.

Cohors (quasi clausum in villa) ex pluribus Manipulis confecta constabat, ut villa ex pluribus tectis. In Cohorte tres erant Manipuli ex Hastatis, Principibus & triariis: solebant etiam Velites manipulos comitari. Justa Cohors legionaria habuit quadringentos & viginti: erant etiam Cohortes quingenariæ, & sexcenariæ, si pleniores manipuli & legiones. Prima Cohors dignissima erat, non numero sed splendore. Erat Cohors Prætoria decumana & grandis, velut extra ordinem, quæ à Prætore non decederet: in hanc cohortem adoptati & adscripti fere amici erant, ornati thoracibus squameis & scutis imbricatis, dictique Prætoriani.

Manipulus duos habebat Centuriones, & unicuique attributa erat pars, quæ Centuria aut Ordo dicta: ea in veteri legione erat sexaginta militum. Manipulus diu in militia mansit: labente imperio Centurias pro Manipulis habere cœperunt, Manipulos pro Contuberniis aut Decuriis ipsis. Manipulorum vetustas ab urbe condita, imo ante ipsam fuit.

Centuria erat dimidia pars manipuli, uti dictum.

Turma nonnullis quasi terma, quia ter denos habuit Equitum: aliquando autem Turmæ erant hominum quadraginta.

Decuria, milites decem, qui quoniam sub eodem tentorio commorarentur, Contubernium dicta: unde

de Contubernales etiamnum appellantur ejusdem hoſpitii & domûs ſocii. Hæ omnes & legiones & legionum partes pedeſtres conſtabant ex quatuor Militum generibus: ſunt illa Velites, Haſtati, Principes & Triarii.

Velites erant viliſſimi, qui ætate & opibus exigui in iſto minimo genere militabant: inermes fere pugnabant, & in fronte plurimum expoſiti hoſti erant.

Haſtati dicti, quod primi pugnabant haſtis: id olim, ſed poſtea, & jaculatoriæ haſtæ apud Velites remanſerant ſocios.

Principes, qui à principio gladiis pugnabant; unde & nomen: poſtea alii minus illuſtres ſumpti in eum locum.

Triarii dicti, quod in acie tertio ordine extremis ſubſidio deponuntur: ſubſidebant hi preſſo altero genu: dicti Pilani quod pilis pugnabant: & totus ille ordo Pilus vocatus.

Haſtati Juvenes erant: Principes viri & viris proximi Triarii grandes & maturi.

Erant in legione Cohortes decem, Manipuli triginta. Centuriæ ſexaginta. Velitum nec Manipuli propriè nec ſigna fuere: itaque ſubſignanus miles ab iis diverſus: Velites erant ſparſi per Manipulos.

CAP. VII.

De Duce & Imperatore.

Duces Exercitus apud Romanos fuerunt primum Reges, deinde Conſules, Dictatores, Tribuni Mil. conſulari poteſtate, Decemviri legibus ſcribendis, Prætores, Proconſules, & Proprætores; hi enim ſuis auſpiciis bellum gerere dicebantur: Tribuni vero Mil. Magiſtri Equitum, Legati, &c. non ſuis ſed alienis auſpiciis pugnabant. Inſtitutum fuit

ab

ab initio, ut nihil neque domi neque militiæ nisi auspicatò gereretur; quippe quod nullius calumniæ subjicerentur quæ Dii comprobassent. Auspicia verò in exercitu unius tantum fuerunt Imperatoris cui ea provincia evenisset: cæteri auspiciis ejus pugnare, ipse bellum, ut ductu, sic auspiciis suis gerere dicebatur. Itaque nec Imperatoris nomen, nec supplicatio, nec triumphus dabatur aut legato, aut ulli alii exercitus præfecto, ne si eorum quidem operâ atque virtute Imperator absens aut ægrotus victoriam adeptus esset; quod non eorum auspiciis res esset gesta, sed ipsis Imperatoris.

Imperatoris nomen appellatio fuit militaris: quia Dux præsens, re bene gesta, primùm militum acclamatione in castris, deinde sententia Senatûs in urbe ornatus est. Imperator dicebatur vel quicunque exercitum ducebat, suis auspiciis rem gerebat, & imperium i. e. jus belli gerendi habebat: vel hostibus magno prælio fusis ac profligatis, eo nomine militum acclamatione affectus esset. Neque verò solum si ipse, sed si Legati & Quæstores quibus imperium commisisset, rem bene, se absente, gessissent: idem hoc etiam honoris adipiscebatur, ut ex Legatorum Quæstorumque secundo prælio Imperator appellaretur.

CAP. VIII.

De Legatis, Tribunis Mil. Centurionibus, & Decurionibus, & aliis Militaribus muneribus.

LEgatus apud Romanos priscos is fuit qui postea Comes dicebatur, & postremò Locumtenens, penes quem absente Imperatore vel Duce summa potestas erat. Legati instituti primùm, non tam ad imperan-

perandum, quam ad consulendum: dicti ideo quod Senatus quosdam è primoribus in castra & ad Ducem legabat militiæ gnaros, quorum opera & consilio uteretur. Erant delecti à Consulibus consensu Patrum: munus eorum fuit consulere, administrare, præesse, & uno verbo, vicariam operam Imperatori dare. Cicero eos appellat *Nuncios Pacis* ac *Belli*, Curatores, Interpretes, bellici consilii authores, ministros muneris provincialis. Larga eorum potestas, sed tamen Imperatori devincta eique obnoxia. Interdum etiam imperant & imperii insignia sumunt, cum habent fiduciariam operam Imperatoris: Lictores etiam habuerunt. Plures pauciores que fuerunt in Legionibus ut Senatui visum, & ut bellum & res poscebat: singuli fere singulis legionibus aut bini. Legati sunt duorum generum, Consulares & Prætorii: illi toti exercitui præerant, hi legionibus singulis. Legati Consulares etiam simpliciter Consulares dicti: Prætorii, Legati legionum: qui ipsi Legati etiam Duces Latinis dicti.

Tribuni Militum dicti, quod ab initio terni essent, tum cum Legio ex tribus millibus conficiebatur. Hi peditibus tantum Legionis non etiam Equitibus præerant. Itaque ut numerus peditum in legione auctus est, sic etiam Tribunorum Mil. ita ut à tribus ad quatuor, ab his ad sex pervenerit. Tribuni toti Legioni præfuerunt, & ideo Chiliarchæ à similitudine, non veritate Tribuni vocantur. Tribunos primo creavit Romulus, dein ejus exemplo Reges & Consules, tandem parem munerum creabant Consules & populus. Tribuni alii dicti *Rutuli* vel *Rufuli* (à Rutilio Rufo Consule) à Consulibus Imperatoribus in exercitu lecti: alii *Comitiati* à populo in Comitiis creati. Vox Tribunatûs lata significatione ponitur pro varia administratione aut præfectura: ut Tribunus stabuli, fabricæ, voluptatum. Munia Tribunorum erant,

jus

jus dicere, ſignum excubiis dare, vigilias, munitiones, exercitia curare. Tribuni laus erat, cum miles veſte nitidus, armis bene munitus ac fulgens, exercitii uſu & diſciplinâ eruditus incederet. Tribunorum ornamenta fuere veſtis ſplendidior, & annulus aureus, quo cæteros Milites non fas erat uti, ſed ferreis tantum.

Centuriones Conſulum juſſu à Tribunis electi, ipſisque ordines aſſignati. Virtutis (tam animi quam corporis, ſed maxime militaris) cauſâ ad id munus promoti: hinc *Promotus* & *Promotio* voces in hac re propriæ. A fortibus factis promotio milites reddebat fortes. Principes inter beneficia cœperunt ordines dare, & ab iis petebantur. Quin & cenſus ratio habita, & quidam ditiores ſtatim ab initio Centuriones facti, ſine aliis militiæ rudimentis. Primus Centurio more & jure ad concilium militare venit: cæteri plerique interdum advocati, ſed pro tempore & arbitrio Ducis magis quam more. Centuriones electi eligunt ſibi rurſus Uragos vel agminis coactores, aut tergi ductores, ſeu Accenſos & Optiones, qui erant Centurionum ſubſidia & velut vicarii, dicti etiam Succenturiones. Eligebant etiam duos validos Signiferos. Erat in manipulo unum vexillum, Vexillarii aut Signiferi duo; ut alter alterius vicem obiret in defatigatione (gravia enim ſigna) aut etiam in morbo. Erant in unaquaque Legione decem Cohortes, in unaquaque Cohorte tres manipuli, in unoquoque manipulo duo Centuriones; ideoque ſexaginta erant Centuriones, cum ab initio triginta tantum fuerunt. Tranſibant autem Centuriones virtutis gratiâ ab inferiore ordine ad altiorem, ut à decimo haſtato ad nonum, à nono ad octavum, ſic usque ad primum; à primo vero haſtato non ad decimum principem, ſed ad primum; nec deinde à primo principe ad decimum Triarium, ſed ad primum, qui primis tem-

temporibus primus Centurio vocabatur; posterioribus, primipilus, i. e. Centurio primipili. Hæc de Primipilo dextro & summo accipienda sunt, qui omnium Centurionum caput & doctor etiam in collegam suum sinistrum Primipulum jus aliquod habuit: imperabat suæ Centuriæ quidem, tamen sæpe Tribunorum & Imperatoris mandata per illum edebantur in vulgus. Etiam in acie & agmine illum aspectabant, & ad ejus nutum sistebant aut procedebant, ideo quia Aquilam regebat quod erat primum signum: hinc Aquila quia in Primipili tutela erat, pro ipso Primipilatu dicta. Præmia Primipilo trecenti aurei; qui functi erant Primipilatu erant Equitibus pares, & dicebantur Primipilares vel Primipilarii. Olim honos hic Primipili iteratus & sæpe petitus, quia eximius quem ipsi etiam Tribuni postquam defuncti capiebant. Ut Centuriones, ita Succenturiones sive Optiones sexagiata. Insigne Centurionum vitis erat.

Equitibus, qui singulis legionibus modo duceni, modo triceni, ut diximus, affuerunt, præpositi sunt ii qui Præfecti equitum ac Decuriones vocati sunt; quorum illi Tribunis Mil. hi Centurionibus respondebant, cum Præfecti alas equitum ducerent, Decuriones vero Turmarum decurias.

Præfectus Legionis judex erat habens communem primi ordinis dignitatem, quia absente Legato tanquam vicarius ipsius potestatem maximam retinebat. Tribuni vel Centuriones cæterique milites ejus præcepta servabant. Vigiliarum sive profectionis tessera ab eodem petebatur. Militibus peccantibus pœnam addixit; omnium arma, vestes, equos, annonam curabat, disciplinam & jus in Legionarios, tum Equites, tum Pedites exercebat; Legionem in omnibus assidue informabat & instituebat.

Præfecti Sociorum dicebantur qui auxiliis, i. e. co-

piis Sociorum ab Imperatoribus Romanis præpoſiti erant.

Præfectus Caſtrorum ad quem Caſtrorum poſitio, valli & foſſæ deſtinatio pertinebat: tabernacula vel caſæ militum cum impedimentis omnibus nutu ipſius curabantur; præterea ægri contubernales, & Medici à quibus curabantur; expenſæ etiam ad ejus induſtriam pertinebant: vehicula, Sagittarios, ferramenta, machinas & tormenta omnia procurabat.

Præfectus Fabrorum Fabros, Tignarios, Inſtructores, Carpentarios, Ferrarios, Pictores, reliquosque Artifices ac artificia omnia curabat.

Miniſtri Imperatorum ac Tribunorum Militum erant Accenſi, Commentarienſes, Cornicularii. Accenſi, i. e. poſtea additi quam fuiſſet legio completa, quos ſupernumerarios vocant. Commentarienſes Scribæ Caſtrenſes. Cornicularii qui vigilias Tribunorum loco circumirent, atque eorundem imperia corniculo ederent, præcones caſtrenſes.

CAP. IX.

De Militum Ordinibus, Generibus & Differentiis.

Militum ordines quatuor: Haſtati ſive Pilani juniores: Principes, ætate ac robore præſtantiores: Triarii, natu maximi: Velites, quaſi volantes, extra ordinem pugnabant, & Equitibus ſe jungebant.

Adſcripticii ſive *Accenſi* qui ſupplendis legionibus deſcripti, & ad cenſum legionum additi.

Ferentarii qui fundis & lapidibus pugnaturi, ea modo ferrent quæ in hoſtes ejicerent.

Rorarii qui ante prælium juſtum rorantes dimicabant.

Funditores qui fundis magnis dimicabant.

Duplicarii quibus ob virtutem duplicia dabantur cibaria.

Velo-

Volones, qui voluntariè se ad militiam obtulerunt.

Primani, *Secundani*, *Tertiani*, *&c.* olim dicebantur à legionum numero in quibus militarunt.

Signiferi, *Aquiliferi*, *Draconarii* qui signa, Aquilam, Dracones in militia gestarunt.

Tesserarii qui tesseram per contubernia militum nunciabant.

Metatores, qui præcedentes locum eligunt castris.

Mensores, qui in castris ad podismum demetiuntur loca in quibus tentoria milites figant, vel quia hospitia in civitate præstant.

Militum Ministri erant Calones dicti à Græco κᾶλα, i. e. clavæ ligneæ, quas illi militibus gerebant Latinè *Lignatores*: & Lixæ, qui aquam, quam veteres Lixam vocabant, submini strabant.

Cap. X.

De Militum Rom. armis.

Arma sunt duplicia: Offensiva ad petendum: Defensiva ad tegendum: illa propriè Telа, & hæc Arma appellantur. Arma sunt secundum militum genera. 1. Velitum. Velites instituti A.U.D.XLII. Alii etiam populi Velitibus usi ante Romanos, Galli & Germani. Post Cæsaris ævum defierunt: vox tamen deinde obtinet pro levi milite.

Arma Velitum primò Gladius Hispaniensis, i. e. curvus, qui aliis quoque militibus. 2. Hastæ vel hastulæ, dictæ à forma sua peculiari & aliis minores. Hastæ velitares tres pedes longæ, digitum crassæ, ferro molli duodecim digitorum, unde primo jactu inflectebantur, ut hostes retorquere non possent. Primum præcipuumque munus erat jaculari, sive eminùs pugnare. 3. Parma, dicta, quod à medio in omnes partes par erat, rotunda, tres pedes lata, è

ligno superinducto corio, Galea aut Galerus è pelle aut lana tegmen erat veliti non ex ære aut ferro: & sic differunt Galea & Cassis, quod illa de corio est, hæc de lamina. Prisci tegmina fere capiebant à feris. Hæc talia tegmina galeri, galericuli, cudones dicuntur. Legitur etiam Galea venatoria. A velitibus haud longe absunt Græcorum peltastæ sive Cetrati. Velites multarum gentium cantu & saltatione congressi. Quòd pelta est Thracum armatura, Gladiatores Romæ *Thraces* dicti. Pelta erat sinuata in modum lunæ: unde à Virgilio vocatur Pelta lunata. Peltæ pendebant è collo loris, & cum se aptarent pugnæ detrahebant.

Hastatorum arma erant primo Scutum, dictum à Græco σύτος, i. e. lorum ex quo fiebat. Scutum à clypeo differt formâ: hic rotundus in orbem justum relatus; illud in longum exibat. Scutum duplex: unum inæquali latitudine ovatum: alterum imbricatum undique æquali latitudine, & januæ velut formam habet, sed incurvæ, & sectum canalem aut imbricem refert. Scutum in superficie gibba, latum duos pedes cum semisse, longum pedes quatuor totum hominem tegebat leviter inclinantem se. Fiebat Scutum ex tabellis & asticulis sive axiculis ligneis, iisque diversi generis: quædam etiam è vimine texta. Habebat Scutum duas ansas è ferro aut loro. Scuta glutino compacta vel linteo. Margo erat ferreus. Umbo è vario metallo, plurimùm ferro, & est media pars Scuti quæ exeritur cum rotundo tumore. Umbone hostes avertebant. Origo Scutorum à Regibus: exemplum ab aliis gentibus. Inscribebantur Scutis variæ picturæ, sive ad notitiam, sive ad decorem: vel animalia, vel lapides pretiosi, sive rutuli illorum similes; sæpe fulmen & quasi pro more. In iis etiam expressa Majorum facta & laudes, aut etiam sua: nomina item Imperatorum, Centurionum,

aut

aut ſua: habebant etiam tegmina repoſitoria coriacea, quibus Scuta contra nimbos, pulverem, talesque injurias tegebant.

Secunda pars armaturæ Haſtatorum erat Gladius Hiſpanienſis cum Hanibale in Italiam illatus; & ſi brevior latere dextro ſuſpendebant, ſi longior lævo: illo punctim feriebant plurimum quanquam ad cæſa etiam valebat.

Pilum erat proprium miſſile legionarii militis. Erant Militi duo pila, unum majus, alterum minus venatoriis haſtis ſimile.

Sibyna vel Sybina pilo minori ſimilis & venabulo. Pili majoris longitudo in ligno tres cubiti, in ferro totidem. Pilum erat ponderoſum, lentum, & violentum. Totum pili ferrum ex ligno non extitit, ſed pars dimidia illi infixa: mucronem habebat uncatum ne impactum facile eſſet evulſu.

Galea ærea, cujus forma hæc: antrorſum aperta cum aliqua ferri eminentia, repanda. Galeæ ad malas utrasque erant bucculæ, dictæ, quòd buccas tegerent, & earum artifices Buccularii. Loris ab imâ parte ad guttur nectebantur. Ex aperta Galearum forma fuit illud Cæſaris monitum in acie Pharſalicâ *Miles ferifaciem.* In Galeis habebant criſtas, Latinè apices: in his mira Rom. ſuperbia. Pyrrhus Rex cornua hirci habebat pro criſtâ. Centuriones criſtas habebant transverſas quibus internoſcerentur. Criſtæ colore duplici, puniceo, lautiorum; & nigro, viliorum: quædam etiam candido, qui color feſtus & dignior. Laſcivia poſteà adſumpſit Pavonum pennas. Criſtis etiam jubas crebrò impoſuerunt. Criſtas ferentes & ipſi animis creſcebant, & hoſti majorem terrorem inferebant. Majores noſtri ſtudioſè, imò ambitioſè criſtas adfectarunt: & *hinc inſignia iſta familiarum tam varia quibus ſuperbimus.*

Lorica ſive pectorale, quod pectus tegat, fuit ex

corio, vel ære, aut ferro, digitorum undique duodecim, vel ex catenis & squamulis confecta, dicta Hamata, quæ erat ditiorum. Has squamas etiam plumas vocabant: hinc plumata Lorica. Hisce squamis cataphracti & eorum equi etiam ad ungulas usquequaque tegebantur: qui alio nomine Clibanarii dicti, quibus usi Parthi & Sarmatæ. Fiebant etiam Loricæ ex filis contextis, quæ à multitudine filorum aut funiculorum dicebantur bilices, trilices: vel ex lino salito vino macerato, & in se sæpius complicato; etiam ex lana fiebant ejusmodi coactiles thoraces, sive loricæ. Cæsar vocat Subcoacta, Ulpianus coactilia, Plinius lanas coactas, Livius spongias, Recentiores feltra. Lorica tunicata contra pluvias tecta erat pennla militaris. Loricæ pondere exiguæ, robore eximiæ.

Cæteris Militum ordinibus armatura cum Hastatis fere communis, & parum diversa.

Triarii pro pilis habebant hastas ad statariam & manuariam pugnam, & ad ora fodienda, ut ait Livius. Ocreis crura tegebant. Hæc pedium armatura fuit.

Armatura Equitum erat hujusmodi: veste tecti super eam cingebantur: hinc dicti Cinctuli & Trabeati. Erant sic leviter induti & ad ascensum & descensum faciliorem: nam nullus tum temporis Sarpedarum usus, quamquam interdum hastæ innixi loquantur: quidam equos insuerunt, ut crura flecterent & sese demitterent. Quibusdam dignioribus aut molliori bus fuit qui manu tolleret & adjuvaret. Stratores dicti qui equum sternerent, & in eum sublevarent. In equos salitio priscis inter assidua exercitia erat, quâ se exercebant in equis ligneis hyeme sub tecto, æstate in campo: ut diximus supra cap. de Campo Martio. Ephippia non habebant, sed stragula quædam è panno, corio, pelle, quæ Strata dicebant: quidam,

sed

ſed rarò, nudi ſine ſtratis. Magiſtratus & qui cum imperio erant, cocco aut purpurâ inſternebant, atque hi Conſulares aut Imperatorii equi.

Parma Equitum è corio mero umbilicatis placentis ſimilis erat:

Haſta Equitum cuſpidem habuit ſupremam non infimam ut femori aut genu obniteretur.

Habebant etiam Equites haſtas jaculatorias in pharetrâ tres aut quatuor.

Galeam etiam & Loricam habebant, uti Pedites. Tantum leves Equites ab armis nudi præter jacula; & læva pro clypeo veſtem prætenderunt. Antiquiores quidam ſine frœno, ſine ſtrato equos virgâ tantum regebant. Numidæ erant deſultores prædicatiſſimi: & qui ſic ab uno equo in alium deſiliebant, Amphippi dicebantur.

CAP. XI.

De Signis Militaribus Rom.

Signa duplicia: vexilla in oculos & æra in aures incurrentia. Prioris generis ſigna duplicia, peditum equitumque: Peditum autem duplicia, Legionis totius & manipulorum. Signum legionis Aquila, nec niſi unius una; neque ea quidem ſociorum; quia ſub eam ut præcipui imperii, ſignum ſocii & auxilia ſubjungebantur. Origo Aquilarum ab Jove ipſo cujus hæc avis. In ſignis rapacium animalium effigies figurabantur: ut Lupi, Minotauri, Equi, Apri, Porci. Aliis etiam gentibus Aquilia regale Signum fuit. Erat Romana aquila aurea pinnas extendens, quæ ſummæ haſtæ inſiſtebat, & fulmen ſæpe unguibus tenebat quaſi jaculatura: ſed nec corpus ipſum aquilæ magnum. Signa [illegible] hybernis eſſent, in ſacello ſeu ædiculâ repoſita, [illegible]que inde mota cum educerentur.

tur. Romæ etiam in templo ſigna, & ſane in ærario templi Saturni, religionis & cuſtodiæ cauſa, quia ibi pecunia publica ſervabatur. Aquila in pugna, cum impelleretur hoſtis, & in caſtris: ac inter prodigia erat cum in hoſtem eundum eſſet non potuiſſe evelli.

Signa Manipulorum perticæ manipulos fœni aut graminis ſuſpenſos ferentes: inde manus iſta ſequens manipulus dictus: Ovid.

Pertica ſuſpenſos portabat longa maniplos,
Unde maniplaris nomina miles habet.

Sed hæc ruſtica non manſere. Poſterior forma erat haſta, in cujus ſummo transverſum ligneolum in modum crucis, & ſæpe cum manu ſupera eminente, alluſione ad manipuli vocem. In ſignis auro vel argento deſcriptæ imagines, primò Deorum militarium, deinde Imperatorum. Signa ex auro in haſtis argenteis: olim etiam ſigna ex argento, quoniam is color fulgentior. Qui portabant imagines Imperatorum Imaginarii vel Imaginiferi vocabantur.

Cohors propria ſigna non habebat primùm, poſteà vexilla habuit. Auguſtus pro ſigno habuit pilam vel globulum in ſumma haſta, propter nationes ſibi cuncto orbe ſubjectas; quia pila figuram orbis oſtendit. Cujus ſimile quid hodieque habent Turcæ.

Signa Equitum propria erant vexilla; nempe vela quædam quadra, expanſa ad haſtam, ſed modica: cujusmodi retinet & ætas noſtra. Hæc ævo poſteriori Flammulæ dictæ, à colore aureo aut purpureo. His inſcriptum Principis nomen.

Erat ſignum Imperatorium grande velo ſimile, quod præferebatur, nomen puniceis literis inſcriptum habens quod ætati poſteriori dictum eſt Labarum.

Signa Draconis inchoat[illegible] ipſo Apolline in morte Pythonis: his uſi Indi, Scythæ, Daci, & aliis Ro-

Romani. Qui Draconum signa ferunt Draconarii dicti. Dracones autem crebri in Romana historia.

Hæc Signa Romani antiqui sacra habuerunt, & per ea ceu belli numina jurarunt, ut religionem & eorum cùm amorem, tum venerationem ingigneront. Signa firmiùs asservabant, amissa fortiùs recuperabant. Hæc in hostem conjecta acies jam fluctuantes confirmarunt, jam recedentes restituerunt: suadebat enim repetere & pœna & pudor & religio: Signa enim ut numina colebant & in iis perfugium locabant, ea ornabant & ungebant: unde Tacitus Signa uncta legionum numina vocat.

Altera signa in aures incurrentia sunt quatuor: Tuba, Lituus, Cornu, Buccina.

Tuba ære directo ducta est, canale ad exitum latiore, dicta à tubo sive canale quem referebat; hac usi digniores. Erat etiam alia tuba sacra, dispari usu & formâ. Tubâ etiam nobiliores utebantur ad mortuos in funeribus; ut & milites.

Lituus in extremo incurvus sonum dabat stridulum, quia canalis non fuit grandis aut patulus: hic inter tubam & cornu medius, nec prorsus rectus, nec incurvus.

Cornu quod nunc ex ære, nunc ex cornu bubulo fiebat: cujus origo à pastoribus qui his calabant pecus.

Buccina è cornu bovillo primum, postea ex ære facta. Cuique manipulo sui erant æneatores; tum etiam communes legionis: illi tempore pugnæ in suâ quisque parte steterunt; isti juxta Aquilas & Imperatorem.

Classicum canebatur sic: Tubicen unus utrinque insonuit, & mox alii pariter responderunt: priores quidem ii qui rotundo quodam loco constituti tubis eorum aliquid modulabantur, quo milites admonebantur

bantur ut se prælio pararent: tum denique omnes qui animos militum ad pugnam excitabant.

Tympana Romanis non in usu, sed in convicio, nisi in sacris. Classicum excepit clamor militum, in quibus eminùs altum silentium: incursus & impetus duntaxat factus cum clamore confuso repetito nec quicquam significante *alal.* hic clamor tanti ut ex eo judicarent de eventu pugnæ. Clamorem militum excepit armorum concussio. Meritò dixit Cato verba plus quam gladium, & voces quam manum hostes territare & in fugam vertere.

Erat etiam pugnæ signum mutum tunica russa in Prætorii fastigio in hasta expansa, quam vocabant Vexillum Russeum.

Signum aliud est Tessera dictum, datum ab Imperatore sub ipsam pugnam, ut eo symbolo Commilitones se ab hostibus internoscerent: nobis *the word:* ut *Felicitas*, *Libertas*, *Victoria*, *Palma*, *Virtus*, *Deus nobiscum*, *&c.* Veteres fere nomina Deorum dabant pro tessera quos aut patria aut ipsi Duces colebant.

CAP. XII.

De Expeditione.

IMperator cum Imperium à populo acceperat, in Capitolium ibat, ibique solennia vota pro Rep. nuncupabat: deinde ad Martis sacrarium, dicebatque *Mars vigila*: inde paludamento, Lictoribus, & cæteris Imperii insignibus assumptis recta ad portam urbis ibat, ad quam salutatus ab amicis officii causâ aliquo usque prosequentibus ac bene ominantibus ad bellum proficiscebatur. Sic autem proficiscebantur. Patentibus campis ducunt triplicem Phalangem æquè distantem Hastatorum, Principum, Triariorum, sua quibusque jumenta præmittentes,

quæ

quæ ſi quid accideret periculi, ſe poſt ordines ſubducunt.

Flumina quatuor modis trajiciebant: 1. Ponte. 2. Navibus. 3. Flumen in plures alveos diducentes tranſitum ſibi faciebant. 4. Cum equitatus in flumine diſpoſitus vim illius infringit, ut peditatus tranare incolumis poſſit: quorum omnium exempla extant apud Cæſarem.

Miles Romanus in itinere vel integri vel dimidiati menſis cibaria cum vallo ferebant, præter arma, quæ illi non plus in onere numerabant quam humeros, lacertos, aut manus. His tamen rebus onuſti viginti aut viginti quatuor millia paſſuum ſingulis fere diebus emetiebantur.

Cum in itinere appropinquarent ad locum caſtris locandis idoneum, præcedunt Tribunus & principes ordinum, quicunque huic muneri aſſidue fuerunt addicti, qui poſtea quàm conſpexerant totum locum qui optandus ſit ponendis caſtris, deputant primùm ubi ſit ponendum tentorium Imperatoris, poſt alia.

CAP. XIII.

De Caſtrametatione & Caſtris.

Caſtrorum origo ab ipſis Regibus erat. Illa æſtiva & Hyberna. Æſtiva mobilia, & in unam ſæpe noctem ſtructa: illa vel ſimpliciter Caſtra, ſeu, ut poſtea, Manſiones dicebantur, & unam aut paucas noctes in iis agerent, vel Stativa aut Sedes, ſi diutius.

Hyberna per hyemem & in diuturnâ manſione ſigebantur, ab ipſo tempore dicta: Hyemalia item, & Hibernacula. Hæc partes habebant diſtinctas, ut Armamentarium, Fabricam, Valetudinarium, &

talia. Instar oppidorum sæpe struebantur, præsertim in finibus imperii, & ubi perpetuæ stationes contra hostem. Multis post nobilibus oppidis initium dederunt. Habebant & procestria, i. e. ædificia ante castra, annexa hybernis aut stativis, ut eò reciperentur lixæ, advenæ, mercatores, & id genus.

Forma Castrorum quadrata æquis lateribus. Portas habebant quatuor: 1. Prætoriam sive Quæstoriam, hostem versus spectantem: hæc etiam dicebatur principalis. 2. Decumanam, amplam & patentem, ex qua desertores & facinerosi, in quos jure militari animadvertendum erat, ducebantur, & pœnis coercebantur. 3. Principalem; specialiter sic dictam, quod ex eo principes & summi Duces velut ex postico, si quando opus esset, opem suis laborantibus ferebant, ordines tendebant, & milites educebant. Via ad eam ducens etiam Principalis dicta est. Hæc à dextra. 4. Principalem à sinistra priori similem.

Castrorum partes duæ; supera & infera: inter quas relinquebatur spatium medium *principia* appellatum. In supera parte *Prætorium*, quod in metatione Castrorum erat primum in edito loco positum. Prætorium dicitur, quia initio Prætores erant quod Consules, quibus bella administrantibus eorum tabernaculum dicebatur Prætorium i. e. Imperatorium Augustale. Hoc aream habebat amplam. Juxtà tendebant Imperatoris ministri & Comites voluntarii, quæ jus Contubernales dicebantur. Forma Prætorii superioris erat testudinea i. e. curvata in cameram rotundam. In eo fuit Augurale & Ara à parte dextrâ, quotidianæ religionis ergò: Auguratorium vocat Hyginus, Prætorium situm erat non in medio castrorum, sed aliorum Ducum. Ad Prætorium à dextra situm est *Quæstorium*; hic supra legatos, quia magistratus erat populi Romani. Quæstorio adjunctum erat

Pa-

Forum, ubi legationes expediebantur & venalia conferebantur. Legatorum pedatura ad alterum latus Prætorii, quia illi erant Imperatori proximi dignitate & consiliis: si quando auctus legatorum numerus, undique circa Prætorium tendebant, cum Quæstor non ita vulgo Ducem comitaretur. Legatis proximi erant Tribuni, sub ipsum Prætorium ordine sisti. Hi numero viginti quatuor (in singulis sc. legionibus sex) divisi in duas partes, via mediâ quæ à legionibus ad prætorium ducit: & ita collocati seni & seni, ut quisque ordo suam legionem habeat in conspectu. Ordo etiam inter ipsos, nam primus Tribunus prætorio proximus erat oppositus Equitibus, Secundus deinceps, & sic ad sextum. Tribunis ad latera erant præfecti sociorum: his proximi evocati Equites, allecti Equites: evocati pedites, allecti pedites: extraordinarii Equites, extraordinarii pedites. Hæc pars Castrorum superior. Inter superam & inferam partem erant *principia*, i. e. locus amplus interjacens: hæc sacra & casta habebantur, ob præcipua signa ordine illic antefixa, & ob aras atque aluaria ibi extructa. Inferiorem Castrorum partem obtinebant legiones: in quibus primo tendebant Equites Romani; deinde Triarii legionum, Hastati legionum, Equites socii, Pedites socii. Intersecat locus vacuus appellatus *Quintana* à quinis cohortibus tendentibus: hic locus mercatui designatus. Extra tentoria vacuum erat latum spatium ad vallum: nam castra Rom. valle & fossa semper munita: erat vallum è terra & fustibus congestum instar muri.

Tentoria militum in castris erant vulgo è corio & pelle: unde phrasis *sub pellibus esse*, i. e. sub tentoriis. Tentoria vocantur, quia funibus tendebant & detendebant: tabernacula autem, à tabernarum forma & usu simili: Tentoria habebant fulcra & tigilla lignea quibus erigebantur. Interdum, ubi inopia, etiam

stramentis, centunculis, aut vestibus tuguria faciebant.

Undecim homines unà tendebant, & id *Contubernium* appellabant: qui decem præerat *Decanus* appellatur, ipse sc. undecimus. Ab isto capite sive Decano nata Italis vox est *Caporalis*, nobis Corporalis. Qui sub uno tentorio Contubernales; quorum tentoria finitima Adtubernales dicebantur.

Castra metari munus fuit certis hominibus commissum, qui dicti Metatores. Metari, à Meta, est suis finibus dividere: hæc vox à castris ad hospitia, ædes, & res alias tralata est, quæ Metata dicuntur: unde metatio, metatura. Metatorium est domus adventatoribus parata: & Metacula Deorum sunt domicilia & sedes ab Astrologis datæ.

Fabri in castris olim non erant; sed milites ipsi præfecto Fabrûm præeunte omnia faciebant: postea omnis generis Fabros habebant.

Cum Castris discedebant, Itinerarium, ut vocant, sonari jubebant: quod ter factum. Primum, jubebat vasa colligere; secundum, vasa jumentis imponere: tertium, iter facere. Velites in fronte præmissi ad explorandum hostem.

Ad Castra autem munienda Romani sociique communiter admoti: imo & Imperatores ipsi manum interdum admoverunt, nisi sub molibus Principibus.

Duo militum genera in castris erant, Munifices & Immunes; illi, qui munus facerent, fossas, vallum struerent, excubias stationesque obirent; hi, qui his omnibus vacarent: in illo genere omnes Gregarii, & quibus honos aut gratia vacationem non dabat. Immunes etiam Beneficiarii dicti, quia beneficio Imperatoris muneribus vacarent. Horum alii ex lege & more vacabant, ut omnes Tribuni Centurionesque qui Arbitri & exactores munerum erant, non acto-

res

res: item ob dignitatem Equites, Veterani, Evocati, Vexillarii, item Exauctorati. Alii beneficio vacabant à muneribus, qui id vel per gratiam obtinuerant, vel virtute meruissent: quod iis vel Imperator ipse, vel Tribunus pro tempore concedebat. Temporibus sequioribus vacatio erat pretio empta à Centurionibus. Ævo posteriori Immunes vocabantur Principales, cæteri Munifices.

CAP. XIV.

De Disciplina Castrensi.

Disciplina partes tres: munia, exercitia, leges.

Munia, excubiæ, ministeria, & talia.

Ministeria in principiis purgandis, rejectamentis & sordibus extra Castra removendis, in Tribunorum tentoriis figendis, in vasis & utensilibus custodiendis.

Excubiæ ab excubando dictæ, ad pacem fiebant, idque ex totis cohortibus & turmis: unde differunt à nostris Sentinellis à sentiendo sic dictis, quæ uno aut altero milite tantum constant. Excubiæ etiam Stationes dicebantur, stabant enim in iis tam equites quam pedites. Excubiæ diurnæ erant, vigiliæ nocturnæ.

In excubiis considerandæ, Tessera, Vigiliæ, Circuitio.

Tessera erat tabella lignea cui inscriptum verbum unum aut alterum, interdum mandatum, sententia, aut versus aliquis, quæ ipse Imperator ore pronunciabat, Tribuni inscribebant, & per Tesserarios dividebant manipulorum Centurionibus. Tesserarius erat ex quoquo genere militum, ex decimo signo electus unus, à reliquo excubiarum munere immunis, qui

qui sole inclinante ad Tribunum venit, & signum petiit: illud Tribuni à Duce accipiebant; à Tribunis Centuriones.

Vigiliæ constabant ex quatuor vigilibus, qui singuli unam noctis vigiliam per ternas horas sorte dividentes obirent. Omnes quatuor una erant, sed unus ex iis sua quisque vigilia perstabat intentus, alii accubabant aut adjacebant.

Circuitio, obitus, aut lustratio vigiliarum; quod antiqui fraxare dicebant. Circuibant equites: aliquando etiam Tribuni, Imperator, aut Legati. Posteriore ævo Circuitoris proprium munus fuit & militiæ gradus. Vigilias clepsydris discernebant, buccinis excitabant, aut voce *Vigila*, *Vigila*. Erant in vigiliis ignes extructi & faces expositæ, humi aliquando, aliquando in turribus aut specubus; vel ut accedentes noscerentur; vel ad aliquid indicandum aut significandum: Græci vocant φρυκτὺς; à φρύγω, vel φρύνω torreo, nostri *Beacons*, *Bailes*, *Bonefires*. Cum tempus venit, primam vigiliam circuit is qui eam sortitus, habens apud se testes aliquos ex amicis perlustrat vigilias: quod si reperit vigilantes, capit ab iis tesserulam, sin aliquem dormientem aut loci desertorem, testificatus proximos abit: & idem faciunt qui sequentes vigilias lustrant. Primâ luce sexaginta omnes Centuriones, & omnes triginta Decuriones veniebant uno agmine ad Tribunos per speciem officii, ut salutent & deducant, ipsi Tribuni cum hoc comitatu ad Imperatorum, ad dignitatem imperantium augendam, & patentium venerationem: pulcherrimus hic imperandi modus.

CAP.

CAP. XV.

De Exercitiis Militaribus.

Exercitia triplicia: Oneris, operis, armorum. *Onera* quatuor. 1. Cibus vel totius vel dimidiati mensis, isque bis coctus, nobis *Bisket*: antiquis temporibus frumentum ferebant, quod tundebant, pinsebant, aut molis manuariis frangebant: & istæ molæ inter instrumenta militaria erant, & castra concomitabantur. 2. Utensilia: Serra, corbis, rutrum, securis, lorum, falx, catenæ, ad lignandum, pabulandum, muniendum, & captivos vinciendos. 3. Valli terni aut quaterni ex more & lege, rarò septeni aut duodeni, quibus se munirent, si castra subitò locanda, aut alia necessitas esset. 4. Arma, quæ Romani non onera, sed quasi membra habuerunt. Romani milites propter onera ferenda vocabantur Muli: unde in proverbio *Muli Mariani*: nam Marius Imperator vasa & cibaria militum in fasciculos aptata, furcis (ærumnulæ dictis) imposuit, sub quibus & habile onus, & facilis requies esset.

Opera, munitiones, metatura, & similia.

Arma in pace exercebantur omni die, omni ætate: Tyrones bis quotidie, Veterani semel: ipsi etiam Duces, ut scientiam ostentarent, & in exemplum. Hyeme & in pluviis sub porticibus & basilicis exercebant, aliàs in campo: unde campestres exercitationes & mediationes, *à Drivel Master*, campi Doctor, Doctor armorum, quod officium inferiore ævo obtinuit: olim Centurio aut miles armorum annorumque vetus ista docebat.

Exercitia varia: 1. Ambulatio, in qua spectantur cleritas in ordinato incessu sub signis & armis; & æqualitas, ut suis justisque intervallis justum iter, quan-

quantum militari gradu vulgo ſolet, conficeretur, 2. Decurſio in armis ſub ſignis: ab ambulatione gradu tantum citatiore differebat. 3. Saltus, tranſcendendo ſaltu munitas foſſas, aut aliquam aliam impedientem altitudinem. 4. Natatio in mari, aut fluvio vicino caſtris, aut in piſcina ad hanc rem facta. Cum cura hæc res habita; imo parentes quidem ipſi ſuos liberos docebant; ut Cato major ſuum filium, & Auguſtus ſuos nepotes. Et Romanis in ſummo vituperio erat, ſi quis nec natare nec literas ſciret. 5. Palaria, a palo, armorum exercitium & pugnæ factæ ad palum in terram fixum & erectum, qui ſex pedes emineret ad modum hominis: eumque hinc illinc Tyro affiliebat, & variis ictibus, aſſtante Magiſtro, petebat: ubi cautio erat, ne tyro ad inferendum vulnus inſurgens ipſe aliqua ex parte ad plagam pateret. 6. Armatura, exercitium levium, ut palarium gravium fuit haſtilium, jaculorum, pilorum, ſagittarum miſſio: unde ipſi dicti milites levis armaturæ. 7. Saltitio, quæ ad Equites ſpectat, ut audivimus ſupra.

CAP. XVI.

De Legibus Militaribus.

PRima Lex de furto, cujus magna occaſio & materies in caſtris, ubi pleraque aperta & incuſtodita. Juramento omnes adigebantur, nequid dolo auferrent. Qui abſtuliſſet quid, fuſte percuſſus; qui pavonem, capite multatus. Prædatio non erat libera: ſed quæ præda ex hoſte cogebatur, Quæſtori deferebatur, & communis fiebat: nam is dividendebat, & ex pecunia militi perſolvebat. Romanorum abſtinentia tanta fuit, ut pomiferæ arbor, quam in pede caſtrorum amplexa fuerat metatio, poſtero die abeunte Scauri exercitu intactis fructibus relicta manſerit.

Secun-

Secunda de ſtipendiis, quæ inferiores Annonas dixerunt, quibus non ſolum quod eſui eſſet, ſed mercedem militarem & pecuniain intellexerunt: infimi ab erogando Rogas appellarunt. Romani primum ſine ſtipendio meruere, idque annis plus trecentis. Stipendia primum exigua duo oboli in diem: poſtea ab Imperatoribus aucta, quatuor aurei in menſem; exigua quidem ſumma, ſed habebant alia quoque commoda, frumentum, donationes, promotiones, & alia. Centuriones, Succenturiones, Signiferi duplum habebant: erant etiam egregii milites ſic honeſtati ob egregia facta: hi Duplicarii dicebantur, quia cibaria habebant duplicia. Equites triplum habebant, tum quia genere digniores, tum quia onerum plus ferebant. Tribuni quadruplum, & alia uberiora in veſte, frumento & ſpeciebus: hinc proverbium, *Tribunorum ſalariis vendere*, i. e. grandiori pretio. Miles frumentum quotidie acipiebat, ne inopiâ cogeretur ad rapiendum aut deferendum. Cibum ſuis manibus coctum bis die ſumpſerunt: prandium tenuius ſine apparatu, ac fere ſtantes, ſæpe ſine pane frumento ſuo uſi in pulte: hinc Romani dicti Pultiphagi. Pro potu ſuis aqua interdum acetum cum aquâ miſtum quod Poſca vocatur. Pro menſis erant cæſpites elatiores: in prandio ſtabant, in cœna ſedebant. Luxus deinde in caſtris intulit Triclinia, porticus, Trichilas, i. e. umbroſas pergulas. Pocula erant lignea, & rarum in caſtris argentum. Nemini fas erat prandium aut cœnam ſumere niſi ad ſignum.

Tertia lex ſpectat ad præmia & pœnas. Præmia duplicia: minora ob læſum & dejectum hoſtem haſtæ, phaleræ, & talia. Majora ob ſervatum civem, ut coronæ. Ab hoc militiæ ritu manavit quod hodie nobilitas Europæa tam paſſim ſibi vendicat torques. Inter præmia erant hoſtium arma & exuviæ quæ ſuſpendebant

debantur in ædibus in monumentum virtutis: hæc revellere aut tollere nefas erat.

Pœnæ leviores mulctæ & verbera à Tribunis indicebantur. Capitis pœna ad ipsum Ducem pertinebat: qui mulctam non solveret ab eo Tribunus pignus capiebat, quod cenſio haſtaria dicebatur. Legatus Conſularis in vitam jus habebat, ſed non in digniores; Prætorius non habebat. Fuſtuarium merebatur vigiliarum aut Centurionis neglectus, item qui ſigna reliquit, aut præſidio deceſſit, item furtum, falſum teſtimonium, corruptela juvenum, ter repetitæ mulctæ. Fuſtigatio ſic fiebat: Tribunus ipſe (neque hoc Carnifices aut Lictores faciebant) capit fuſtem, condemnatum leviter tangit, & quaſi ſignum dat reliquæ multitudini. Fuſtigatio fiebat in principiis, ubi omnis pœna exercebatur. Aliæ pœnæ non capitales erant caſtigatio & ignominia. Caſtigatio vel fuſtibus, vel virgis verbera inferebat. Ignominia multiplex: primo hordeum pro tritico dabatur, ut cum jumentis numerari viderentur. 2. Ære privabantur, & talis miles dicebatur ære dirutus. 3. Extra vallum & caſtra tendere jubebantur, quaſi indigni militum conſortio, idque interdum ſine tentoriis. 4. Diſcincti ſub turpi habitu proſtituebantur ut parum viri. 5. Mutabant militiam ab honeſtiore genere in humilius tranſcripti, imo interdum extra omnem ordinem projecti inter impedimenta, ſarcinas, & captivos. Sunt & alia quædam ignominiæ genera, ut ſtantes cœnare, &c. Quædam ex ſuperioribus peccatis capite etiam luebant: item in Militibus arma amittere, in Signiferis ſigna conſui, in utrisque ſeditio capitale flagitum. Cum plures peccâſſent, fiebat decimatio, ubi decimus quisque ſorte ad ſupplicium electus: interdum viceſimatio & centeſimatio.

CAP.

CAP. XVII.

De Coronis Militaribus.

Coronæ plures, ob plures causas. Prima, Civica è quercu sive ilice, data ei qui Civem servaverat, & eodem tempore etiam hostem occiderat.

2. *Obsidionalis*, quâ nulla nobilior, quam Liberati dabant Duci qui liberavit ipsos: fuit hæc ex gramine de certo loco intra quem obsidebantur; quia summum victoriæ indicium erat, herbam porrigere victos.

3. *Muralis*, quâ donatur ab Imperatore is qui primus murum subiit, inque oppidum hostium per vim ascendit: fuit hæc ex auro, quæ ejus etiam qui primus castra hostium pugnans intravit: hæc vallis distincta erat, unde *Vallaris* dicta: prior murorum pinnas habebat.

4. *Navalis*, ex auro, ejus qui primus in hostium navim transiliisset armatus vi. Huic affinis *Rostrata*, quæ in summo pretio, & non iis data qui in navim aliquam transcendissent, sed qui navale aliquod magnum decus peperissent: hæc obsidionali assimilata, & ipsis ducibus data.

5. Communiter, sæpe data corona *Aurea* sine alio agnomine, virtutis causa.

Hoc conorarum præmium à Græcis & maxime Athenienſibus manâsse videtur, qui viritim & populariter sic donabant. Imperator ipse coronas imponebat. His ornati ludos spectabant, in triumpho sedebant. Equites equo publico in transvectione annua iis usi: in judicium quoque & discrimen interdum introducebant virtuti ostentandæ.

CAP. XVIII.

De Acie Romana.

NOn uno ſemper modo Acies inſtructa fuit, ſed diverſis. Quo die pugna erat cum hoſtibus committenda, ſigna in caſtris Romanis proponebantur, tunica purpurea aut coccinea ſuper Prætorium expanſa. Poſt, ubi jam ad bellum exeundum, & exercitus caſtris educendus eſſet, ſigna militaria in caſtris fixa captatis auguriis evellebantur è terra. Educto caſtris exercitu acies inſtruebatur. Romani primum phalanges Macedonicis ſimiles habuere in acie; dein manipulos: poſtea plures ordines: quorum primus Haſtatorum, ſecundus Principum, tertius Triariorum qui ultimo ſubſidio venerunt: unde proverbium *Res rediit ad Triarios*, cum laboratur. Extra ordines pugnabant Rorarii & Accenſi. Sunt vocabula aliquot militaria, quibus inſtructa certo modo Acies appellari ſoleat: quales ſunt Frons, Subſidia, Cuneus, Globus, Forfices, Serra, Alæ, Turres, à ſimilitudine iſtarum rerum.

CAP. XIX.

De Devotione.

SI periculum aliquod imminere videretur, & Haruſpices nunciarent Deos non placatos eſſe, tum unus aliquis ex Romanis ſeſe pro exercitu devovebat: licebat autem Imperatori ſe, vel alium quemlibet ex legionibus Romanum civem devovere. Quod ad hunc modum fiebat: Deos omnes, præcipue belli potentes veniam victoriamque Romanis, hoſtibus terrorem autem & mortem rogans appellabat:

bat: quo facto ni moreretur, seſe in medios hostes immisit.

CAP. XX.

De Oppugnationibus Urbium.

LOcus clausus vel oppugnatur ex itinere primo impetu: aut longiore oppugnatione capitur. Subitæ expugnationes fiebant scalis musculisque (quibus fossæ aggere completæ solidum iter efficerent;) sive ambulatoriis turribus & cratibus paratis. Quod si propter fossarum latitudinem, murorumque altitudinem, aut munitionem repentino impetu urbs expugnari non posset, vineis actis, aggere jacto, turribus concitatis oppugnabatur.

CAP. XXI.

Vocabula Instrumentorum & operum pertinentium ad munitiones Castrorum, & oppidorum oppugnationes.

AGger ex terrâ lignisque extollitur contra murum, de quo tela jactantur.

Vallus sive vallum erat stipes ramosus in summa parte aggeris defixus, ad aggerem confirmandum, & loricas extruendas.

Loricæ erant eminentiæ illæ aggeris sive murorum quæ pectus defendebant: fiebant autem ex cratibus & viminibus, interdum ex asseribus.

Cervi erant stipites cornicula eminentia habentes, ad commissuras asserum atque aggeris, & ad impediendum ascensum.

Lilia erant stipites ab summo præacuti ad similitudinem floris ejusdem nominis nondum aperti

ti ſed oppreſſi, & tegebantur viminibus & virgultis.

Cippi erant ſtipites tricipites, aut quadricipites delibratis & præacutis acuminibus, ab infimo revincti transverſo longurio, ne avelli poſſent. Hæc ad munitionem caſtrorum fiebant: ad oppugnationem requirebantur.

Turris mobilis ſive *ambulatoria*: erat illa machina inſtar ædificii ex trabibus & tabulis, interdum decem contignationibus extructa: intus erat Aries, quem ſuſpenſum milites in hoſtium murum impellebant: ex ſuperiore parte pons demittebatur; in eundem murum, & ſcalæ confeſtim injiciebantur. Tota autem machinatio ſubjectis rotis à militibus circiter quinquaginta introrſus promovebatur, cum muſculus aut vineæ præcederent, ſub quibus foſſores raſtris & ligonibus viam muniebant, aggeremque uti diximus, ſolidabant, ut mœnibus turris propinquare poſſet.

Teſtudo tabulatum erat ex trabibus pluteisque factum, & coriis & ciliciis contectum, adverſus flammam & incurrentia ſaxa, ſub quâ latebant milites, qui viam turribus aut vineis muniebant, ſaxa de viâ removebant, ſolum æquabant ac muros tentabant.

Muſculi erant machinæ quibus tecti milites apportatis lapidibus, lignis, & terra foſſas complebant, ut turri ambulatoriæ viam munirent, aut muros ſubruerent, lapidesque vectibus ſubducerent: hi interdum, ſubjectis rotulis impellebantur.

Vineæ machinatio tabulatis cratibusque conſtrata, quæ ſubjectis rotulis impellitur, cujus tecto muniti obſidentes murorum fundamenta ſubruunt: dictæ, quod, ut vineæ ſepibus, ita hæ tectis vimineis muniri ſolebant. Poſt eas etiam milites occulti ſequebantur ad prælium: hinc *ſub vitem præliari* eſt ſub vineâ militari pugnare Feſt.

Plu-

Plutei machinæ mobiles & ambulatoriæ ex tabulis vimine & corio conſtratæ, trinisque rotulis adigi ſolitæ ad muros, quarum una in medio, duæ in capitibus apponantur, ita ut in quacunque partem quis velit, more Carpentorum admoveri poſſint: quos obſidentes applicant muris, eorumque munitione protecti ſagittis, fundis vel miſſilibus defenſores omnes de propugnaculis oppidi exturbant, ut ſcalis aſcendendis facilior præſtetur occaſio.

Cuniculus eſt meatus ſubterraneus ſuffoſſus: ducta ſimilitudine aut ab ejus nominis animali, quod ſubter foſſâ terra latere eſt ſolitum; aut à cuneis, qui in omnem materiam intrant findentes.

Baliſtâ funibus, nervis, chordisque ita tendebatur, ut quantò majora brachiola haberet, ſive quanto major eſſet, tantò ſpicula longius mitteret.

Onager quo lapides dirigebantur: quod aſini feri, cum à venantibus agitantur, ita eminus lapides poſt terga calcitrando emittunt, ut perſorent pectora ſequentium, aut capita diſplodant.

Scorpio dictus, quod parvis ſubtilibusque ſpiculis mortem inferret, Scorpionem poſteriores appellabant Onagrum.

Aries abies vel ornus excelſa, cujus ſummitas duro & prolixo ferro concluditur, arietis efficiens prominulam ſpeciem: unde & nomen: hanc ſuſpenſam aſſeribus & ferratis, quantum menſuræ ratio patitur, multitudo retro repellens rurſus ad obvia quæque rumpenda protrudit ictibus validiſſimis. Qua crebritate veluti reciproci fulminis impetu ædificiis ſciſſis in rimas, concidunt ſtructuræ laxatæ murorum.

Malleoli manipuli ſparti pice contecti, qui incenſi aut in muros, aut in teſtudines jaciuntur.

Falx muralis erat trabs intrinſecus in teſtudine quæ adunco ferro præfigebatur: Falx vocabatur ab eo quòd incurvata de muro extraheret lapides.

Murices, aliter Triboli sive Tribuli, erant machinulæ ferreæ tetragonæ aculeis extantibus infestæ, quæ spargi solebant adversus eruptiones hostiles.

CAP. XXII.

De Evocatione Deorum Tutelarium, & Devotione Urbium atque Exercituum hostilium.

Romani cum obsidebant urbem hostium, eamque jam capi posse confidebant, certo carmine evocabant Tutelares Deos; quod aut aliter urbem capi posse non crederent, aut etiamsi posset, nefas existimarent Deos habere captivos. Unde & ipsi Romani tum Deum, in cujus tutela Roma est, tum ipsius urbis Latinum nomen ignotum esse voluerunt, caveruntque ne quod ipsi sæpe adversus urbes hostium fecisse se noverant, idem ipsi quoque hostili evocatione paterentur, si tutelæ suæ nomen divulgaretur. Evocatis Diis tum ipsam etiam urbem & exercitum hostilem devovebant.

CAP. XXIII.

De animadversione in devictos hostes.

MAgna clementia Romanorum ab initio usque fuit in devictos hostes. Integræ Regiones devictæ in Provinciæ formam redigebantur, & à Pop. Rom. missis in eas præsidibus gubernabantur, qui ipsi traditis armis deditionem faciebant, sub jugum mittebantur: quod ad hunc modum fiebat: fixis duabus hastis super eas ligabatur tertia, sub iis victos discinctos transire cogebant. Qui verò sese non dedecent, sed caperentur, ii vel aliâ afficiebantur pœnâ, vel sub coronâ veniebant. *Sub Coronâ venire* dicuntur,

tur, quia captivi coronati solent venire; & corona signum captivorum venalium. Nonnulli hanc hujus phrasis rationem adferunt, quòd milites custodiæ causa captivorum venalium greges circumstarent, eaque circumstatio militum *Corona* appellata sit.

Cap. XXIV.

De Coloniis, Municipiis, Præfecturis, Fœdis, Provinciis, & eorum differentiis.

Coloniæ oppida fuerunt quo populus Romanus cives suos ad incolendum deduxit.

Coloniæ sex potissimum causis deducebantur. 1. Ut priores populi qui eum locum, in quem Colonia deducebatur, inhabitârant, coërcerentur. 2. Ut hostium incursiones reprimerentur. 3. Ut stirps Romana augeretur. 4. Ut plebs urbana exhauriretur. 5. Ut seditiones Romanæ à plebe motæ sedarentur. 6. Ut præmiis milites veterani afficerentur. Quacunque de causâ deducerentur, Senatusconsulto opus fuit, aut rogatione aliqua populari, quorum utrumque uno legis nomine comprehenditur, quæ Lex Agraria vocata est: hæc agrum dividendum definivit, & quibus, ac quam multis hominibus, & per quos, & quo modo, & quibus limitibus esset dividendus præscripsit. Cum de Colonia deducenda ad Senatum aut populum relatum esset, tum ii qui agri cupiditate tenebantur nomina in Coloniam dabant. Quod si plures aut pauciores quam lege præscriptum erat nomina in Coloniam essent professi; tum ad sortem confugiebant, ut ex omnibus educerentur qui agro accepto exirent. Numerus autem Colonorum pro agri amplitudine in quem deducebantur, scribebatur: quo factum est, ut modò bina, modò terna, modò quaterna millia atque amplius scriberentur. Deduce-

bantur sub vexillo quasi exercitus aliquis à Triumviris, &c. Dux deductionis erat aliquis à Curatoribus agrariis. Ubi colonos in agris quò deducendi erant collocarunt, tum aratro urbem & agrum circumscribebant; quo facto, agri divisionem ac suæ cuique partis assignationem aggrediebantur.

Municipium oppidum erat jure civium Rom. donatum.

Municipiorum, sicut & Coloniarum, genera erant duo: aliis enim civitas Romana cum suffragio, aliis sine suffragio communicata erat. Suffragium erat optimum Civitatis jus; quia nec suffragium sine Tribu, & qui suffragii jus habebat, fere Magistratus etiam habebat. Prioris generis municipibus, quibus suffragium non dabatur, suæ leges permittebantur: posteriores verò, quia suffragio ornabantur, suis legibus spoliabantur, Romanis obstringebantur: paucis: omnia jura habebant quæ Cives Romani, excepto domicilii.

Coloniæ & Muncipia differunt sic. Coloniæ non veniunt extrinsecus in civitatem, nec suis radicibus nituntur, sed ex civitate quasi propagatæ sunt, & jura institutaque omnia populi Rom. non sui arbitrii habent. Quæ conditio, quanquam magis obnoxia & minùs libera est, potior tamen & præstantior existimatur, propter amplitudinem majestatemque populi Rom. cujus istæ coloniæ quasi effigies parvaque simulacra esse videntur; & quia Coloniarum jura magis sunt perspicua.

Præfecturarum conditio ac fortuna inter omnes Italicas civitates fuit durissima: Sic enim à majoribus erat traditum, ut quæ civitates iniquæ ingratæve erga populum Rom. fuissent, ac fidem datam semel atque iterum fefellissent, ubi in potestatem ditionemque essent adductæ in præfecturæ formulam referrentur. Hæc à provinciæ formula non longe

ab-

abfuit : ut enim quotannis in provincias Prætores Rom. mitti ſoliti, ſic in præfecturas Præfecti qui eas adminiſtrarent ac jus dicerent; unde illæ quoque inſigne hoc Præfecturæ nomen hauſerunt. Licuit tamen nonnunquam idem oppidum & Præfecturam & Municipium eſſe: Præfecturam quidem, quatenùs eò Præfectus jurisdictionis cauſa mitteretur, nec in ea magiſtratus ad jus dicendum crearentur; Municipium verò quatenus jure civitatis vel cum ſuffragio vel ſine ſuffragio uteretur.

Civitates fœderatæ nec Coloniæ, nec Municipia, nec Præfecturæ erant, ſed aliquid ex fœdere populo Rom. debebant: in cæteris liberæ erant, ſuam Remp. ſuas leges, & ſuos Magiſtratus habebant: caruerunt jure civitatis quo aliquæ ex illis donatæ leguntur. Fœderatarum civitatum aliquanto uberior quam aliorum oppidorum numerus extitit: Siquidem omnia Italiæ oppida, præter Colonias, municipia & præfecturas, in hunc numerum adſcribenda ſunt.

Fora loca fuerunt in quibus jus dicebatur.

Conciliabula erant loca Nundinationis, quæ Prætores in provinciis indicere ſolebant.

Provinciæ, quod Pop. Rom. eas provicit, i. e. antevicit. Hoc nomen tribus modis accipitur: 1. Pro Regione quam aut armis devictam, aut quocunque modo in poteſtatem adductam populus Rom. magiſtratui ſuo adminiſtrandam ſubjecit. 2. Pro quacunque Regione in qua bellum Rom. Imperator adminiſtraret. 3. Pro quacunque muneris publici procuratione. Provincia in prima ſignificatione Regio fuit quæ tum vectigalia pop. Rom. pependit, tum magiſtratui P. R. ex fœderis lege obtemperavit, exceptis civitatibus iis quæ propter merita ſua, aut immunitate, aut libertate donatæ, atque in amicorum formulas relatæ eſſent. Hujus rei totius arbitrium penes Senatum univerſum fuit.

CAP. XXV.

De Præmiis Imperatorum, Supplicatione, Triumpho & Ovatione.

DE Militum præmiis diximus supra cap. de Leg. Mil. Qui verò imperium rectè & feliciter administrârunt hæc decora patuerunt: absenti nomen Imperatoris & Supplicatio, præsenti Triumphus & Ovatio.

Supplicatio honos fuit qui unà cum Imperatoris nomine decernebatur victori, nempe cum senatus populo Deûm templa aperiri, ac gratias Diis Imperatoris nomine agi jubebat. In hac Supplicationis pompa, quæ aliàs plures, aliàs pauciores dies continuabatur, Senatus ad templa Deorum solenniter se conferebat, ibique sacrificabat & epulum dabat. Omnis autem populus agebat dies festos, & agebat Diis gratias pro victoria, & vota faciebat, ut, quod ostenderant beneficium, perficerent. Hoc honoris genus Ciceroni habitum fuisse, quando Catilinariam conjurationem repressit, ipse meminit in Philippica 2. & aliàs.

Triumphus eximius honor fuit, quem is qui auspicio suo hostes præclio devicisset, in urbem cum incolumi exercitu rediens, Senatûs primum decreto, post etiam populi jussu consequebatur. Erant duo Triumphorum genera: unus major, qui præcipue Triumphus; alter minor, quæ Ovatio nominata est. Ex his autem alii terrestres, qui terrâ; alii navales, qui mari rebus feliciter gestis; alii in urbe, alii in monte Albano acti sunt.

Triumphus major fuit summum illud magnificentissimum & jucundissimum præmium præcellentium Imperatorum Appellationem habet, quòd cum Impera-

peratore redeuntes milites clamitant per urbem in Capitolium eunti *iô Triumphe*, *iô Triumphe*; idque à Græco Θριάμβου Bacchi cognomento, qui pompæ triumphalis author vulgò primus habetur. Dandi hujus honoris, ſicuti & ſupplicationum & ovationum poteſtas erat penes ſenatum, quem oportebat integrum convenire, quoties de his ſummis honoribus erat conſultatio. Populus penes quem ſolummodò erat, triumphanti imperium dabat die à Senatu indicto. Nemini ex lege triumphare licuit niſi qui Dictator, aut Conſul, aut Prætor res geſſiſſet: diſceſſum tamen aliquando ab hac lege fuit.

Ipſa Triumphi pompa fuit fere hujusmodi. Imperator triumphali habitu ornatus, armillis ſumptis, laureâ redimitus, & ramum dextrâ tenens populum convocavit, & militibus ſuis, aliis communibus, aliis propriis laudibus oneratis pecuniam & ornamenta dividebat. Quidam univerſum populum donarunt, & ſumptus in ludorum publicorum apparatus fecerunt, & ſi quid ſpoliorum reliqui erat, in porticus, templa, aut alia ejusmodi opera publica conſumpſerunt. His rebus peractis, atque ſacrificio facto, Triumphans currum conſcendebat ita precatus: DII, NUTU ET IMPERIO QUORUM NATA, ET AUCTA EST RES ROMANA, EANDEM PLACATI, PROPITIATIQUE SERVATE. Tum portam triumphalem vehebatur. Præcedebant Tubicines canentes modos triumphales, aut etiam claſſicum. Poſt hos ducebantur boves mactandi in ſacrificium, vittis ſertisque redimiti, & aliquando auratis cornibus. Illis ſuccedebat ſpecioſa oſtentatio ſpoliorum & manubiarum, quæ ſingulari arte compoſita, partim plauſtris vehebantur, partim geſtabantur ab adoleſcentibus ornatis. Ferebantur & tituli victarum gentium cum imaginibus devictarum urbium: ac fuerunt ſpoliis inter-

dum mixta animalia anteà non visa, aut mirabiles plantæ ex locis captis asportatæ. Succedebant inde qui ex hostibus capti erant duces vincti catenis, & post illos ante currum Imperatoris portabantur coronæ aureæ, si quæ ipsi ab urbibus aut provinciis, summi honoris causâ, quod sæpe accidit, per legationes fuerunt exhibitæ. Ac tum demum ipse Imperator curru sublimi magnificè exornato vehebatur, fulgens veste triumphali, & redimitus coronâ laureâ, ramumque lauri manu gestans. *Vestis Triumphalis* erat purpura auro intexto picta, quâ extra hanc pompam nemini fas uti. Currum, neque bellicarum neque ludicrarum quadrigarum, sed turris rotundæ instar constructum traxerunt equi: quidam tamen cervos, quidam leones junxerunt. Sub curru, è loco cui Imperator insidebat, suspensum fuit Idolum fascini, is medicus invidiæ Triumphantes defendit, jubetque eos respicere i. e. hominem se esse etiam in illo sublimissimo curru meminisse: suggeritur enim ei à tergo *Respice post te, hominem memento te.* In ipso curru minister publicus advectus, qui ponè coronam auream gemmis distinctam sustinens admoneret eum ut respiceret, i. e. ut reliquum vitæ spatium provideret, ne eo honore elatus superbiret. Appensum quoque fuit currui tintinnabulum & flagellum, quibus notatum fuerat ipsum in eam calamitatem incidere posse, ut & flagris cæderetur & capite damnaretur: nam qui ob facinus supremo supplicio afficiebantur tintinnabula gestare solebant, nèquis inter eundum contactu illorum piaculo se obstringeret. Triumphans etiam in curru secum habuit filiolos pueros: etiam cognatorum, si quos habebat, virgines & pueros in currum adscisebat: natu vero grandiores in equis jugalibus imponebat: si autem plures erant, equis singularibus vecti ipsum prosequebantur. Currum inde sequebatur Peditum & Equitum exercitus.

citus suo quisque ordine. Ex his, si qui peculiares coronas aut alia dona ob egregium facinus ab Imperatore acceperant, ea præ se ferebant; cæteri omnes laureati incedebant cientes lætissimâ voce Triumphum, & accinentes Triumphalia carmina, quibus etiam jocos miscere licebat. Qui verò ad spectaculum confluxerant ex urbe aut aliis Italiæ locis homines, omnes velut in publica eâque lætissima festivitate, cum lætissima gratulatione & applausu pompam spectant, induti vestitu mundo & plerumque albo. Procedente etiam pompâ, in honorem Deorum omnes ædes sacræ fuerunt apertæ, atque coronis & suffitibus repletæ. Sic igitur ad Capitolium ductus Imperator, simulatque de foro versus illud cutrum flectere cœpit, hostes ante currum ductos abduci mandavit in carcerem, ubi vel detenti sunt perpetuò, vel illicò securi percussi. Cum ventum fuit in Capitolium, Triumphans precatus est in eandem sententiam, sed pluribus verbis quam prius, & immolatæ sunt cum maxima solennitate hostiæ seu victimæ & dicata Jovi corona aurea & aliquot pretiosæ manubiæ. Clypei & alia monumenta ibi suspensa. Datum etiam in ipso Capitolio epulum sumptibus publicis, & aliquantum pecuniæ viritim plebi distributum: cætera relata in ærarium publicum. Quod si quis opima spolia fuisset consecutus, ea in Templo Jovis Feretrii suspendebantur. Erant autem *Opima spolia* quæ dux, vel, ut nonnullis placet, miles quilibet alius hostium duci interfecto detraxerat. Atque hoc modo peracta triumphorum pompa fuit.

Ovatio, sive Triumphus minor, dicta ab eo clamore quem milites mittunt, redeuntes à pugnâ victores geminatâ literâ O O, Græce ἰυασμὸς bacchantium vociferatio, ab ἰυοῖ voce bacchantium. Aliis placet magis derivatio ejus ab Ove, quam illi qui hoc genere triumphi ornabantur sacrificabant, quemadmodum

modum qui majorem Triumphum agebat, taurum in Capitolium veniens immolabat. Ovatio concessa cum aut bella non rite indicta, neque cum justo hoste gesta sunt; aut cum hostium nomen humile & non idoneum, ut servorum, piratarum; aut deditione repente facta, in pulvere (ut dici solet) incruentaque victoria obvenit: aut cum verbis & comitate res cum hostibus transacta (nam & tibia pacis est, & myrtus Veneris arbor, quæ Dea maxime violentiam & bella odit:) his adde, cum aut in aliena provincia, aut alienis auspiciis, aut cum sine magistratu res gesta esset.

Ovatio à majore Triumpho differt ratione causarum, ut dictum jam nunc; & ratione pompæ ipsius, nam ovans non curru vectus, sed vel equo, ut nonnulli volunt, vel ut alii, pedibus, nec trabeam, nec togam pictam indutus, nec laureâ coronatus, sed myrteâ, nec tubis, sed tibiis modulantibus urbem exercitu præeunte ingressus est.

CAP. XXVI.

De Arcubus Triumphalibus & Trophæis.

IIs qui triumphaverant primus locus datus in consessibus publicis, & permissum ut in spectaculis lauream coronam in capite gestarent, sicut & alii qui unquam coronas acceperant, eas ibi gestabant: erectæ etiam fuerunt columnæ, statuæ, & arcus triumphales, trophæa, atque alia monumenta.

Arcus Triumphales primum rudes & simplices fuerunt, cum præmia virtutis essent non ambitionis lenocinia seculo insolentiore monumenta victoriarum & triumphorum pompa in iis incisa. Erant latericei, aut ex rudi lapide quadrato, aut ex marmore. Eorum forma primùm erat semicircularis, unde & nomen

men Fornicis accepit: postea quadrata, ita ut in medio ampla esset fornicata porta, & ex ejus utroque latere aliæ portæ minores additæ. Intra mediæ portæ fornicem victoriæ alatæ pependerunt, quæ demissæ victori transeunti coronam imponerent: in superiore arcûs parte spatia erant in quibus aliquot homines vel tubis canebant, vel trophæa maxime insignia ostentabant.

Trophæa erant corpora trunca cum spoliis; quorum alterum thorace squamoso indutum cum ornamentis militaribus & Clypeis, ante se habens juvenem captivum, brachiis ad tergum revinctis, & undique alatas Victorias: alterum armis militaribus ornatum, inter quæ clypei inæqualiter rotundi, galeæ apertæ cum cono & cristis: in eodem est forma chlamydis, & alia quædam.

Insculpta in arcubus triumphalibus tum alia multa, tum causæ & merita pro quibus arcus isti essent ipsis extructi.

Cap. XXVII.

De Missione Exercitus.

Missio vel honesta fuit, vel causaria. Honesta fuit eorum quibus justa militiæ vocatio esset: Causaria quibus necessaria. Justa fuit, cum quis aut legitima fecisset stipendia, aut major esset annis quinquaginta. Necessaria, cum aut morbo, aut imbecilla valetudine impeditus in castris esse non posset. Nonnunquam Imperatores pro arbitratu militibus petentibus commeatum concesserunt, *à forlof* vel domûs revisendæ, vel negotii privati causâ. Senes & Sacerdotes perpetuam militiæ vacationem habebant. Vacationes Censores Romani cognoscebant. Sic de rebus Militaribus Romanorum.

AD

LIBRUM QUARTUM APPENDIX

DE STRATEGEMATIS.

CAP. I.

REI militaris disciplina cæteris omnibus haud dubiè præcellit, utpote maximorum regnorum effectrix ac parens. Hæc Cyro Persæ, hæc Alexandro Macedoni, hæc Cæsari Romano nomen peperit æternum: hæc innumeros Principes jam olim immortalitate donavit; hæc orbem terrarum parêre Imperio Rom. coëgit. Unde Arpinas Orator dixisse fertur: *Cedat forum castris, otium militiæ, stylus gladio, umbra Soli.* Qui de hac disciplinâ scripserunt, non minùs utiles futuri sunt pallentibus in umbrâ scholasticis, quàm coloratis sub dio bellatoribus. Fuit autem Periclis sententia, multorum calculis confirmata, tutius esse, imò præclarius, ingenio hostem & ratione quam ferro vincere. Et boni duces (inquit Vegetius) non aperto marte prælium, in quo est commune periculum, sed ex occulto semper attentant; ut integris suis, quantum possint, hostes interimant, vel certè terreant. Ideò Agamemnon ad rem Trojanam evertendam decem Nestores aut Ulysses consiliarios, quam totidem Ajaces aut Achilles bellatores sibi optavit. De Hannibale scribit Ammianus Marcellinus, sine callido aliquo consilio eum prælium nunquam commisisse: quod & historiæ omnes de eo prodiderunt. Diodorus refert Philippum Macedonum Regem magis de prudentiâ, astu

Impe-

Imperatorio, & successu quem in conciliandis hominibus habuisset, gloriari solitum, quam de copiarum & auxiliorum viribus, additâ hac ratione: rerum benè in præliis gestarum laudem sibi cum suis militibus communem, sed quæ prudentiâ transegisset, titulum ad se solum spectare. Ideo Silius,

Bellandum est astu, levior laus in duce dextræ.

De Julio Cæs. dubitat Sueton. utrum in obeundis expeditionibus cautior fuerit an audentior. Ego verò (inquit Polyænus Strategem. lib. 1. cap. 2.) etiam Proteum in omne genus animalia atque arbores mutari solitum opinor, in animalia ac arbores nunquam evasisse, sed ejus fallaciarum commutationes in fabulam redegit Homerus, quod dolis potuerit superare quemcunque vellet.

Cæterum Strategema (à Græco verbo στρατηγεῖν, exercitum ducere, eumque consiliis juvare, atque magnanimitate protegere) est ingeniosum in bello inventum, quod ad ejus qui excogitat utilitatem, & hostium perniciem momentum habet. Quod in bellis juste exerceri posse dubitandum non est: nam & Joshuam ipsum strategemate usum fuisse legimus in urbe Ai capiendâ, *Jos. cap.* 8. Huc etiam recte referas consilium Hushai Architæ amici Davidis. 2 *Sam. cap.* 17. *& alia.* Nam ut Poëta,

——— *dolus an virtus quis in hoste requirat?*

Regibus autem & Ducibus in primis videndum est, ut bella justa i. e. justis, necessariis, & gravibus causis suscepta, juris & æqui legibus mota, & rectè indicta procedant: quod Romanorum multis annis studium & institutum fuisse probant Fœcialium jura, testantur historiæ: secùs autem cœpta non nisi fœdæ rapinæ, prædationes iniquæ, & latrocinia magna Deo & hominibus invisa extabunt: quod damnatus olim Pirata Alexandro objecisse dicitur, & de posteriori-bus Romanorum bellis vir summæ fidei & ingenii

Florus gravissimè queritur. Cavendum proximè, ut Dei Numen perjurium, aut fidem etiam hosti vel cum capitis periculo datam perfidia violet: clara est omnibus posteris fides & constantia Reguli. Nec fieri potest ut clarum & præstabile nomen Strategematis cadat in perfidiam aut perjurium: Vulteius in Nuncupatoriâ Strategem. Polyæni, Nec Strategemata mendaciis ornare aut instruere liceat: id enim inhonestum & nefas. Neque atrox aut inhumanum aliquid pro Strategemate tentandum est: quale fuit M. Aquilii facinus, qui contra fas Deûm moresque majorum, mixtis veneno fontibus, & medicaminibus impuris infamem fecit victoriam, & in id tempus Sacrosancta Rom. arma violavit: *Flor. lib. 2. cap. 20.* Et quale fuit scelus Pædagogi Faliscorum summâ indignatione à Camillo Romanorum duce repulsum. Quale etiam nefas tentavit medicus Pyrrhi Epirotarum Regis, qui Regi venenum sub mercede magnâ pollicitus: at Fabricius Rom. dux tali facinore egere victoriam negans, Regi medicum detexit. Nec tamen omnis dolus à milite removendus est, aut omnes ei fallaciæ detrahendæ: sed quemadmodum dixit quidam, ubi leonis pelle nihil proficitur, assuatur vulpina, i. e. cum apertâ vi res non succedit, aliâ viâ ingrediendum sit, inopinantibus terror injiciatur, improvisum hostium consilium capiatur, accersatur dolus absque perfidiâ, adhibeatur industria, locum habeat solertia, Strategemata usurpentur, quæ infinita per historias sparsa sunt: nos pauca oblectandi gratiâ & acuendi ad studia animi subjiciemus. Scripserunt de Strategematis Græcorum juxtà ac Latinorum Polyænus libros octo; Julius Frontinus libros quatuor; Nicolaus Machiavellus lib. de re milit. Hippolytus à Collibus in suo Principe: quos rei militaris studiosis jugiter versandos plurimùm commendamus.

CAP.

Cap. II.

De Occultandis Consiliis.

1. M. Porcius Cato devictas à se Hispaniæ civitates existimabat in tempore rebellaturas fiduciâ murorum. Scripsit itaque singulis, ut diruerent monumenta, minatus bellum nisi confestim obtemperassent, epistolasque universis civitatibus eodem die reddi jussit: unaquæque urbium sibi soli credidit imperatum. Conjurationes conspiratio potuit facere, si omnibus idem denunciari omnibus notum fuisset.

2. Clælius ad Syphacem profectus Legatus, quosdam ex Tribunis & Centurionibus per speciem servitutis ac ministerii exploratores secum duxit: ex quibus L. Statorium, quia fæpius in iisdem castris fuerat, quidam ex hostibus videbantur agnoscere: occultandæ conditionis causâ, baculo ut servum castigavit.

3. Ventidius Parthico bello adversus Pacorum Regem, non ignarus Pharnium quendam natione Cyrrestem ex his qui socii videbantur; omnia quæ apud ipsos agebantur nunciare Parthis, perfidiam barbari ad militares suas convertit. Nam quæ maxime fieri cupiebat, ea vereri se ne accidirent, quæ timebat, ea ut evenirent optare se simulavit.

4. Mithridates, circumvallante Pompejo, fugam in proximum diem moliens, hujus consilii obscurandi causâ, latius & usque ad applicitas hosti valles pabulatus est: colloquia quoque cum pluribus avertendæ suspicionis causâ, in posterum diem constituit: ignes etiam frequentiores per tota castra fieri jussit; secunda deinde vigilia præter ipsa castra hostium agmen eduxit.

5. Themistocles Athenarum dux exhortans suos ad erigendos festinanter muros, quos jussu Lacedæmoniorum dejecerant, Legatis Lacedæmone missis qui interpellarent, respondit venturum se ad diluendam hanc existimationem, & pervenit Lacedæmonem: ibi simulato morbo, aliquantum temporis extraxit, & postquam intellexit suspectam esse tergiversationem suam, contendit falsum ad eos rumorem, & rogavit ut mitterent aliquos ex Principibus quibus crederent de munitione Athenarum. Suis deinde clam scripsit, ut eos qui venissent retinerent, donec refectis operibus confiterentur Lacedæmoniis munitas esse Athenas, nec aliter Principes eorum redire posse, quam si ipse remissus foret: quod facilè præstiterunt Lacedæmonii, ne unius interitum multorum morte pensarent.

6. Metellus Pius in Hispania interrogatus, quid postera die facturus esset? *Tunicam meam, si id eloqui possit* (inquit) *comburerem.* Similiter L. Licinius Crassus percontanti quo tempore castra moturus esset, respondit: *Vereris ne tubam non exaudias?*

Cap. III.

De explorandis Consiliis Hostium.

CArthaginenses, cùm animadvertissent Alexandri ita magnas opes, ut Africæ quoque immineret, unum ex civibus virum acrem, nomine Hamilcarem Rhodinum jusserunt simulato exilio ire ad Regem, omnique studio in amicitiam ejus pervenire: quâ is potitus consilia ejus nota civibus suis faciebat. Item Carthaginenses miserunt qui per speciem Legatorum longo tempore Romæ morarentur, excipierentque consilia nostrorum.

8. Me-

8. M. Cato in Hiſpania, quia ad hoſtium conſilia alia via pervenire non potuerat, juſſit trecentos milites ſimul impetum facere in ſtationem hoſtium, raptumque unum ex his in caſtra perferre incolumem: tutus ille omnia ſuorum arcana confeſſus eſt.

9. C. Marius Coſſ. bello Cimbrico & Teutonico, ad excutiendam Gallorum & Ligurum fidem, literas iis miſit: quarum pars prior præcipiebat, ne interiores quæ præſignatæ erant, ante tempus certum aperirentur; easdem poſteà ante præſtitutum diem repetiit, & quia reſignatas repererat, intellexit hoſtilia agitari.

10. Eſt etiam aliud explorandi genus quo ipſi duces nullo extrinſecus adjutorio, per ſe provident. Sicut Æmilius Paulus Coſ. bello Hetrulco apud oppidum Coloniam dimiſſurus exercitum in planiciem, contemplatus procul avium multitudinem citatiore volatu è ſylvâ conſurrexiſſe, intellexit aliquid inſidiarum latere, quod & turbatæ aves & ſimul plures evolaverunt. Præmiſſis igitur exploratoribus comperit decem millia Bojorum excipiendo ibi Rom. agmini imminere: eaque alio, quam expectabatur, latere miſſis legionibus circumfudit. Idem fecit Thyamenus Horeſtis filius.

11. Asdrubal frater Hannibalis, tunc Livii & Neronis exercitum (quanquam hoc illi non duplicatis caſtris diſſimularent) intellexit, quod ab itinere ſtrigoſiores notabat equos, & coloratiora hominum ex via corpora.

CAP. IV.

De cuſtodiendo ſtatu belli.

12. ALexander Macedo, cum haberet validum exercitum, ſemper eum ſtatum belli elegit.

ut

ut acie confligeret. C. Cæsar bello civili cum exercitum veranum haberet, hostium autem Tyronem esse sciret, acie semper decertare studuit.

13. Fab. Maximus adversus Hannibalem successibus præliorum insolentem, recedere ab ancipiti discrimine, & tueri tantummodo Italiam constituit, Cunctatorisque nomen, & per hoc summi ducis meruit.

14. Scipio, manente in Italiâ Hannibale, transmissio in Africam exercitu, necessitatem Carthaginensibus imposuit revocandi Hannibalem. Sicque à domesticis finibus hostile transtulit bellum. Idem & alii factitarunt.

CAP. V.

De transducendo Exercitu per loca Hoste infesta.

15. ÆMilius Paulus Cos. cum in Lucanos juxta littus angusto itinere exercitum duceret, & Tarentini ei classe insidiati agmen ejus scorpionibus aggressi essent, captivos lateri euntium prætexuit quorum respectu hostes inhibuere tela. Agesilaus Lacedæmonius idem fecit.

16. Autobrates Perses cum Pisidiam exercitum duceret, & angustias quasdam Pisidæ occuparent, simulata vexatione trajiciendi, instituit reducere: quod cum Pisidæ credidissent, ille nocte validissimam manum ad eundem locum occupandum præmisit, ac postero die totum trajecit exercitum.

Cn. Pompejus, cum flumen transire propter oppositum exercitum hostium non posset, assiduè producere & reducere in castra constituit: deinde in eandem persuasionem hoste perducto, ne ullam viam ad progressum Romanorum teneret, repente impetu facto transitum rapuit.

P. Clau-

P. Claudius Coſ. primo bello Punico cum à Rhegio Meſſanam trajicere militum nequiret, cuſtodientibus fretum Pœnis, ſparſit rumorem, quaſi bellum injuſſu populi inceptum gerere non poſſet, claſſemque Italiam verſus agere ſimulavit: digreſſis deinde Pœnis, qui profectioni ejus habuerant fidem, circumactas naves appulit Siciliæ.

17. Philippus Macedonum Rex Græciam petens, cum Thermopylas occupatas audiret, & ad eum Legati Ætolorum veniſſent acturi de pace, retentis iis, ipſe magnis itineribus ad anguſtias pertendit: ſecurisque cuſtodibus, & legatorum reditus expectantibus, inopinatus Thermopylas trajecit.

18. Lacedæmoniorum duces, cum Syracuſas navigare deſtinaſſent, & Pœnorum diſpoſitam penitus claſſem timerent, decem Punicas naves, quas captivas habebant, veluti victrices primas juſſerunt agi, à latere junctis ac puppe religatis aliis, qua ſpecie deceptis Pœnis, tranſierunt.

Chabrias Athenienſis, cum adire portum Samiorum obſtante navali hoſtium præſidio non poſſet, paucas è ſuis navibus præter portum miſſas juſſit tranſire, arbitratus qui in ſtatione erant perſecuturos, hisque per hoc conſilium evocatis, nullo obſtante, portum cum reliquâ adeptus eſt claſſe.

P. Decius Tribunus bello Samnitico, Cornelio Coſſo Coſ. iniquis locis deprehenſo ab hoſtibus, fecit ut ad occupandum collem, qui erat in propinquo, modicam manum mitteret, ſeque ducem iis qui mittebantur, obtulit: avocatus in diverſum hoſtis dimiſit Conſulem, Decium autem cinxit, obſeditque illas quoque anguſtias: noctu eruptione factâ, cum eluctatus eſſet Decius, incolumis cum militibus Conſuli acceſſit.

Itidem Attilio Calatino Coſ. Calphurnius dimiſſum exercitum videns in vallem, cujus latera omnia ſupe-

ſuperiora hoſtis inſideret, depopoſcit & accepit trecentos milites, quos adhortatus ut virtute ſua exercitum ſervarent, in mediam vallem decurrit, & ad opprimendos eos undique deſcendit hoſtis, longoque & aſpero prælio retentus occaſionem, Conſuli ad extrahendum exercitum dedit.

CAP. VI.

De evadendo ex locis difficillimis.

19. QUintus Sertorius in Hiſpaniâ, cum à tergo, inſtante hoſte flumen trajicere haberet; vallum in ripâ ejus in modum cavæ lunæ duxit, & oneratum materiis incendit, atque ita exclusis hoſtibus fluvium liberè transgreſſus eſt. Similiter Pelopidas Thebanus bello Theſſalico, tranſitum quæſivit.

Herculeius Legatus Sertorii, cum in Hiſpania inter duos montes abruptos, longum & anguſtum iter ingreſſus paucas duceret cohortes, comperiſſetque ingentem manum hoſtium advenire, foſſam transverſam inter montes preſſit, vallumque materiâ extructum incendit, atque ita intercluſo hoſte evaſit.

Cræſus, cum Halyn vado tranſire non poſſet, neque navium, aut pontis faciendi copiam haberet, foſſâ ſuperiori parte poſt caſtra deductâ, alveum fluminis à tergo exercitus ſui reddidit.

20. L. Furius exercitu producto in locum iniquum, cum conſtituiſſet occultare ſolicitudinem ſuam, ne reliqui trepidarent, paulatim inflexit iter, tanquam circuitu majore hoſtem aggreſſurus, converſoque agmine, ignarum rei quæ agebatur exercitum incolumem reduxit.

21. L. Sylla bello ſociali apud Eſerniam inter anguſtias deprehenſus, ad exercitum hoſtium, cui Duillius præerat, colloquio petito, de conditionibus pacis

cis agitabat sine effectu. Hostem tamen propter inducias negligentia resolutum animadvertens, nocte profectus, relicto buccinatore, qui vigilias ad fidem remanentium divideret, & quarta vigilia commissa eum sequeretur, incolumes suos cum omnibus impedimentis tormentisque in tuta perduxit. Idem & alii factitarunt.

Brasidas dux Lacedæmoniorum, circa Amphipolim ab Athenienſium multitudine numero impar deprehensus, claudendum se præstitit, ut per longum coronæ ambitum extenuaret hostilem frequentiam, quaque rarissimi obstabant, erupit.

Iphicrates in Thracia cum depresso loco castra posuisset, exploraſſet autem ab hoste proximum teneri collem, & unus ad opprimendum ipsos descensus esset, nocte paucis intra castra relictis, imperavit, ut multos ignes facerent, eductoque exercitu & dispositio circa latera antedicta viæ, passus est transire barbaros, locorumque iniquitate, in qua ipse fuerat, in illos conversa, parte exercitus terga eorum cecidit, parte castra fecit.

Darius ut falleret Scythas discessu, canes atque asinos in castris reliquit, quos cum latrantes rudentesque hostis audiret, remanere Darium credidit. Similiter & alii factitarunt.

Cap. VII.

De Insidiis in itinere factis.

23. Fulvius Nobilior cum Samnio in Lucanos exercitum educeret & cognoviſſet à perfugis hostes noviſſimum agmen ejus aggressuros, fortiſſimam legionem primo ire, ultima sequi jussit impedimenta: ita factum pro occasione amplexi hostes, diripere sarcinas cœperunt. Fulvius legionis, de qua supra

di-

dictum est, quinque cohortes in dexteram partem viæ direxit, quinque ad sinistram: atque ita prædationi intentes hostes explicato per utraque latera milite, clausit ceciditque. Idem, hostibus tergum ejus in itinere prementibus, dum flumine interveniente, non ita magno ut transitum prohiberet, moraretur tamen rapiditate: alteram legionem in occulto citra flumen collocavit, ut hostes, paucitate contemptâ, audaciùs sequerentur; quod ubi factum est, legio quæ ad hoc disposita erat, ex insidiis hostem aggressa vastavit.

24. Boii in Sylva Latina, qua transiturus erat Rom. exercitus, succiderant arbores, ità ut ex parte exigua sustentatæ starent, donec impellerentur, delituerant deinde ad extremas: ipsi ubi (ingresso sylvam hoste) proximas ulteriores impulerunt, eo modo propagata pariter supra Romanos ruina magnam manum elisérunt.

CAP. VIII.

Quemadmodum ea, quibus deficimur, videantur non deesse aut usus eorum expleatur.

25. L. Cæcilius Metellus, quia usus navium, quibus elephantes transportaret, deficiebatur, junxit dolia, constravitque tabulamentis, ac super ea positus per Siculum fretum transmisit.

26. Celebratur nobile factum Alexandri, qui per deserta Africæ itinera, gravissimâ siti cum exercitu affectus, oblatam sibi à milite in galeâ aquam, spectantibus universis effudit, utiliore exemplo temperantiæ, quàm si communicare potuisset.

27. Romani, cum à Gallis Capitolium obsiderentur, in extrema jam fame panem in hostem jactaverunt: consecutique ut abundare commeatibus viderentur,

rentur, obsidionem, donec Camillus subveniret, toleraverunt. Athenienses adversus Lacedæmonios idem feciſſe dicuntur.

28. Hi qui ab Hannibale Caſilini obſidebantur, ad extremam famem perveniſſe crediti, cum etiam herbas alimentis eorum Hannibal, ſæpe arato lodo qui erat inter caſtra ipſius & mœnia præriperet, ſemina in præparatum locum jecerunt: conſecuti ut habere viderentur, quo victum ſuſtentarent usque ad fatorum proventum.

29. Reliqui ex Variana clade, cum obſiderentur, quia deſici frumento videbantur, horrea totâ nocte circumduxerunt: Captivos deinde præciſis manibus dimiſerunt: hi circumſidentibus ſuis perſuaſerunt, ne ſpem maturæ expugnationis reponerent in fame Romanorum, quibus alimentorum ingens copia ſupereſſet.

30. Thraſibius dux Milesiorum, cum longa obſidione milites ſui angerentur ab Aliatte, qui ſperabat eos ad deditionem fame poſſe compelli, ſub adventum legatorum Aliatris frumentum omne in forum compellere juſſit, & conviviis ſub idem tempus inſtitutis, per totam urbem epulas præſtitit: atque ita perſuaſit hoſti ſupereſſe ipſis copias, quibus diuturnam ſuſtinerent obſidionem.

31. Vicinioribus ſeculis Ladiſlaus Rex Pannoniæ adverſus Polonos pugnans, poſt diuturnam Cracoviæ obſidionem, ut oppidanis copiæ opinionem faceret, montem vicinum noctu farina conſperſit: rati illi Regem non deſtiturum, ſeſe dediderunt.

CAP.

CAP. IX.

De distringendis hostibus.

32. CORIOLANUS, cum ignominiam damnationis suæ bello ulciſceretur, populationem Patriciorum agrorum inhibuit, deuſtis vaſtatisque plebeiorum, ut diſcordiam moveret, quâ conſenſus Romanorum diſtringeretur.

HANNIBAL Fabium, cui neque virtute neque artibus par erat, ut infamia diſtringeret, agris ejus abſtinuit cæteros populatus. Contra ille, ne ſuſpecta civibus fides eſſet, magnitudine effecit, publicatis poſſeſſionibus ſuis.

33. M. CURIUS adverſus Sabinos qui ingenti conſcripto exercitu, relictis finibus ſuis Rom. occupaverant, occultis itineribus manum miſit quæ deſolatos agros eorum vicosque per diverſa incendit, Sabini ad arcendam domeſticam vaſtitatem receſſerunt. Curio contigit & vacuos infeſtare hoſtium fines, & exercitum ſine prælio avertere, ſparſumque cædere.

34. LEGATI Romanorum, cum miſiſſent ad Antiochum Regem, qui ſecum Hannibalem, victis jam Carthaginenſibus, habebat, conſiliumque ejus adverſus Romanos inſtruebat, crebris cum Hannibale colloquiis effecerunt, ut is Regi fieret ſuſpectus, cui gratiſſimus alioqui & utilis erat, propter calliditatem & peritiam bellandi.

35. BELLO Punico quædam civitates quæ à Romanis deficere ad Pœnos deſtinaverunt, cum obſides dediſſent, quos recipere antequam deſciſcerent, ſtudebant, ſimulaverunt ſeditionem inter finitimos ortam, quam Romanorum legati dirimere deberent, miſſosque eos velut contraria pignora retinuerunt, nec ante reddiderunt, quam ipſi recuperarent ſuos.

36. C. Cæsar per exceptum quendam aquatorem, cum comperisset Afranium Petreiumque castra noctu moturos, ut citra vexationem suorum hostilia impediret consilia, initio statim noctis vasa conclamare milites, & præter adversariorum castra agi multos cum fremitu & sono jussit: continuere quos retentos volebat, arbitrati castra Cæsarem movere.

37. Dionysius Syracusanorum Tyrannus, cum Afri ingenti multitudine trajecturi essent in Siciliam ad eum oppugnandum, castella pluribus locis communiit, custodibusque præcepit, ut ea advenienti hosti dederent, dimissique Syracusas occultè redirent: Afris necesse fuit capta castella præsidio ibi tenere, quos Dionysius redactos ad quam voluerat paucitatem, pene jam par numero aggressus vicit, cum suos contraxisset & adversarios sparsisset.

Cap. X.

De seditione militum compescenda.

38. L. Sylla legiones pernicioſa seditione furentes sic restituit: propere enim annunciari jussit hostem adesse, & ad arma vocantium clamorem tolli, signa canere: discussa seditio est, universis adversus hostem consentientibus.

Cn. Pompejus, trucidato ab exercitu Mediolani Senatu, ne tumultum moveret, si solos evocasset nocentes, mixtos iis qui extra delictum erant venire jussit: ita & noxii minore cum metu, quia non segregati, ideoque non ex causa culpæ videbantur accersi, comparuerunt: & illi quibus integra erat conscientia, custodiendis quoque nocentibus attenderunt, ne illorum fuga inquinarentur.

C. Cæsar, cum quædam legiones ejus seditionem movissent, adeo ut in perniciem quoque ducis

viderentur consurrecturæ, dissimulato metu processit ad milites, postulantibusque missionem ultro minaci vultu dedit: exauctoratos pœnitentia coegit satisfacere Imperatori, obsequentioresque in reliquum operas edere. Idem tumultuantes milites compescuit ignominiosâ illis Quiritium appellatione. Idemque aliàs apertum ipsius pectus objiciens, militemque ferire jubens, metu & pudore motum ad officium reduxit.

39. Scorylo dux Dacorum cum scirot dissociatum armis civilibus populum Rom. neque tamen tentandum arbitraretur, quia externo bello posset concordiam cives coalescere, duos canes in conspectu populariorum commisit, hisque acerrimè inter ipsos pugnantibus lupum ostendit, quem protinus canes omissa inter se ira aggressi sunt, quo exemplo prohibuit barbaros ab impetu Romanis profuturo.

CAP. XI.

Quemadmodum intempestiva postulatio pugnæ inhibeatur.

40. Q. Sertorius, quod experimento didicerat imparem se universo Romanorum exercitui, ut barbaros quoque inconsulto pugnam exposcentes doceret, adductis in conspectum duobus equis, altero prævalido, altero admodum exili, duobus duos juvenes admovit similiter affectos, robustum & gracilem, ac robustiori imperavit equo exili universam caudam abrumpere, gracili autem valentiorem per singulos pilos vellere. Cùm gracilis feciſſet quod imperatum erat, validissimus cum infirmi cauda sine effectu luctaretur: jam (inquit Sertorius) Romanarum cohortium (per hoc vobis exemplum ostendi) milites, insuperabiles sunt universas aggredien-

dientibus, easdem lacerabit & carpet qui per partes attentaverit.

Cap. XII.

Quemadmodum sit incitandus exercitus ad prælium.

41. M. Fabius & Cn. Manlius Coss adversus Hetruscos propter seditiones detrectante prælium exercitu, ultro simularunt cunctationem, donec milites probris hostium coacti pugnam deposcerent, jurarentque se ex eâ victores redituros.

42. Fulv. Nobilior cum adversus Samnitium numerosum exercitum, & successibus tumidum, parvis copiis necesse haberet decertare, simulavit unam legionem hostium à se corruptam ad proditionem, imperavitque (ad ejus rei fidem) Tribunis, & primis ordinibus, & Centurionibus, quantum quisque numeratæ pecuniæ, aut auri argentique haberet, conferret, ut repræsentari merces proditoribus posset. Se autem his qui contulissent pollicitus est, consummatâ victoriâ, ampla insuper præmia daturum. Quæ persuasio Romanis alacritatem attulit & fiduciam, unde etiam præclara victoria, commisso statim prælio, peracta est.

43. C. Cæsar adversus Germanos & Ariovistum pugnaturus, confusis suorum animis, pro concione dixit, nullius se eo die operâ nisi decimæ legionis usurum. Quo consecutus est, ut Decimani tanquam præcipuæ fortitudinis testimonio cogerentur, & cæteri pudere, ne penes alios gloria virtutis esset.

44. Q. Fabius qui egregiè sciebat, & Romanos ejus esse libertatis quæ contumelia exasperaretur, & à Pœnis nihil justum aut moderatum expectabat, misit legatos Carthaginem de conditionibus pacis,

quas cum iniquitatis & insolentiæ plenas attuliſſent, exercitus Rom. ad pugnandum concitatus eſt.

45. Ageſilaus Lacedæmoniorum dux, cum propè ab Orchomeno ſociâ civitate caſtra haberet, comperiſſetque plerosque ex militibus pretioſiſſima rerum deponere intra munimenta, præcepit oppidanis, ne quid ad exercitum ſuum pertinens reciperetur, quo ardentiùs dimicaret miles, qui ſciret ſibi pro omnibus ſuis pugnandum.

46. Epaminondas dux Thebanorum adverſus Lacedæmonios dimicaturus, ut non ſolum viribus milites ſui, verum affectibus etiam adjuvarentur pronunciavit in concione deſtinatum Lacedæmoniis, ſi victoriâ potirentur, omnes virilis ſexûs interficere, uxoribus autem eorum & liberis in ſervitutem adductis Thebas diruere. Quâ denunciatione concitati, primo impetu Thebani Lacedæmonios expugnaverunt.

47. Cyrus Rex Perſarum, ut concitaret animos popularium, tota die in excidendâ quadam ſylvâ eos fatigavit: deinde poſtridie præſtitit iis liberaliſſimas epulas, & interrogavit utro magis gauderent. Cumque ii præſentia probaſſent: atqui per hæc inquit, ad illa perveniendum eſt. Nam liberi beatique eſſe niſi Medos viceritis non poteſtis; atque ita eos ad cupiditatem prælii concitavit.

48. L. Sylla, quia adverſus Archelaum Præfectum Mithridatis, apud Piræa pigrioribus ad prælium militibus utebatur, opere eos fatigando compulit ad poſcendum ultro pugnæ ſignum.

49. F. Maximus veritus ne quâ fiducia navium, ad quas refugium erat, minùs conſtanter pugnaret exercitus, incendi eas, priusquam iniret prælium, juſſit.

CAP.

Cap. XIII.

De tempore ad pugnam eligendo.

50. P. Scipio in Hiſpaniâ cùm comperiſſet Hasdrubalem Pœnorum ducem jejuno exercitu mane proceſſiſſe in aciem, continuit in horam ſeptimam ſuos, quibus præceperat, ut quieſcerent & cibum caperent: cumque hoſtes inediâ, ſiti, morâ, ſub armis fatigati repetere caſtra cœpiſſent, ſubitò copias eduxit, & commiſſo prælio vicit.

Cl. Tib. Nero adverſus Pannonios, cum barbari feroces in aciem oriente ſtatim die proceſſiſſent, continuit ſuos, paſſusque eſt hoſtem nebula & imbribus, qui forte illo die crebri erant, verberari, ac deinde ubi feſſum ſtando & pluviâ non ſolùm animo, ſed & laſſitudine deficere animadvertit, ſigno dato adortus ſuperavit.

Metellus Pius in Hiſpaniâ adverſus Herculeium, cum ille oriente protinus die inſtructam aciem vallo ejus admoviſſet, fervidiſſimo tunc tempore anni, intra caſtra ſuos continuit in horam diei ſextam: atque ita fatigatos æſtu facilè vicit integris & recentibus ſuorum viribus.

51. Iphicrates Athenienſis, quia exploraverat eodem aſſiduè tempore hoſtes cibum capere, maturiùs veſci ſuos juſſit & eduxit in aciem: aggreſſusque hoſtem ita detinuit, ut ei nec confligendi, nec abeundi daret facultatem. Inclinato deinde jam die reduxit ſuos, & nihilominus in armis retinuit: fatigati hoſtes non ſtatione magis quam inediâ, ſtatim ad corporis curam & cibum capiendum feſtinaverunt: Iphicrates rurſus eduxit, & incompoſiti hoſtis caſtra aggreſſus eſt.

Idem cum adverſus Lacedæmonios pluribus diebus caſtra cominùs haberet, & utraque pars certis

temporibus, assiduè pabulatum lignatumque procederet, quodam die militum habitu servos lixasque dimisit ad munera, milites retinuit, & cum hostes dispersi essent ad similia munera, expugnavit castra eorum, inermesque cum fasciculis passim ad tumultum recurrentes facilè aut occidit, aut cepit.

52. Philippus ad Cheroniam, memor sibi esse militem, longo usu duratum, Athenienſibus acrem quidem, sed inexercitatum & impetu tantum violentum, ex industria prælium traxit, moxque, languentibus jam Athenienſibus, concitatiùs intulit signa, & ipsos cecidit.

53. Lacedæmonii certiores ab exploratoribus facti Mesenios in eam exarsisse rabiem, ut in prælium cum conjugibus ac liberis descenderent, pugnam distulerunt.

Neque Cæsar cum adversario ira & desperatione incenso pugnare voluit.

CAP. XIV.

De loco ad pugnam eligendo.

54. M. Curius, quia phalangi Regis Pyrrhi explicitè resisti non posse animadvertebat, dedit operam ut in angustiis confligeret, ubi conferta sibi ipsa esset impedimento.

Lacedæmonii trecenti contra innumerabilem multitudinem Persarum Thermopylas occupaverunt, quarum angustiæ non amplius quàm parem numerum cominùs pugnaturum poterant admittere: eaque ratione (quantum ad congressûs facultatem) æquali numero Barbarorum, virtute autem præstantes magnam eorum partem occiderunt; nec superati forent, nisi per proditorem Ephialten Trachinium circumductus hostis à tergo eos oppressisset.

55. Han-

55. Hannibal apud Numiſtronem contra Marcellum pugnaturus, cavas & præruptas vias objecit à latere, ipſaque loci natura pro munimentis uſus, clariſſimum vicit.

Idem apud Cannas, cum comperiſſet Vulturnum amnem, ultra reliquorum naturam fluminum ingentes auras mane perflare, quæ arenarum & pulveris vortices agerent, ſic direxit aciem, ut tota vis à tergo ſuis, Romanis in ora & oculos incideret: quibus incommodis mirè hoſti adverſantibus, illam memorabilem adeptus eſt victoriam.

56. Marius adverſus Cimbros ac Teutonos conſtituto die pugnaturus, firmatum cibo militum ante caſtra collocavit, ut per aliquantum ſpatii, quo adverſarii dirimebantur, exercitus hoſtium potius labore itineris profligaretur; fatigationi eorum deinde incommodum aliud objecit, ita ordinata ſuorum acie, ut adverſo ſole & vento, & pulvere barbarorum occuparetur exercitus.

57. Cleomenes Lacedæmonius adverſus Hippiam Athenienſem, qui equitatu prævalebat, planitiem, in qua dimicaturus erat, arboribus proſtratis impedivit & inviam equiti fecit.

58. Xantippus Lacedæmonius ſola loci commutatione fortunam Punici belli convertit: nam cum deſperantibus jam Carthaginenſibus, animadverſiſſet Afros quidem, qui equitatu & elephantis præſtabant, colles ſectari, à Romanis autem, quorum robur in peditibus erat, campeſtria teneri, Pœnos in plana deduxit: ubi per elephantos, diſſipatis ordinibus Romanorum, ſparſos milites per Numidas perſecutus, eorum exercitum fudit in illam diem terra marique victorem.

59. Epaminondas dux Thebanorum, adverſus Lacedæmonios directurus aciem, pro fronte ejus decurrere equitibus juſſis, cum ingentem pulverem oculis

hostium objeciſſet, expectationemque equeſtris certaminis prætendiſſet: circumducto pedite ab ea parte, ex qua decurſus in adverſam hostium aciem ferebat, inopinantium terga adortus cecidit.

CAP. XV.

De Acie ordinandâ.

60. IN acie ordinanda. 1. Validiſſimi infirmiſſimis opponantur.

2. Hostis qua infirmiſſimus invadatur.

3. Conferto prælio (ſi uſus ſit) infirmiores robuſtoribus oppoſiti ſe ſubducant & in tuta recipiant: optima autem pars virium ſic fruſtratum hostis robur circumeat & evertat.

4. Solita aciei forma, ſub tempus prælii, ad fruſtrandam hostis expectationem & conſilia conturbanda, mutari recte poterit.

5. Quà hoſtes validiſſimi, inde acies reducatur, nec ea parte antè cum hoſte confligatur, quàm circumductis cornibus mediis undique circumeatur.

6. Hostis avidè inſequens in mediam noſtrorum aciem recipiatur, & ex utrâque parte compreſſus cædatur.

7. Contra hostis circumventionem foſſæ ab utroque latere ducantur.

8. Si hostis edito colle, locis confragoſis, aut paluſtribus, ſepe, vallo, aliòve artis aut naturæ præſidio ſe à fronte aut à latere muniverit, quà tali præſidio nudus eſt circumveniatur.

9. Caſtra ſic ponantur, ut aut montibus aut paludibus, aut ſimili aliqua locorum opportunitate, hoſtibus quidem vincentibus, tuos incolumes recipere poſſis, cedentibus autem inſtandi liberum habeas arbitrium.

10. In

10. In prima acie collocentur leviùs armati aut imbecilliores tuorum, in subsidio autem & in cornibus, robur exercitûs: illi missis statim telis se intra horum ordines recipiant, hostemque jam à robustioribus exceptum circumeant.

11. Densa aliquando acies instruatur, ut minoris exercitûs speciem præbeas: securis deinde hostibus, in ipso certamine diductis ordinibus, à lateribus circumveniantur.

12. Si hostium multitudinem verearis, virtuti autem tuorum fidas, acies in omnem partem spectans ordinetur, ut tui circumventi undique pugnare possint.

13. Qui multitudine abundat, cohortes aliquot in subsidio retineat, ad res subitas.

14. Si hostes in sylvas aut loca impedita refugiendo equestres copias eludant, equites relictis equis pedestri pugna confligant.

CAP. XVI.

De acie hostium turbandâ.

61. MInutius Rufus Imperator, cum à Scordiscis, Dacisque premeretur, quibus impar erat numero, præmisit fratrem & paucos equites, unà cum æneatoribus, præcepitque, ut, cum vidisset contractum prælium, subitus ex diverso se ostenderet, juberetque æneatores concinere: sonantibus montium jugis, species ingentis multitudinis offusa est hostibus: qua perterriti dedêre terga.

62. Pauci se è loco edito subitò ostendentes hostibus à tergo, ingentes sæpe exercitus conturbarunt.

63. C. Sulpitius Petreius Cos. contra Gallos dimicaturus, jussit mulliones clam in montes proximos cum mulis abire, & inde conferto jam prælio, velut equis insidentes ostentare se pugnantibus: quare Galli

existimantes adventare auxilia Romanis, cessere jam penè victores. Idem & alii factitarunt.

64. Hispani contra Hamilcarem boves vehiculis adjunctos in prima fronte constituerunt: vehiculaque tædæ & sepi & sulfuris plena, signo pugnæ dato incenderunt: actis deinde in hostem bobus, consternatam aciem perruperunt.

65. Nonnulli furiali habitu ornati, faces & angues proferentes, hostium aciem turbaverunt.

CAP. XVII.

De Insidiis.

66. AEgyptii conflicturi acie in iis campis quibus junctæ paludes erant, algâ eos contexerunt, commissoque prælio, fugam simulantes in insidias hostes traxerunt, qui rapidius acti per ignota loca, limo inhæserunt, circumventique sunt.

Veriatus ex latrone dux Celtiberorum, cedere se Romanis equitibus simulans, usque ad locum voraginosum & præaltum eos perduxit. Et cum ipse per solitos ac notos sibi transitus evaderet, Romanos ignaros locorum immersosque limo cecidit.

67. Alexander ex Epirotis adversus Illyrios collocatâ in insidiis manu, quosdam ex suis habitu Illyriorum instruxit, & jussit vastare suam, i. e. Epiroticam regionem: quod cùm Illyrii viderent fieri, ipsi passim prædari cœperunt, eo securiùs, quòd præcedentes veluti pro exploratoribus habebant, à quibus ex industria in loca iniqua deducti cæsi fugatique sunt. Idem fecit Leptenes Syracusanus adversus Carthaginenses.

68. Maharbal missus à Carthaginensibus adversus Afros rebellantes, cùm sciret gentem avidam esse vini, magnum ejus modium Mandragorâ permiscuit, cujus

cujus inter venenum ac ſoporem media vis eſt; tunc prælio levi commiſſo, ex induſtria ceſſit: nocte deinde intempeſta, relictis intra caſtra quibusdam ſarcinis, & omni vino infecto, fugam ſimulavit. Cumque barbari, occupatis caſtris, in gaudium effuſi medicatum avidè vinum hauſiſſent, & in modum defunctorum ſtrati jacerent, reverſus cepit eos ac trucidavit.

69. Tib. Gracchus in Hiſpaniâ, certior factus hoſtem inopem commercio laborare, inſtructiſſima caſtra omnibus eſculentis deſeruit, quæ adeptum hoſtem, & repertis intemperanter repletum gravemque reducto exercitu, ſubito oppreſſit.

70. Hi qui adverſus Erythræos bellum gerebant, ſpeculatorem eorum, in loco edito deprehenſum occiderunt, & veſtem ejus ſuo militi dederunt, qui ex eodem jugo Erythræos, ſigno dato, in inſidias evocavit.

71. Arabes, cum eſſet nota conſuetudo eorum, qua de adventu hoſtium interdiu fumo, nocte igne ſignificare inſtituerant, ut ſine intermiſſione ea fierent præceperunt: adventantibus autem adverſariis intermitterent: qui, cum ceſſantibus luminibus, exiſtimarent ignorari adventum ſuum, avidiùs ingreſſi oppreſſique ſunt.

72. Alexander Macedo, cum hoſtis in ſaltu editiore caſtra communiſſet, inducta parte copiarum præcepit his quos relinquebat, ut ex more ignes excitarent, ſpeciemque præberent totius exercitûs, ipſe per avias regiones circumducta manu hoſtem ſuperiore aggreſſus loco depulit.

73. T. Labienus C. Cæſaris legatus adverſus Gallos, ante adventum Germanorum, quos auxilio his venturos ſciebat, confligere cupiens, diffidentiam ſimulavit: poſitisque in diverſa ripa caſtris, profectionem edixit in poſterum diem. Galli credentes eum fugere, flumen quod medium erat inſtituerunt tranſire

tere. Labienus, circumacto exercitu, inter ipsas superandi amnis difficultates, eos cecidit.

74. Hannibal, cum explorâsset negligenter castra Fulvii Romani ducis munita, ipsum præterea multa temere audere, primâ luce, cum densiores nebulæ præstarent obscuritatem, paucos milites munitionum nostrarum vigilibus ostendit, quò Fulvius repente movit exercitum. Hannibal per diversam partem castra ejus occupavit, & ita in tergum Romanorum effusus, octo millia fortissimorum militum cum ipso duce trucidavit.

75. Idem ad Thrasimenum, cum arcta quædam via in radices montis & campos patentes duceret, simulatâ fugâ per angustias ad patentia evasit, ibique castra posuit: ac nocte dispositis militibus, & per collem qui imminebat, & in lateribus angustiarum, primâ luce, nebulâ quoque adjutus aciem direxit. Flaminius velut fugientem insequens, cum angustias esset ingressus, non antè providit insidias, quàm simul à fronte, lateribus, tergo circumfusus, ad internecionem cum exercitu cæderetur.

76. Idem adversus Junium Dictatorem, nocte intempesta sexcentis equitibus imperavit, ut in plures turmas segregati, per vices sine intermissione circa castra hostium se ostentarent. Ita totâ nocte Romanis in vallo, statione, ac pluvia, quæ forte continua fuerat, inquietatis confectisque, cum receptui signum jam Junius dedisset, Hannibal suos requietos reduxit, & castra ejus invasit.

Epaminondas Thebanus eodem dolo excepit Lacedæmonios.

77. Hannibal directâ acie ad Cannas, sexcentos equites Numidas jussit transfugere: qui ad fidem faciendam, gladios & scuta nostris tradidere; & in ultimum agmen recepti, ubi primum concurri cœpit, strictis minoribus (quos occultaverant) gladiis, scu-

ſcutis jacentium aſſumptis, Romanorum terga ceciderunt.

Iapyges P. Licinio Proconſuli Pagos quoque ſub ſpecie deditionis obtulerunt: qui recepti & in poſtremâ acie collocati terga Romanorum ceciderunt.

78. C. Caſſius in Syria adverſus Parthos ducens aciem, equitem extendit à fronte, cum à tergo peditem in confragoſo loco occultaſſet, dein cedente equitatu, & per nota ſe recipiente, in præparatas inſidias perduxit exercitum Parthorum, & cecîdit.

79. Ventidius Parthos & Labienum alacres ſucceſſibus victoriarum, dum ſuos ipſe per ſimulationem motûs continet, evocavit: & in loca iniqua deductos, aggreſſus per obreptionem adeo debellavit, ut deſtituti Labieno provincia excederent Parthi.

Idem adverſus Pharnaſtanis Parthos, cum ipſe exiguum numerum militum haberet, illis autem fiduciam ex multitudine videret increſcere, ad latus caſtrorum octodecim cohortes in obſcura valle poſuit, equitatu poſt terga militum collocato. Tum paucos admodum milites in hoſtem miſit, qui ubi, ſimulatâ fuga, hoſtem effuſè ſequentem ultra inſidiarum locum perduxere, coorta à latere acie, præcipitatis in fugam his, Pharnaſtanem interfecit.

80. C. Cæſar ſuis & Afranianis caſtris contrariis tenentibus planities, cum utriusque partis plurimum intereſſet colles proximos occupare, idque propter ſaxorum aſperitatem eſſet difficile, tanquam Ilerdam repetiturum retro, agmen ordinavit, faciente inopia fidem deſtinationi: intra breviſſimum deindè ſpatium, exiguo circuitu flexit repente ad montes occupandos. Quo viſu perturbati Afraniani, velut captis caſtris, & ipſi effuſo curſu eosdem montes petiêre: quod futurum cum prædeſtinaſſet Cæſar, partim peditatu, quem præmiſerat, partim à tergo ſubmiſſis equitibus inordinatos eſt adortus.

81. Me-

81. Melantus dux Athenienſium cum provocatus à Rege hoſtium Xanto Bœotio deſcendiſſet ad pugnam, ut primum cominùs ſtetit, inique, inquit, Xante, & contra pactum facis, adverſus ſolum enim cum altero proceſſiſti. Cumque admiratus ille quisnam ſe comitaretur, reſpexiſſet, averſum uno ictu confecit.

82. Iphicrates Athenienſis ad Cherroneſum, cum ſciret Lacedæmoniorum ducem Anaxibium exercitum pedeſtri itinere ducere, firmiſſimam manum militum eduxit è navibus, & in inſidiis collocavit, naves autem omnium, tanquam onuſtas milite palam transnavigare juſſit, ita ſecuros & nihil expectantes Lacedæmonios, à tergo ingreſſus itinere oppreſſit fuditque.

83. Liburni, cum vadoſa loca obſediſſent, capitibus tantum eminentibus, fidem fecerunt hoſti alti maris, ac triremem, quæ eos perſequebatur, implicitam vado ceperunt.

84. Alcibiades dux Athenienſium in Helleſponto adverſus Numidarum & Lacedæmoniorum ducem, cum amplum exercitum & plures naves haberet, noctu expoſitis in terram quibusdam militum ſuorum, parte quoque navium poſt quædam promontoria occultatâ, ipſe cum paucis profectus, ita ut contemptui ſui hoſtem invitaret, eundem inſequentem fugit, donec in præparatas inſidias perduceret: averſum deinde, egredientem in terram, per eos, quos ad hoc ipſum expoſuerat, cecidit.

Idem navali prælio decertaturus, conſtituit malos quosdam in promontorio, præcepitque his quos ibi relinquebat, ut, cum prælium commiſſum ſenſiſſent, panderent vela. Quo facto conſecutus eſt, ut hoſtes etiam claſſem in auxilium ſupervenire ei arbitrati verterentur.

85. Memnon Rhodius navali prælio, cum haberet ducem

ducentarum navium classem, & hostium naves elicere ad prælium vellet, ita ordinavit suos, ut paucarum navium malos erigerent, easque primas agi juberent, hostes procul conspicati numerum arborum, & ex eo navium quoque conjectantes, obtulerunt se certamini, & à pluribus occupati superatique sunt.

86. Timotheus dux Athenienſium adversus Lacedæmonios navali acie decertaturus, cum instructa classis eorum ad oppugnandum processisset, ex velocissimis navibus viginti præmisit, quæ omni arte varioque flexu eluderent hostem: ut primùm sensit minus agiliter moveri adversam partem, progressus prælassatos facile superavit.

CAP. XVIII.

De emittendo hoste, ne clausus prælium ex desperatione redintegret.

87. GAllos, eo prælio quod Camilli ductu gestum est, desiderantes navigia quibus Tyberim transirent, Senatus censuit transvehendos, & commeatibus quoque persequendos. Ejusdem generis hominibus postea per Pomptinum agrum fugientibus via data Gallica appellatur.

88. L. Martius Eques Romanus, cui, duobus Scipionibus occisis, exercitûs imperium detulit, cum circumventi ab eo Pœni, ne multi morerentur; acriùs pugnarent, laxatis manipulis, & concesso fugæ spatio, dissipatos sine periculo suorum trucidavit.

Idem fecit C. Cæsar Germanis, idem iisdem Hannibal ad Thrasimenum, Idem Ætolis Antigonus Macedonum Rex, & idem Thebanis Agesilaus Lacedæmonius.

89. Cn. Manlius Cos. cum ex acie reversus capta ab Hetruscis Romana castra invenisset, omnibus portis

tis ſtatione circundatis, incluſos hoſtes in eam rabiem efferavit, ut ipſe in prælio caderet. Quod ut animadverterunt legati ejus, ab una parte remota ſtatione, exitum Hetruſcis dederunt, & effuſos perſecuti, occurrente altero Conſule Fabio ceciderunt.

90. Themiſtocles, victo Xerxe, volentes ſuos pontem rumpere prohibuit, cùm docuiſſet aptius eſſe eum expelli ex Europâ, quàm cogi ex deſperatione pugnare. Idem miſit ad eum, qui indicaret in quo periculo eſſet, niſi fugam maturaret.

91. Pyrrhus Epirotarum Rex, cùm quandam civitatem cepiſſet, clauſisque portis ex ultimâ neceſſitate fortiter dimicantes eos qui incluſi erant animadvertiſſet, locum illis ad fugam dedit. Idem inter cætera præcepta imperatoria memoriæ tradidit, non eſſe pertinaciter inſtandum hoſti fugienti. Alii præceperunt, ut *hoſti fugienti pons aureus fiat.*

CAP. XIX.

De diſſimulandis adverſis.

92. TUllus Hoſtilius Rex Rom. commiſſo adverſus Veientes prælio, cum Albani deſerto exercitu Rom. proximos peterent tumulos, eaque res turbaſſet Rom. animos, clarè pronunciavit juſſo ſuo Albanos id feciſſe, ut hoſtem circumveniret. Quæ res & terrorem Veientibus, & Romanis fiduciam attulit, remque inclinatam conſilio reſtituit.

Hannibalem venientem in Italiam tria millia carpentariorum reliquerunt, quo ille exemplo ne & cæteri moverentur edixit, à ſeſe eſſe dimiſſos, & inſuper in fidem ejus rei paucos leviſſimæ operæ domos remiſit.

93. L. Sylla, cum auxiliares ejus miſſi ab ipſo circumventi ab hoſtibus, & interfecti eſſent, vereretur-

que

que ne propter hoc damnum universus trepidaret exercitus, pronunciavit, auxiliares qui ad defectionem conspirassent, consilio à se in loca iniqua deductos: ita manifestissimam cladem ultionis simulatione velavit, & militum animos hac persuasione confirmavit.

94. Scipio, cum Syphacis Legati nunciarent Regis sui nomine, ne fiducia societatis ejus ex Siciliâ in Africam transiret, veritus ne confunderentur animi suorum, absciss à peregrinâ societate dimisit Legatos, & famam diffudit, tanquam ultro à Syphace accerferetur.

95. Q. Sertorius cùm acie decertaret, barbarum, qui ei nunciaverat Herculeum periisse, pugione trajecit, ne & in aliorum id notitiam perferret, & ob hoc animi suorum infirmarentur.

96. L. Lucullus, cum animadvertisset Macedonas equites, quos in auxilio habebat, subito consensu ad hostem transfugere, signa canere jussit; & turmas quæ eos sequerentur immisit: hostis committi prælium ratus, transfugientes telis excepit Macedones: qui cum viderent neque recipi se ab adversariis, & premi ab his quos deserebant, necessariò ad justum prælium conversi hostem invaserunt.

97. T. Quintius Capitolinus Cos. cedentibus Romanis, ementitus est in altero cornu hostes fugatos, & ita confirmatis suis victoriam retulit.

98. Marius adversus Cimbros & Teutonos, cum metatores ejus per imprudentiam ita castris locum cepissent, ut sub potestate barbarorum esset aqua: flagitantibus eam suis, digito hostem ostendens, illinc, inquit, petenda est: quo instinctu assecutus est, ut protinus barbari tollerentur.

CAP.

CAP. XX.

De constituendâ per constantiam acie.

99. S. Tullius adolescens, prælio quo Tarq. Rex adversus Sabinos conflixit, signiferis segniùs dimicantibus, raptum signum in hostem misit: cujus recipiendi gratiâ Romani ita ardenter pugnavérunt, ut & signum & victoriam retulerint.

Idem & alii plurimi factitarunt: signa enim Romanis sacra fuerunt: ut diximus suprà.

100. Q. Furius, aversо exercitu, cum occurrisset, affirmavit non recepturum se in castra quenquam nisi victorem, reductisque in aciem victoriâ potitus est. Et huic simile fecerunt alii.

101. M. Attilius Cos. bello Samnitico, ex acie refugientibus in castra militibus, aciem suorum oppositi, affirmans secum, & cum bonis civibus dimicaturos eos, nisi cum hostibus maluissent, eâ ratione universos in aciem reduxit.

102. L. Sylla, credentibus jam legionibus exercitui Mithridatico, ductu Archelai, stricto gladio in primam aciem procurrit, appellansque milites dixit: si quis quæsisset, ubi Imperatorem reliquissent, respondérent pugnantem in Boeotia: cujus rei pudore universi eum secuti sunt.

103. D. Julius ad Mundam suis referentibus pedem, equum suum abduci à conspectu suo jussit, & in primam aciem pedes prosiliit: milites dum destituere Imperatorem erubescunt, redintegrarunt prælium.

104. Philippus veritus ne impetum Scytharum sui non sustinerent, fidelissimos equitum à tergo posuit, præcepitque ne quem commilitonum ex acie fugere paterentur, perseverantiùs abeuntes trucidarunt. Qua

denun-

denunciatione cum effeciſſet, ut etiam timidiſſimi mallent ab hoſtibus quam à ſuis interfici, victoriam acquiſivit.

CAP. XXI.

De his quæ poſt prælium fiunt, ſi res proſperè ceſſerint, & de confirmandis reliquiis belli.

105. C. Marius, victis prælio Teutonis, reliquias eorum (quia nox circumvenerat) circumſedens, ſublatis ſubinde clamoribus per paucos ſuorum territavit, inſomnemque hoſtem detinuit, ex eo conſecutus, ut poſtero die inexquietum faciliùs debellaret.

106. Cl. Nero, victis Pœnis, quos, Hasdrubale duce in Italiam ex Hiſpania trajiciente, exceperat, caput Hasdrubalis in caſtra Hannibalis projecit, quo factum eſt, ut & Hannibal luctu (nam frater occiſus erat) & exercitus deſperatione adventantis præſidii affligeretur. Cujus ſimile ab aliis etiam factitatum legimus.

107. Hermocrates Syracuſanus, ſuperatis acie Carthaginenſibus, veritus ne captivi, quorum ingentem manum in poteſtatem redegerat, parum diligenter cuſtodirentur, quod eventus dimicationis in epulas & ſecuritatem compellere victores poterat, finxit proximâ nocte equitatum hoſtilem venturum: qua expectatione aſſecutus eſt ut ſolito attentiùs vigiliæ agerentur.

CAP. XXII.

Si res durius ceſſerit de adverſis emendandis.

108. T. Didius in Hiſpaniâ, cùm acerrimo prælio conflixiſſet, quod nox diremerat, magno nume-

numero utrinque cæso, complura suorum corpora atra nocte sepelienda curavit: Hispani postero die ad simile officium progressi, quia plures ex ipsorum numero quàm ex Romanis cæsos repererant, victos se esse secundum eam dinumerationem argumentati, ad conditiones Imperatoris descenderunt.

109. T. Martius Eques Rom. qui reliquiis exercitûs duorum Scipionum præfuit, cum in propinquo bina castra Pœnorum paucis millibus passuum distarent, cohortatus milites, proxima castra intempestâ nocte adortus est; & cum hostem victoriæ fiduciâ incompositum aggressus, ne nuncios quidem cladis reliquisset, brevissimo tempore militi ad requiem dato, eadem nocte, raptim famam rei gestæ prægressus, altera eorundam castra invasit. Ita bis simili usus est eventu, deletis ubique Pœnis, amissaspopulo Rom. Hispanias restituit.

CAP. XXIII.

De dubiorum animis in fide retinendis.

110. PValerius Epidauri timens oppidanorum perfidiam, quia parum præsidii habebat, gymnicos ludos procul ab urbe apparavit. Quò cum omnis fere multitudo spectandi causa exîsset, clausit portas nec in eas antea admisit Epidaurios, quam obsides à Principibus acciperet.

111. Cn. Pompejus cùm suspectos haberet Catinenses, & vereretur ne præsidium non reciperent, petiit ab iis, ut ægros interim apud se refici paterentur, fortissimis deinde habitu languentium missis, civitatem occupavit continuitque.

112. Alexander, devicta perdomitaque Thracia, petens Asiam, veritus ne post ipsius discessum sumerent arma, Reges eorum, Præfectosque & omnes qui-

quibus videbatur ineſſe cura detractæ libertatis, ſecum velut honoris cauſa traxit, ignobiles autem relictis plebeioſque præfecit, conſecutus, uti principes beneficiis obſtricti nihil novare vellent, plebs verò ne poſſet quidem ſpoliata principibus.

113. Scipio Africanus in Hiſpannia, cum inter captivas nobilis & eximiæ formæ virgo ad eum perducta eſſet, omniumque oculos in ſe converteret, ſumma cuſtodia habitam ſponſo nomine Aliçio reddidit, inſuperque aurum, quod parentes ejus redempturi captivam Scipioni attulerant eidem ſponſo pro nuptiali munere dedit: qua multiplici magnificentia univerſa gens victa imperio populi Rom. accesſit.

Alexander etiam Macedo eximiæ pulchritudinis virginem captivam, finitimæ gentis Principi deſponſatam ne aſpicere quidem voluit. Qua mox ad ſponſum remiſſa, univerſæ gentis per hoc beneficium animos ſibi conciliavit.

114. Germanicus Cæſar, cum in finibus Ubiorum caſtella poneret, pro fructibus eorum locorum, quæ vallo comprehendebat, pretium ſolvi juſſit, atque ea juſtitiæ fama omnium fidem adſtrinxit.

Cap. XXIV.

Quæ facienda ſint pro caſtris, ſi ſatis fiduciæ in præſentibus non habeamus.

115. Phares dux Athenienſium cum expectaret auxilia, & vereretur ne intereà contemptu præſentis paucitatis hoſtes caſtra ejus oppugnarent, complures ex iis quos habebat, per adverſam partem nocte miſſos, juſſit quà præcipuè conſpicui forent hoſtibus, redire in caſtra, & accedentium novarum virium ſpeciem præbere, atque ita ſimulatis auxiliis tutus eſt, donec inſtrueretur expectatis.

116. Iphi-

116. Iphicrates Athenienſis cum campeſtribus locis caſtra haberet, exploraſſetque Thraces ex collibus per quos unus erat deſcenſus, nocte ad diripienda caſtra venturos, clam duxit exercitum, & in utroque viæ latere, per quam tranſituri erant Thraces, diſtributum collocavit: hoſtemque decurrentem in caſtra, (in quibus multi ignes per paucorum curam inſtituti ſpeciem manentis ibi multitudinis ſervabant) à lateribus adortus oppreſſit.

CAP. XXV.

De effugiendo.

117. GAlli pugnaturi cum Attalo aurum omne & argentum certis cuſtodibus tradiderunt, quibus, ſi acie fugiſſent, parceretur, quò faciliùs colligenda præda hoſtem impeditum effugerent.

Triphon Syriæ Rex victus per totum iter fugiens pecuniam ſparſit, ſeque ſectantes Antiochi equites moratus effugit.

118. Q. Sertorius pulſus acie à Q. Metello pio, ne fugam quidem ſibi tutam arbitratus, milites diſperſos abire juſſit, admonitos in quem locum vellet convenire.

Viriatus Luſitanorum dux eâdem ratione Romanorum copias locorumque iniquitatem evaſit, ſparſo exercitu deinde collecto.

119. Horatius Cocles, urgente Porſenæ exercitu, juſſit ſuos per pontem redire in urbem, eumque (ne caſu ſequeretur hoſtis) intercidere. Quod dum efficitur, in capite ejus propugnator ipſe ſequentes detinuit. Audito denique fragore pontis abrupti dejecit ſe in alveum, eumque armis & vulneribus oneratus tranavit.

120. Afranius in Hiſpaniâ ad Ilerdum, cum Cæſa-

rem

rem fugeret, instante eo castra posuit, cum idem Cæsar fecisset, & pabulatum suos dimisisset; ille signum repente itineri dedit.

121. Pub. Claudius navali prælio superatus à Pœnis, cum per hostium præsidia necesse haberet erumpere, reliquas viginti naves tanquam victrices jussit ornari, atque ita Pœnis existimantibus superiores fuisse acie Rom. terribilis excessit.

122. Pœni classe superari, quia instantem avertere Romanum studebant, simulaverunt in vada naves suas incidisse, hærentesque imitati effecerunt, ut victor eorum timens casum, spatium ad evadendum daret.

CAP. XXVI.

De repentino exercitu.

123. QUi victoriâ potiri vult, famam sui adventus præveniat, & hostem inopinantem opprimat. Sic Consules, sic Cæsar, sic maximi ubique nominis duces fecerunt.

CAP. XXVII.

De fallendis iis qui obsidentur.

124. DOmitius Calvinus cum obsideret Lucream oppidum Ligurum situ, operibus, & propugnatorum præstantiâ tutum, circuire muros frequenter omnibus copiis instituit, easdemque reducere in castra: quâ consuetudine inductis ita oppidanis, ut crederent exercitationis gratiâ id facere Romanum, & ob hoc nil ab eo conatu caventibus, morem illum obambulandi in subitum direxit impetum, occupatisque mœnibus oppressit, ut se ipsos dederent & oppidum.

125. Han-

125. Hannibal in Italia multas urbes cepit, cùm Romanorum habitu quosdam ſuorum, ex longo belli uſu Latinè quoque loquentes præmitteret. Idem & alii fecerunt.

126. Ariſtippus Lacedæmonius feſto die Tegeatarum, quo omiſſis multitudo ad celebrandum Minervæ ſacrum urbe egreſſa erat, jumenta ſaxis frumentariis palea refertis onuſta Tegeam miſit, agentibus ea militibus, qui negotiatorum ſpecie inobſervati portas aperuerunt ſuis.

127. Antiochus in Cappadocia ex caſtello Suenda quod obſidebat, jumenta frumentatum egreſſa intercepit: occiſisque calonibus, eorundem veſtitu milites ſuos tanquam frumentum reportantes ſubmiſit. Quo errore illi, cuſtodibus deceptis, caſtellum intraverunt, admiſeruntque milites Antiochi.

128. Thebani, cum portum Sicyoniorum nulla vi redigere in poteſtatem ſuam poſſent, navem ingentem armatis compleverunt, expoſita ſuper merce, ut negotiatorum ſpecie fallerent, ab ea deinde parte murorum, quà longiſſime remota erat, apparere paucos diſpoſuerunt, quibus è nave quidam egreſſi inermes, ſimulata rixa occurrerunt. Sicyoniis ad dirimendum id jurgium advocatis, Thebanæ naves, & portum vacantem & urbem occupaverunt.

CAP. XXVIII.

De eliciendis ad proditionem.

129. SUmmi duces ex obſeſſis aliquem ad proditionem ſæpe ſolicitarunt.

130. Tarq. Superbus cum Gabios in deditionem accipere non poſſet, filium ſuum Sextum Tarquinium cæſum virgis ad hoſtem miſit, is incuſata patris ſævitia perſuaſit Gabinis, ut odio ſuo adverſus Regem ute-

rentur, & dux ad bellum electus tradidit Patri Gabios.

Cyrus Persarum Rex suum comitem Zopyrum, exploratâ ejus fide, truncata de industriâ facie ad hostes dimisit: ille assentante injuriarum fide, creditus inimicissimus Cyro, cum hanc persuasionem adjuvaret procurrendo propiùs, quoties acie decertaretur, & in eum tela dirigendo, commissam sibi Babyloniorum urbem tradidit Cyro.

131. Philippus oppido Samiorum exclusus, Apollonio Præfecto eorum ad proditionem corrupto persuasit, ut plaustrum lapide quadrato oneratum in ipso aditu portæ poneret: confestim deinde signo dato insecutus oppidanos, circa impedita portæ claustra oppressit trepidantes.

132. Hannibal apud Tarentum, quod à præsidio Romano, duce Livio tenebatur, Eoneum quendam Tarentinum, quem ad proditionem solicitaverat, ejusmodi fallacia instruxit, ut ille venandi specie noctu procederet, quasi id per hostem interdiu non liceret: egressos ipsi apros submini strabant, quos ille tanquam ex captura Livio offerret; idque cum sæpius factum esset, & ideo minus observaretur, quadam nocte Hannibal venatorum habitu Pœnos comitibus ejus immiscuit: qui cum onusti venatione quam ferebant, recepti essent à custodibus, protinus eos adorti occiderunt. Tunc fracta porta admissus cum exercitu Hannibal omnes Romanos interfecit, exceptis his qui in arcem profugerant.

133. Lysimachus Rex Macedonum cum Ephesios oppugnaret, & illi in auxilio haberent Mandronem Archipiratam, qui plerumque oneratas præda naves Ephesum appelleret, corrupto ei ad proditionem junxit fortissimos Macedonum, quos ille restrictis manibus pro captivis Ephesum introduceret, qui posteà, raptis ex arce armis, urbem Lysymacho tradiderunt.

CAP. XXIX.

Per quæ hostes ad inopiam redigantur.

134. FAb. Max. vastatis Campanorum agris, ne quid iis ad fiduciam obsidionis superesset, recessit sementis tempore, ut frumentum quod reliquum habebant in stationes conferrent: reversus deinde renato, protrivit, & ad famem redactus potitus est.

Antigonus adversus Athenienses idem fecit.

135. Dionysius multis urbibus captis, cum Rheginos aggredi vellet, qui copiis abundabant, simulavit pacem, petiitque ab iis ut commeatus exercitui ipsius submiſtrarent, quod cum impetrasset, exhausto oppidanorum frumento, aggressus urbem alimentis destitutam superavit.

Idem & adversus Himeræos fecit.

136. Alexander oppugnaturus Leucadiam commeatibus abundantem, priùs castella quæ in confinio erant cepit, omnesque ex his Leucadiam passus est confugere, ut alimenta inter multos celeriùs absumerentur.

137. Phalaris Agrigentinus, cum quædam loca munitione tuta in Sicilia oppugnaret, simulato fœdere, frumenta quæ residua se habere dicebat, apud eos deposuit: deinde data opera ut tectorum cameræ, in quibus id conferebatur, rescissæ pluviam reciperent, & fiducia conditi commeatûs proprio tritico abusos initio æstatis aggressus inopiâ compulit ad deditionem.

CAP.

Cap. XXX.

Quemadmodum persuadeatur obsidionem permansuram.

138. Clearchus Lacedæmonius exploratum habens Thraces omnia victui necessaria in montes comportasse, una quoque ope sustentari, quod crederent eum commeatûs inopiâ recessurum, per id tempus quo legatos eorum venturos opinabatur, aliquem ex captivis in conspectu jussit occidi, & membratim tanquam alimenti causâ in contubernia distribuit. Thraces nihil non facturum perseverantiæ causa eum credentes, qui tam detestabiles epulas sustinuisset experiri, in deditionem venerunt.

139. Tib. Gracchus, Lusitanis dicentibus in decem annos cibaria se habere, & ideo obsidionem non expaveſcere: undecimo, inquit, anno vos capiam. Qua voce perterriti Lusitani, quanquam instructi commeatibus, statim se tradiderunt.

A. Torquato Græcam urbem oppugnanti, cum diceretur juventutem ibi studiosè jaculis & sagittis exerceri: pluris eam, inquit, propediem vendam.

Cap. XXXI.

De destructione præsidiorum hostium.

140. Scipio, Hannibale in Africam reverso, cum plura oppida, quæ ratio illi in potestatem redigenda dictabat, firmis præsidiis diversè partitis obtinerentur, subinde aliquam manum submittebat ad infestanda ea, noviſſimè etiam tanquam direpturus civitates aderat, deinde simulato metu refugiebat. Hannibal ratus veram esse ejus trepidationem,

deductis undique præſidiis, tanquam de ſumma rerum dimicaturus inſequi cœpit: ita conſecutus Scipio quod petierat, nudatas propugnatoribus urbes per Maſiniſſam & Numidas cepit.

141. Pyrrhus Epirotarum Rex adverſus Illyricos, cum civitatem, quæ caput gentis erat, redigere in poteſtatem ſuam vellet, ejus deſperatione cæteras urbes petere cœpit: conſecutusque eſt, ut hoſtes fiduciâ velut ſatis munitæ urbis ejus, ad tutelam aliarum dilaberentur. Quo facto ipſe rurſus revocatis omnibus ſuis vacuam eam defenſoribus cepit.

142. Mago dux Carthaginenſium victo Cn. Piſone & in quadam turre circumſepto, ſuſpicatus ventura ei ſubſidia, perfugam miſit, qui perſuaderet appropinquantibus captum jam Piſonem. Qua ratione deterritis iis, reliqua victoriæ conſummavit.

143. Qui civitate aliqua potiri vult, ſeditionem inteſtinam inter obſeſſos moveat.

CAP. XXXII.

De Fluminum derivatione, & vitatione aquarum.

144. OBſeſſi derivatis aquis ad deditionem ſiti cogantur.

145. Alexander apud Babylonem, quæ media flumine Euphrate dividebatur, foſſam pariter & aggerem inſtituit, ut in uſum ejus exiſtimarent hoſtes egeri terram; atque ita ſubitò flumine averſo per alveum veterem, qui ſiccatus ingreſſum præbebat, urbem intravit. Semiramis idem fecit.

CAP. XXXIII.

De injiciendo obſeſſis pavore.

146. PHilippus, cum Trinaſſum caſtellum nulla vi capere poſſet, terram ante ipſos muros aggeſſit, ſimulavitque agi cuniculum: Caſtellani, quia ſubrutos ſe exiſtimarant, dediderunt.

147. Pelopidas Thebanus Magnetum duo oppida ſimul oppugnaturus, non ita longo ſpatio diſtantia, quo tempore ad alterum eorum exercitum admovebat, præcepit, ut ex compoſito ab aliis caſtris quatuor equites coronati, notabili alacritate velut victoriam nunciantes venirent: ad cujus ſimulationem curavit, ut ſylva quæ in medio erat, incenderetur, præbitura ſpeciem urbis ardentis: præterea quosdam captivorum habitu eodem juſſit perduci. Quâ aſſeveratione perterriti qui obſidebantur, dum in parte jam ſe ſuperatos exiſtimarent, defecerunt.

CAP. XXXIV.

De Irruptione ex diverſa parte quam expectatur.

148. IRruptio fiat qua minimè expectatur, & per minus frequentem urbis partem quamvis magis munitam.

149. Irruptionem ab una parte ſimules, à diverſâ autem facias.

150. C. Marius bello Jugurthino apud flumen Mulucham, cum oppugnaret caſtellum in monte ſaxeo ſitum, quod unâ & anguſta ſemitâ adibatur, cæterâ parte velut cum ſaltu præcipiti, nunciato ſibi per Ligurem quendam ex auxiliis gregalem militem, qui forte aquatum progreſſus, dum per ſaxa montis cochleas le-

aliquando captivi minis aut tormentis interrogati. Multa alia nimis incerta huc pertinentia refert præcipuè Machiavellus de Strategematis.

157. L. Lucullus Cizicenos obsessos à Mithridate, ut certiores adventûs sui faceret, cum præsidiis hostium teneretur introitus urbis, qui unus & angustus ponte modico insulam continenti jungit militem è suis sciolum nandi, & nauticæ artis peritum, jussit insidentem duobus inflatis utribus literas insutas habentibus, quos ab inferiore parte duabus regulis inter se distantibus commiserat, ire septem millium passuum trajectum. Quod ita perite gregalis fecit, ut cruribus velut gubernaculis dimissus cursum dirigeret, & procul visentes qui in statione erant marinæ specie belluæ deciperet.

CAP. XXXVIII.

De introducendis auxiliis & commeatibus suggerendis.

158. HAnnibale obsidente Casilinum, Romani farinam doliis secundâ aqua Vulturii fluminis dimittebant, ut ab obsessis exciperetur: quibus cum objecta per medium amnem catena Hannibal obstitisset, nuces sparsêre, quæ cum aqua ferente ad oppidum defluerent, eo commeatu sociorum necessitatem sustentaverunt.

159. Hircius, Mutinensibus obsessis, ab Antonio salem, quo maximè indigebant, cuppis conditum per amnem intromisit: idem pecora secundæ aqua demisit, quæ excepta sustentaverunt necessariorum inopiam.

CAP.

CAP. XXXIX.

Quâ ratione proditoribus & transfugis occurratur.

160. CL. Marcellus, cognito consilio Batteli Nolani, qui corrumpere ad defectionem populares studebat, & Hannibali gratificabatur, quod illius beneficio curatus inter Cannenses saucius, & ex captivitate remissus ad suos erat, quia interficere eum (ne supplicio ejus reliquos concitaret Nolanos) non audebat, accersitum ad se allocutus est; dicens so rtissimum eum militem esse, quod antè ignorasset: hortatusque est, ut secum moraretur: & super verborum honorem equo quoque donavit. Qua benignitate non illius tantum fidem, sed etiam popularium, qui ex illo pendebant, sibi obligavit.

161. Hamilcar dux Pœnorum, cum frequenter auxiliares Galli ad Romanos transirent, etiam ex consuetudine, ut socii exciperentur, sibi fidelissimos subornavit ad simulandam transitionem, qui Romanos excipiendorum eorum causa progressos occiderunt. Quæ solertia Hamilcari non tantum ad præsentem profuit successum, sed in posterum præstitit, ut Romanis veri quoque transfugæ forent suspecti.

162. Hanno Carthaginensium Imperator in Sicilia, cum comperisset Gallorum mercenariorum circiter quatuor millia conspirasse ad transfugiendum ad Romanos, quòd aliquot mensium mercedes non recepierant, animadvertere autem in eos non auderet, motus seditionis, promisit prolationis injuriam liberalitate pensaturum: quo nomine gratias agentibus Gallis, per tempus idoneum datis pollicitis, fidelissimum dispensatorem ad Otacilium Consulem misit, qui tanquam rationibus interversis transfugisset, nunciavit nocte proxima Gallorum quatuor millia

quæ prædatum forent missa, posse excipi. Otacilius nec statim credidit transfugæ, nec tamen rem spernendam ratus, dispositi in insidiis lectissimam manum suorum, ab eâ Galli excepti dupliciter Hannonis consilio satisfecerunt, & Romanos cecederunt, & ipsi omnes interfecti sunt.

163. Hannibal simili consilio se de transfugis ultus est: nam cum aliquos ex militibus suis sciret transfugisse proximâ nocte, nec ignoraret exploratores hostium in castris suis esse, palam pronunciavit, non debere transfugas vocari solertissimos milites, qui ipsius jussu exirent ad excipienda hostium consilia: auditis quæ pronunciavit, retulerunt exploratores ad suos; tum comprehensi à Romanis transfugæ, & amputatis manibus remissi sunt.

164. Diodorus cum præsidio Amphipolim tueretur, & duo millia Thracum suspecta haberet, quæ videbantur urbem direptura, mentitus est paucas hostium naves proximo littori applicuisse, easque diripi posse: qua spe simulatos Thracas emisit, ac deinde clausis portis non recepit.

CAP. XL.

De Eruptione.

165. Romani qui in præsidio Panormitanorum erant, veniente ad obsidionem Hasdrubale, raros ex industriâ in muris posuerunt defensores: quorum paucitate contemptâ cum incautus muris succederet Hasdrubal, eruptione factâ cecidérunt eum.

166. Æmilius Paulus, universis Liguribus improviso adortis, castra ejus, simulato timore militem diu continuit, deinde fatigato jam hoste, à quatuor portis eruptione factâ stravit cepitque Ligures.

167. Ve-

167. Velus Præfectus Romanorum arcem Tarentinorum tenens, misit ad Hasdrubalem legatos, ut abire sibi incolumi liceret: ea simulatione ad securitatem perductum hostem eruptione factâ cecidit.

168. Flavius Fimbria in Asiâ apud Hildinacum, adversum filium Mithridatis, brachiis à latere ductis, deinde fossâ in fronte percussâ, quietum in vallo militem tenuit, donec hostilis equitatas intraret angustias munimentorum, tunc eruptione factâ sex millia eorum cecidit.

169. Titurius Sabinus adversus Gallorum amplum exercitum, continendo militum juxta munimenta, præstitit iis suspicionem metuentis: cujus augendæ causâ perfugam misit qui affirmaret exercitum Romanum in desperatione esse, ac fugam meditari. Barbari oblatâ victoriæ spe concitati, lignis sarmentisque se oneraverunt, quibus fossas complerent; ingentique cursu castra Rom. in colle posita petiverunt: unde in eos Titurius universas emisit copias, multisque Gallorum cæsis, plurimos in deditionem accepit.

170. Numantini obsessi ne pro vallo quidem instruxerunt aciem, adeoque se continuerunt, ut Popilio Lænati fiducia fieret scalis oppidum aggrediendi: quo deinde suspicante insidias (quia ne tunc quidem obsistebatur) ac suos revocante, eruptione factâ aversos & descendentes adorti sunt.

Cap. XLI.

De constantia obsessorum.

171. Romani, assidente mœnibus Hannibale, ostentandæ fiduciæ gratiâ, supplementum exercitibus quos in Hispania habebant diversâ portâ miserunt.

172. Iidem agrum in quo castra Hannibal habebat,

defuncto forte domino, venalem ad id pretium licendo perduxerunt, quo is ager ante bellum venierat. Hi dum ab Hannibale obsiderentur, & ipsi obsiderent Capuam, decreverunt ne nisi capta ea revocaretur inde exercitus.

173. Lacedæmonius quidam nobilis, Philippo denunciante, multis se prohibiturum, nisi civitas sibi traderetur: num, inquit, & pro patria mori nos prohibebit?

174. Petilini à Pœnis obsessi parentes & liberos propter inopiam ejecerunt: ipsi coriis madefactis & igne siccatis, foliisque arborum, & omni genere animalium vitam trahentes, undecim menses obsidionem toleraverunt.

175. Casilini, obsidente Hannibale, tantam inopiam perpessi sunt, ut centum denariis murem veniisse proditum memoriæ sit, ejusque venditorem fame periisse, emptorem autem vixisse: fidem tamen servare Romanis perseveraverunt.

176. Cum Mithridates Cizicum oppugnaret, captivos ejus urbis produxit, ostenditque obsessis, arbitratus futurum, ut miseratione suorum compelleret ad deditionem oppidanos: at illi cohortati ad patiendum fortiter mortem captivos, servare Romanis fidem perseveraverunt.

178. Æginenses, cum à Viathotis liberi & conjuges cæderentur, præoptaverunt spectare supplicia pignorum suorum, quam à Romanis deficere.

179. Numantini ne se dederent, fame mori praefixis foribus domuum suarum maluerunt.

180. Hierosolymitani obsessi à Tito, præter plurima quæ meminisse pigeat mala, tantam famem perpessi sunt, ut mulier quædam suam prolem comederet, & militibus nidore assati cibi invitatis apponeret: teste *Josepho Ben Gorion*.

CO-

CORONIS
DE
SCOTORUM
STRATEGEMATIS.

SCOTORUM Regnum omnium totius terrarum orbis longè antiquissimum, divinis auspiciis cœptum, usque ab initio iniquis odiis, superbis & infestis plurimorum & maximorum hostium Brittonum, Pictorum, Saxonum, Hibernorum, Anglorum, Romanorum, Danorum, Gallorum & Insulanorum suorum, nunc singulorum, nunc copiis castrisque junctis pugnantium signis solicitatum, & multis sæpe cladibus acceptis extrema quæque expertum armis stetit, crevit, & rei militaris gloriâ floruit jam annos bis mille duos. Nec solo suo contentum spretis terræ marisque limitibus, Vestæ & Neptuni imperio neglecto, terra peragratâ, superato Oceano, bellum ubique, victoriam undique quærens illustrem armorum gloriam foris per Angliam, Hiberniam, Belgium, Germaniam, totum Septentrionem, Italiam, Galliam, Hispaniam, Libyam, Cretam, Rhodum, Syriam, Boruſſiam, latè circumtulit, sibi gloriam & honorem, sociis spem, opem, victoriam, salutem, commodum adferens, hostibus terrorem, damnum, ignominiam. Cujus rei fidem faciunt optimam maxima illa & latè celebrata Heroum nomina. David Scotorum Rex sine controversia omnium ætatis suæ præstantissimus, Henricum secundum Anglum Carleoli in equestrem ordinem adscivit,

& militari balteo cinxit, anno Christi 1139. ut præter scriptores Scotos meminit Gulielmus Neobrigensis. Robertus Bruffius, ipse Rex scilicet, militiam & honores exteros dedignatus, domi pulcherrimam diadematis gloriam pulchriùs etiam meruit, & cum recuperato regno decus sibi regium pepexit. Tremendus Vallas, cujus vel ipsum nomen auditum hostibus sæpe fugam, semper terrorem intulit, qui quot ictibus necci angulos, & quoquo incumberet humo universos ruinæ more dedit, partâ jam merito dignitate Prorigis, suis, ut insignia regia sumeret, quo majore fide cum Anglo de pacis conditionibus conveniret, negantibus, non honoris quam æqui studiosior vehementer obstitit, & tam iniquæ postulationi intercessit. Non multò post Scotia liberata, & rebus domi compositis in Galliam profectus, brevi meruit ut ibi Vasconum Dux appellaretur, & in virtutis & operæ strenuè navatæ præmium, quos ab Anglo reacuperaverat, illius regionis agris donaretur. Duglassius clarissima totius Europæ, post Reges & redimita capita, gente oriundus in Gallia etiam ob ingentem in bello virtutem, & operam fidelissimam Dux Turonensis factus est, addita perpetuâ Celerum seu Satellitii regii & præsidiariorum præfectura. Ex hac familia Jacobus fortissimus & fidissimus armorum Bruffianorum socius, cuidam in Hispania miranti faciem ejus tot præliis intactam modestè simul & magnificè respondit, Deum sibi manus dedisse quibus faciem in omni prælio defenderet. Ex eadem familia Archibaldus tertius adversus Anglum pugnans, contempta multitudine in unum Regem animum oculosque intentos tenebat; & cum plures palamento regio essent amicti, Duglassius in unum eorum armis conspicuum totis viribus invectus eum ex equo dejecit, iterum alterum, ac deinde tertium (ut præter scriptores Scotos affirmat etiam Eduardus

Hal-

Hallus Anglus) armorum ſplendore & paludamento deceptus, tandem quem quærebat Regem ipſum dejecit: neque tam ſuo periculo commotus, quam unde tot Reges veniſſent miratus.

Hamiltonius ob ſua in Galliam merita ibidem Caſtellerotius Dux creatus eſt: filius etiam ejus Jacobus Arraniæ Comes Scotis omnibus mercede militantibus in Gallia præficitur: duodecim præterea Francarum librarum millia annua ei promiſſa. Quid tam recenti & fere præſenti memoria recolam tot ſummos Duces, vulgò Generales, Ruvenum, Regium, Duglaſium, Leſlios, Daliellium imperatoriis inſignibus apud exteros, claros? Præter virtutibus pares, & ordinis loco proximos Leviſtonium Comitem Calanderium, & Africanos Scotos Andream Rutherfordium Teviotæ, & Ioannem Middeltoni Comites, Baronem Colvillium, Balliolum Dromundum, Hoburnum, Hendersonos, Hamios, Areskinum, Kilpatricium, Lumisdenum, Lochartum Monroos, Mongomerium, & illum omni virtutis laude, omnibusque bonorum ſuffragiis nemini ſecundum, pro Rege & Patria ſua toties periclitatum, tot paſſum, tanta auſum clariſſimum Equitem D. Arthurum Forbeſium Regiarum copiarum in Hibernia præſentem Præfectum, qui agmen cogat, vel ducat etiam ubivis terrarum digniſſimum, alioſque armorum, & bellicæ virtutis gloria illuſtres? Neu quis cæco furore, bruto impetu aut impotenti animorum ferocia Scotos in prælia actos putet, Archibaldum Duglaſſium Angoſiæ Comitem Jacobum quartum ante funeſtum ad Fluidonem prælium monentem audiat ſic: *In nobis genus victoriæ quod magis conſilio quam armis paratur, maximè hominis, maximè etiam Ducis eſt proprium: ut cujus nullam omnino partem ſibi miles vendicare poſſit.* Verùm Achilleis illorum viribus, & Hectoreis animis Ulyſſis conſilia non

des-

defuisse apertius monstrabunt solertiæ militaris exempla sequentia: ubi fere nullum à summis Græcorum, Romanorum, aut Barbarorum Ducibus tentatum Strategema paulo memorabilibus ab iis imitatum, repetitum, & in usum suum revocatum quisquam antiquitatis gnarus desideret.

1. Scoti in primo contra Brittones prælio cum Pictis belli sociis castra jungentes, communicato consilio bellum ducere statuunt, & in regione hostili incursione vasta hostem conficere. Coilus Brittonum Rex per speculatores causâ cunctationis intellecta quinque millia hominum in loca editiora, ut ibi in insidiis essent, præmittit: ipse reliquum exercitum rectà in hostem ducere decrevit. Id Scoti antevertendum rati, statuunt Brittonum castra de nocte aggredi. Igitur eductis copiis, Scoti à fronte, Picti à tergo invasuri, ad hostem ante lucem perveniunt. Ibi Brittones fiducia incautos, & qui ob superiorum dierum cunctationem hostes timere desierant adhuc semisomnes obtruncant. Cecidit cum majore parte suorum in eo tumultu Coilus ipse, regionemque in qua pugnavit de suo nomine celebrem fecit. In hoc uno exemplo quatuor præcepta militaria occurrunt observanda. 1. Multum conducit ad summam belli motus & consilia hostium scire. 2. Exploratorum opera omnino est necessaria. 3. Hostium spes fallendæ sunt, & consilia prævenienda. 4. Copiarum hostilium divisio est rei bene gerendæ occasio opportuna.

2. Reutherus Scotorum Rex optimum factu ratus est, ad Brittonem hostem incogitantem atque imparatum ducere, & inopinantem opprimere. Præceptum illud utilissimum diligenter servârunt Reges Scotorum & duces posteriores, qui sua sic consilia texerunt, ut hostes priùs geri quàm parari bellum sentirent.

3. Caduallus Gillum parricidam prælio profligatum, antequam copias majores colligeret, persequi, quocunque fugeret, decrevit. Id etiam utilissimum consilium ab aliis fuisse cum successu observatum plurima docent exempla.

4. Galdus, qui primus Regum Scotorum signa cum Romanis contulit, Julii Agricolæ Romani legionem unam (nam tripartitò in hostem ducebat) de nocte aggressus, cæsis vigilibus, paulùm abfuit quin castra caperet.

5. Scoti & Picti seditione laborantia Romanorum castra infestarunt, cumque, absente Agricolâ, nec parem ducem, nec eandem disciplinam apud Romanos sensissent, occasioni non defuerunt.

6. Ethodius Rex Insulanos pacis turbatores ita afflixit, ut (cum viribus minùs possent) quò loci commoditate tutiores essent, in vallem rupibus præruptis undique cinctam, in quam unus angustus ferebat aditus, se conjecerint. Ethodius loci vitio perspecto, custodiis ad idoneos exitus dispositis, fossam & vallum ante fauces objecit: atque ita ad extremam omnium rerum penuriam eos perduxit, ut malis coacti tandem sui arbitrium Regi permitterent.

7. Regnante Donaldo primo, qui Regum Scotorum primus Christianos ritus receperat, Scoti à Severo Imperatore gravissimè afflicti, neque ausi adversus tantam multitudinem aciem instruere, pecorum prædam aliis atque aliis locis objiciebant, ut eâ illecebrâ Romanos longiùs ab exercitu digressos conficerent: qui sic insidiis excepti, insolitisque imbribus afflicti, & itineribus fessi cum sequi non possent, à familiaribus, ne in hostium potestatem venirent, passim occidebantur.

8. Regnante Fergusio secundo rei Scoticæ restitutore, in bello contra Romanos & Brittones Severi vallum præsidiis firmantes, Scoti celeritate & labo-

rum

rum tolerantia superiores, multitudine tamen & opibus hosti impares decreverunt præliis abstinere, crebris incursionibus hostem vexare, summam rei nondum adultis viribus in discrimen unius certaminis non committere. Verùm ubi Romanos è Britannia abscessisse nunciatum est mutatâ sententiâ totis viribus in unum collectis, vallum militari tantum opera constructum, & segniter à Brittonibus custoditum diruunt. Inde liberiore jam populatione agrum ultra vallum, quem ob hominum inopiam tenere non poterant, ad multa millia Brittonibus inutilem reddiderunt. Princeps in munitione diruenda Græmus, qui milite navibus trans vallum exposito custodes incautos oppressit, ac suis aditum patefecit.

9. Maximianus Romanæ legionis Præfectus cum auxiliis Brittonum, in prælio cum Scotis & Pictis commisso cohortes aliquot circummisit, quæ pugnantium terga cæderent. Scotorum aliquot manipuli in medio deprehensi, cum orbem pugnando se defenderent, majore hostium parte in eos versa ipsi quidem universi occidione occisi: sed eorum calamitas cæteris ad dilabendum spatium dedit.

10. Eugenius secundus in prælio contra Brittones, cum post longam dimicationem Scotorum dextrum cornu inclinare inciperet, jam omnibus aliis subsidiis in pugnam promotis, cohortem ad impedimenta relictam in aciem duxit. Ab iis adhuc integris Brittones loco moti: atque initium victoriæ fuit ab ea parte, unde cladem & perniciem formidaverant. Illius aciei fortunam cæteri Brittones secuti terga verterunt.

11. Aidanus contra Northumbros & Pictos se Brittonibus conjunxit. Ambo exercitus, viribus in unum coactis, cum in valle angusta Annandiæ consedissent, hostes obsessis faucibus eorum exitio imminebant. At illi, communitis castris, ut mansitium speciem præberent, nocte recedente maris æstu

per

per nota inter instabiles arenas vada in Cumbriam, ac deinde Northumbriam duxerunt, fœda populatione quacunque ierant facta.

12. Regnante Solvathio Donaldus Banus Insulanus à Cullano Argatheliorum Præfecto in saltum; qui unum modo exitum habebat, compulsus, cum suis frustra erumpere tentantibus periit, nullo superstite relicto.

13. Kennethus secundus belli in Pictos cupidus cum paucos in conventu suæ sententiæ fautores inveniſſet, primores gentis ad cœnam vocat: & cum in multam noctem convivium fuisset extractum, in aula omnes pernoctant, quod eò facilius iis fuit, quòd Majorum instituto humi cubarent, in spatiosa domo ut quisque poterant compositi, substratis tantum frondibus aut herba. Ibi juvenem sibi propinquum Rex subornat, ut piscium exuviis (maxime generis asellorum) à siccatis vento piscibus detractis indutus, noctu ingressus voce per longum canalem emissa, ut longius ad aures perferretur, velut cœlitùs demissus eos ad bellum hortetur. Ad hanc vocem humana (ut tum ipsis visum est) augustiorem proceres subitò expergefacti, plerique etiam attoniti, cum fulgor argenteus è pellibus piscium in semisomnes oculos incurreret aciemque hebetaret, stupore vehementissimo capti sunt universi, cum & oculos species insolita, & animos occulta quædam religio percelleret. Illud etiam admirationem non modicè auxit, quod nuncius persona reliquoque ornatu detracto, cum se per exitum occultum momento temporis è conspectu subduxisset, evanuisse est visus. Mane cum rumor ad Regem permanasset, multique omnia (ut fit) in majus augerent; nec ipse dissimularet simile sibi speciem per quietem obversatam, omnium decreto bellum, tanquam Deo auctore, gerendum decernitur.

14. Hi-

14. Hiberni ad Bani fluminis ripam locis, ut videbatur, satis tutis bina castra communierant, eo consilio ut impetum Gregorii Scotorum Regis mora eluderent, & inopia commeatuum è solo peregrino & pervastato eum abigerent. Et Gregorius id ipsum agi suspicatus, partem exercitus noctu clam misit, quæ tumulum editiorem supra hostium caput occuparet. Ex eo tumulo postridie, cum incalesceret pugna, magnæ saxorum moles devolutæ multos in castris obtriverunt: reliquis tantum injecerunt pavoris, ut ordine nullo, quò quisque poterat, diffugerent.

15. Gregorius, fusis in suo solo Hibernis, agrum fine noxa transivit. Ea re effectum est ut major pars se Regis clementiæ permittere, quam vim experiri mallet.

16. Kennethus tertius Rex optimus furta, cædes, latrocinia coërcere, & veterem disciplinam revocare constituens, id experiundo difficilius opinione invenit, quod magna pars nobilitatis aut ipsa scelerum sibi conscia pœnas timeret, aut cum facinorosis illigata propinquitatibus esset: Cumque in jus vocati alii in alias regiones fugerent. Rex, re dissimulatâ, per otium rem cum iis quos fidos sibi rebatur, communicavit; optimum factu visum est ut proximo anno conventum totius nobilitatis haberet, tanquam de rebus ad universos pertinentibus acturus: ibi capita factionum sine tumultu posse capi: illos in custodiam abditos posse per amicos & clientes curare, ut facinorosi ad Regem adducantur. Id consilium placuit, & paucis creditum ac silentio usque ad conventum tectum successit.

17. In celebri contra Danos prælio ad Loncartem vicum commisso, Scoti in trepidam fugam soluti terga dederant. Colebat forte agrum propinquum, per quem fugiebant, homo plebeius cognomento Haius cum duobus unà filiis: qui cum corporis

porisanimique viribus magnis essent, nec minore in patriam charitate, pater jugo, filii, quod cuique in promptu fuit pro armis accepto, ubi densissimum fugientium agmen conspexerunt, obviam loco angusto profecti, primùm conviciis, deinde minis fugientes sistere conantur. His ubi nihil proficiunt, proximos feriunt: se quoque vociferantes adversus fugientes, Danos futuros. Ad hæc timidiores consistunt. Fortiores qui non tam metu, quam turba suorum abrepti terga verterant, ad eos se aggregant, clamantes auxilium adesse. Ita totum agmen in hostem convertunt: & Danos non minus trepida quam ipsi venerant fuga retrò ad suos compellunt. Ad hanc Danorum trepidationem Agasones, & imbellis agrestium turba, sublato clamore, speciem novi exercitûs præbuere. Ea res tantum animi Scotis, & formidinis Danis attulit, ut alteros de salute desperantes erexerit, alteris prosperata victoria certam calamitatem attulerit. Læta victoria parta est. Hajus in omnium ore erat. Multi homines honesti testificabantur se vidisse, quacunque ille cum liberis impressionem fecisset, ibi nostrorum ordines restitutos, & hostilem aciem velut ruina impulsam. Omnes denique uno ore prædam, victoriam, famam, salutem se iis debere fatebantur. Illi è plebe in ordinem nobilium relati, ante annos jam plus minùs septingentos.

18. Kennethus Milcolumbi frater contra Constantinum Calvum pro jure fratris armis contendens, cum inferior numero esset, rem consilio juvit, ita acie structa, ut solem & ventum à tergo haberet, latera quoad poterat flumine muniret (nam ad Almonis ostia pugnatum est) ea res præcipue ei victoriam dedit. Nam Constantiniani multitudine freti cum acriter in prælium ruissent, præter incommodum solis adversi, procella statim coorta tantum pulveris in ora oculosque ingessit, ut Constantini milites vix attol-

attollere vultus in hoſtem poſſent. In utroque exercitu ſtrages ingens facta: & duces ipſi congreſſi mutuis vulneribus alter alterum confecerunt.

19. Scoti, duce Milcolumbo ſecundo Rege, ad Murthilacum contra Danos pugnantes, loco moti, in antiquum, quod à tergo erat, præſidium pulſi erant. Ibi vallo, & foſſa, & arborum concædibus circumdati in anguſto loco æquata fronte hoſtibus reſtiterunt. Quosdam eorum velut parta victoria incautiùs invectos circumvenerunt, cæſo inter hos uno è Ducibus Eneco. Ea res ut Danos ad pugnam ſegniores fecit, ita Scotis pene profligatis alacritatem addidit. Igitur penè momento temporis Dani fugiunt, Scoti fugientibus inſtant, victoriâ potiuntur.

20. Milcolumbus contra Canutum ducens Suenonis Dani filium, nondum ex ſuperioribus præliis ſuorum viribus refectis, rem aleæ fortunæ committere non eſt auſus, optimum factu ratus hoſtem populatione prohibere, ac levibus certaminibus fatigare, ſperans fore ut brevi in alieno agro cladibus belli vaſtato, ac jam pene deſerto rerum omnium inopiâ laboraret. Id conſilium cum per aliquot dies fuiſſet ſecutus, evenit, ut hoſte cognito Scoti ſuis viribus minus diffiderent, atque uterque exercitus prope pari inopia premeretur. Igitur omnibus ſignum pugnæ ferociter flagitantibus, ac ni daretur, præ ſe ferentibus Imperatorum injuſſu pugnaturos, Milcolumbus ſuos in aciem educit. Commiſſa pugna, ira & deſperatione ultima certatum eſt. Victoria penes Scotos fuit.

21. Duncanus Rex à Norvegis Berthæ obſeſſus, ſubjiciente Banchone ut arte vires juvaret, hoc ſtratagemate uſus eſt. Simulatâ deditione, quam hoſtis ab ultima deſperatione profectam putavit, miſſi nuncii cum liberis mandatis, qui in ſcribendis conditionibus tempus tererent. Hi ut ampliorem beneficentiæ ſpeciem adjicerent, Regem affirmant, dum leges

ges pacis darentur earum rerum, quarum non magnam copiam intelligeret apud Norvegos esse affatim in castra missurum. Id verò munus non tam beneficentia Scotorum, & penuria Norvegorum fecit gratum, quàm quod existimarent fractis ferocibus animis jam debellatum esse. Missa magna vis panis, & vini tum è vite, tum ex ordeo confecti, ac succo infecti herbæ cujusdam veneficæ, cujus magna copia passim in Scotia nascitur: vulgò Solanum somniferum vocant. Hac herba cùm omnia infecta essent, qui commeatus in castra vehebant, ne qua doli subesset suspicio, prægustabant, Danosque magnis poculis invitabant ad bibendum. Idem quoque Sueno ipse benevolentiæ significandæ causa, ut illis nationibus mos est, faciebat. Duncanus qui futurum sciret, ut vis potionis unà cum somno visceribus conciperetur, jam Macbethum tum suis non longe Regis jussa expectantibus, per aversam ab hoste portam summo silentio in urbem receperat: compertoque per exploratores somno & vino graves jacere hostes, Banchonem itinerum aditusque in castra gnarum, cæteris in insidiis collocatis, cum parte majore exercitûs mittit. Is ingressus castra, sublato clamore magno, opinione sua omnia negligentiora invenit. Pauci tumultu excitati cum velut amentes temere discurrerent, ab obviis cæduntur: reliquis fere mors cum somno continuata est.

22. Milcolumbi tertii milites adversus Macbethum in arce Dunsinana inclusum contendentes, frondes virentes galeis omnes apposuerunt, triumphantiumque magis quam ad pugnam progredientium specie agmen incedebat. Eà perterritus hostium fiducia Macbethus confestim in fugam se dedit: milites ejus à duce deserti Milcolumbo se dediderunt.

23. Macduffus in rebelles à Rege Milcolumbo missus, cum ad Marriæ fines veniisset, Marrianis pecuniam,

niam, ne fines eorum ingrederetur, pollicentibus, multitudinem hostium veritus, rem simulatione transactionis conditionibus ferendis suspendit, donec Rex ipse majoribus cum copiis advenit.

24. In eadem expeditione ventum est ad Spæam, omnium Scotiæ fluminum rapidissimum. Rex ibi tantum hostium numerum, quantum ex illis regionibus cogi posse nunquam credidisset, in ulteriore ripa ad transitum prohibendum stare conspicatus, Signifero cunctante flumen ingredi, signum ei ablatum Alexandro Carroni Equiti notæ fortitudinis dedit: posterisque ejus is honos habitus, ut regium in bello vexillum ferrent: ipsi pro Carrone postea cognomen Scrimigero positum. Rex flumen ingreditur: hoc audaciæ miraculo hostes perculsi conditiones læti acceperunt. Id ipsum eventu etiam simili, ad eundem amnem aliquantò post, tentavit Alexander cognomento Acer adversus conjuratos fugientes, qui cum ad Spæam amnem constitissent, ac freti rapiditate fluminis transitu Regem prohibere conarentur, Rex à suis retentus, quod, æstu maris allabente, inpermeabilis videretur amnis, ipse primus calcaribus equo subditis, cæteris, ne Regem in tanto periculo desererent, sequentibus, ad hostem ire pergit. Verum (ut dixi) à suis retentus Alexandro Carroni Alexandri superioris filio partem exercitus dedit, qui subitò cum suis amnem ingressus audaciæ miraculo adeò conterruit hostes, ut passim in fugam statim se conjicerent. Multi inter fugiendum cæsi: Principes eorum vel tum capti, vel postea ad Regem adducti laqueo strangulati.

25. Anno Christi 1302. regnante Balliolo, & Valla florente, Angli ad Roslinum trifariam, ut latius popularentur, divisi castra posuerant. Joannes Cuminius & Joannes Fraserius, collectis ad octo millia hominum, ad hostem ducunt. Prima Anglorum castra

castra subito adventu Scotorum sunt oppressa, magna cæde facta: qui evaserunt, in proxima castra tumultum pertulere. Ibi ad arma trepide clamatum, & pro se quisque alius alium hortari ad opem suis ferendam. Sed cum ferum auxilium esse sensissent, ad vindictam se comparant. Atrox, ut inter feroces victoria & cupiditate ultionis incensos, fit conflictus: tandem fusis fugatisque Anglis, victoria quidem nec incruenta tamen cessit Scotis. Interea tertia acies, quæ longius tetenderat, adveniens trepidationem Scotis injecit: plerique enim vulnerati, ac major pars duplicis pugnæ laboribus fatigati videbant in certamine manifestum periculum, in fuga certum exitium sibi imminere. Tandem ducum jussu cæsis captivis, ne omnibus in hostem intentis à tergo insurgerent, ministros suos cæsorum spoliis armant, & majoris exercitûs speciem hostibus præbent. Prælio inito acriter utrinque certatur. Cum aliquamdiu anceps pugna fuisset, Scoti adhortationibus ducum, duplicisque victoriæ memoria revocata, viribus resumptis tanto impetu incurrunt in hostem, ut Angli turbatis ordinibus terga verterent. Pugnatum est 6. Cal. Mart. Fuit hæc victoria clarissima tribus exercitibus eodem die ab uno victis.

26. Clarissimus Vallas in toto armorum cursu hæc potissimum servabat. 1. Ipse semper ad prælium primus, ab eodem ultimus rediret. 2. Hostium ducem præcipue petebat. 3. Nullius unquam rei quam sanguinis suorum parcus, eorum semper saluti studiosissime consulebat. 4. Insidiosas fœminarum & dona ferentium illecebras summopere cavebat. 5. Fœminis, pueris & Sacerdotibus ubique parcebat. 6. Nunquam induci potuit ut Anglo cuiquam aut in prælio parceret, aut in otio crederet, quin pactis etiam & ratis induciis intentus in omnes illorum motus incumberet. Ictus scilicet sapuit. 7. Otii & desidiæ maxi-

maximè impatiens fuit. 8. Ipse nullum castrorum officium recusabat, quin sæpe speculandi & pabulandi munia, cæteris quiescentibus, solus obibat.

¶ 27. Vallas arcem ad lacum Mabanum sitam hac arte cepit. In acie vicina, quò evolaverant, cæso fere ad unum cum duce præsidio, à prælio Vallas è suis misit Thomam Halidæum, & Joannem Watsonum qui omnia circa arcem explorarent. Watsonus locorum gnarus, ut qui ante eum diem tranquille cum Anglis in urbe egerat, re dissimulata compositè ad arcem progressus Janitorem in porta obvium habet: roganti ecquid nuncii adferret, respondet è vestigio adesse Præfectum: repente portam aperiat. Is nihil suspicatus imprudens aperit: prehensum Watsonus statim interficit: Halidæus adveniens claves arripit. Ingressi præter fœminas duos tantum è servitio culinario viros inveniunt; his interfectis mulieres bono esse animo jubent; Cum jam omnia circùm tuta vidissent, cum clavibus ad portam prodeunt, Vallam advenientem læti in arcem accipiunt. Cæteris placide intus cœnantibus, Watsonus cum paucis excubias agentes complures à prælio vagos, rerumque ignaros sine strepitu in arcem acceptos jugulant. In arcibus Airthæ & Crafordia captis idem est factum.

28. Idem cæsis Anglis qui fœnum in Perthum vectitabant, & se suosque illorum vestibus induens, armis infra celatis, & plaustris in porta solutis, ut suis in insidiis expectantibus aditus esset, urbem cepit. Cætera ejus strategemata persequi longum foret.

29. Robertus Brussius Rex, ut perduellionis scilicet reus ab Eduardo Anglo in jus vocatus, sic ejus furorem evasit. Trium equorum soleas inversas, ac præposteras equis affigere jubet, ne vestigia velut abeuntium per nivem fugam proderent. Ipse eadem nocte duobus comitibus assumptis iter ingreditur, ac multùm hominibus equisque fatigatis, septimo demum

die

die ad arcem ſuam, quæ ſita eſt ad lacum Mabanum, venit.

30. Idem omnes ubique arces, ut quamque capiebat, diruit: partim ne ſuas copias dividendo infirmiores redderet: partim ne hoſtes ullum receptum tutum illic haberent. Idem anteà, Vallas & Duglaſſius factitabant.

31. Idem, ut contemptum ſui demeret, Anglis longe potentioribus, & amicorum animos erigeret, ſemper hoſtium copiis inhærens, nunc hac, nunc illac carpere & infirmiora præſidia aggredi, nec ipſe unquam ullo in loco conſiſtere diutius, aut hoſti ſe opportunum præbere.

32. Idem Anglis cum numeroſo exercitu ingruentibus, curavit ut commeatus quà iturus erat exercitus inde in loca devia transferrentur. Id etiam ab aliis aliàs ſæpiſſime factitatum.

33. Jacobus Duglaſſius, Veris initio Bacchanalibus ad Jejunii Quadragenarii principium celebrari ſolitis, cuſtodibus ad ludum laſciviamque intentis, Rosburgum cepit. Simili etiam ſtrategemate antè, arcem ſuam Duglaſſiam ceperat, cæſis præſidiariis Ramalia in æde S. Brigidæ celebrantibus.

34. In celebri ad Bannocum amnem prælio ſtrategemata hæc tentata ſunt. 1. Foſſæ prælatæ ductæ; in quibus pali acuti ita infixi ut ſupernè integumentum è levi ceſpite fraudem celaret, qui irruentem hoſtem exciperent, & quaſi ſepelirent. 2. Muricis item ferrei, ubi commodum videbatur, ſparſi. 3. Exploratores juſſi hoſtium vires [illegible]pparatum celare. 4. Thomas Randolfus cum quingentis equitibus miſſus contra multò plures Anglorum, ſuos in orbem diſpoſuit circulari acie, ut ſic circumfuſis hoſtibus undiquaque adverſi prætentis haſtis faciliùs ſe tuerentur. 5. Turba etiam caſtrenſis calonibus in jumenta impoſitis, linteiſque ſignorum inſtar explica-

tis, cum in colle unde conſpici poſſent conſtitiſſent, ſpeciem novi exercitûs adventantis præbuerunt. Angli qui proximi ſtabant duplici metu attoniti fugam capeſſunt, ac ſuo pavore reliquam aciem turbant. 6. Ne collectis viribus hoſtes prælium renovarent, Bruſius ſuos ſub ſignis continuit: unde Regi Anglo fuga data. Quinquaginta Anglorum millia cæſa Plurimi capti: inter quos Monachus Carmelita ad bellum adductus, ut Anglorum victoriam verſibus illuſtraret. Captus autem eorum cladem libertatis pretium decantare eſt coactus, carmine plane rudi & barbaro, ſed quod illorum temporum auribus non diſpliceret. Id ex Joannis Fordeni Scotochronico manuſcripto in Bibliotheca Edinburgena, ſumma fide tranſlatum ſubjicimus, plurimis vehementer cupientibus viſu gratiſſimum.

Metrum de prælio apud Bannockburn.

DE planctu cudo metrum cum carmine nudo,
Riſum retrudo, dum tali themate ludo.
Rector cœleſtis adhibens ſolamina mœſtis
Verax eſt teſtis, qui proſpera ferre poteſtis
Quos vincit reſtis proſindone ſordida veſtis
Ploro ſub his geſtis, punit quos torrida peſtis
Bella parata fleo lamentans ſub Canapeo
Sub quo Rege reo neſcio teſte Deo.
Eſt regnum duplex & utrumque capit dominari,
Sed neutrum ſuppe[illegible]vult à reliquo ſuperari.
Dum ſe ſic jactant[illegible]m Baccho nocte jocando,
Scotia te mactant verbis vanis reprobando.
Dormitant, ſtertunt quos irrita ſomnia mutant,
Fortes ſe putant, patriæ confinia vertunt.
Explicat exercitus ſplendentia ſigna per arva:
Tam ſunt diſperſi, nimis eſt virtus ſua parva.
Fuliant ad bella proclamant dira novella:

Fellea ſunt mella tanta durante procellâ.
Nunc armatorum diſponunt geſta virorum,
Ne gens Anglorum vires enervet eorum.
Tu fer vexillum quo Scoti triſtificentur:
Agmina poſt illum belli pro more ſequentur.
Arci tenens arcus tendas nec ſis modo parcus.
Illac transmittas hoſtes perimendo ſagittas,
Iſtac tu tela vibres quaſi fulgor anbela:
Non te pro tela mortem feriendo revela:
Obviet hic illis cum fundis atque lapillis,
Fandens veſana faciendo concava plana:
Et loca tu ſiſte tendantur ut arte baliſtæ,
Examen triſte populus denunciet iſte.
Haſtæ tolluntur patriæ ſatrapes rapiuntur:
Sic diſponuntur quod multi multa loquuntur.
Format & informat Rex Scotiæ prælia dira,
Sunt equites, pedites, ô quam congreſſio mira.
Clamat, Rex animat Scotorum nobiliores,
Citat & invitat ad bella viros potiores:
Cernit diſcernit acies pro marte paratas,
Tales mortales gentes cenſet ſuperatas:
Fatur ſolatur turbas populi venientis,
Riſit, deriſit Anglorum fœdera gentis
Fortis dux mortis digitos ad bella docebat,
Cernis procernis nulli deferre jubebat.
Lætus ſit cœtus ſcitis rumoribus iſtis,
Stabit pugnabit ſic fiet Anglia triſtis.
Rex ſortes unit & cunctis dat ſua jura,
Quos armis munit prædicens bella futura.
Imbre ſagittali minuatur ab inguine ſanguis,
Turbine lethali ſtimulet faculatpr ut anguis:
Haſta teres fodiat proceres ſpargendo cruorem
Miſſilibus cum pernicibus renovando doloremi
Timba ſecuri pectora cruri ſcindere curet,
Tela vibrabit, ſic ſuperabit ſi bene duret
Mucro pius nil poſſe latet pro Marte valere,

Sors petitur quibus omen erit ſupplenda replere.
Machina plena malis pedibus formatur equinis,
Concava cum paluſ ne pergant abs que ruinis:
Plebs foveas fodit ut per eas labantur equeſtres,
Et pereant ſi quos videant tranſire pedeſtres.
Advena turba vocatur Scotica gens muniatur,
Prima falanx ſociatur regia vis comitatur.
Scandere nullus eorum terga valebit equorum
Fient ſic aliorum plures domini dominorum.
Exploratores mittunt hinc inde petentes,
Multos rumores ſunt inter ſe referentes,
Dira dies Solis pandit primordia motus,
Angligenæ prolis hinc exit ab ore ſuo lis.
Arida terga gerit Stervelum prælia prima,
Splendida turba ferit ſed tandem tendit ad ima.
Eſt dolor immenſus augente dolore dolorem,
Eſt furor accenſus ſtimulante furore furorem,
Eſt clamor creſcens ferviente priore priorem,
Eſt valor areſcens fruſtrante valore valorem,
Eſt calor ardeſcens urente calore calorem,
Eſt gens gemeſcens reprobante minore minorem,
Eſt ſtupor auditus geminante ſtupore ſtuporem,
Eſt populus tritus perdente tenore tenorem,
Surgit rugitus fundente cruore cruorem.
Nunc timor eſt ſeſſus metuente timore timorem,
Arcta dies Lunæ peſtem renovat nocituram
Quam vi fortunæ facit Anglis Scotia duram.
Anglicolæ qui cælicolæ ſplendore niteſcunt
Magnanimi tanquam minimi ſub nube quieſcunt.
Expectat, ſpectat gens Anglica quos nece plectat
Admotos Scotos ab iis non longe remotos.
Plebs plangit, clangit ſed quam congreſſio tangit
Nunc plangit, frangit vires quas ictibus angit.
Magnifici modi Scotorum ſunt inimici.
Munifici medici potuit victoria dici,
Inſultus ſtultus prætenditur ordine cultus.

Sin-

Singultus multus erumpit ab aggere vultus.
Deſcendens, frendens pedibus gens Scotia tendens,
Deſendens, vendens ſua pectdit dira rependens.
Hic rapit, hic capit, hic terit, hic ferit, ecce dolores
Vox tonat, æs ſonat, hic ruit; hic luit arcta moderes,
Hic ſecat, hic necat, hic docet, hic nocet, iſte fugatur,
Hic latet, hic patet, hic premit, hic gemit, hic ſuperatur,
Hic fremit, hic tremit, hic pavet, hic cavet, iſte ligatur,
Hic legit, hic tegit, hic metit, hic petit, hic ſpoliatur
Creſcit inedia corpora prædia diripiuntur,
Heu mulieres miles & hæres inficiuntur.
Clare comes, venerande ſomes, Glovernie cultor,
Heu morerit, ſub ſtrage perit, ſic ſit Deus ultor.
Trux Cliffordenſis mucrone retundis enſis,
Hibus immenſis ruit hoſtibus undique denſis.
Miles Marſcallus Willelmus in agmine fortis
Scotorum callus tum pandit vulnera mortis.
Audax Edmunde Maley probitate virilis
Tegens hoſtilis ſuperat feritatis abunde.
Belliger inſignis Tipcoyt quam fervidus ignis,
Enſibus & linguis cadis inſtat mors tua ſignis.
Nobilis Argentem pugil inclyta dulcis Ægidi,
Vix ſcirem mentem cum te ſuccumbere vidi.
Quid fruar ambage de tanta quid cano ſtrage?
Vix poterit Tragedia pandere ſchismata plagæ.
Nomina bellantum mea mens neſcit numerare.
Quot quæ vel quantum mors novit ibi violare.
Multi mactantur multi jaculis terebrantur,
Multi merguntur, multi una capiuntur.
Broys ſtringuntur & munera multa petuntur:
Jam ſunt ditati per eos & magnificati,
Qui primo ſtrati fuerunt velut apporeati.
Per gyrum finis loca ſunt vallata rapinis,
Verba repleta minis replicantur & auctaruinis.
Neſcio quid dicam quam non ſevi meto ſpicam
Linquo dolitricam pacem colo jurii amicam

Qui curat plura ſcribendi ſit ſua cura,
Eſt mea mens dura rudis & vox ima latura.

Sum Carmilita Baſton cognomine dictus,
Qui doleo vita in tali ſtrage relictus:
Si quid deliqui, ſi quæ recitanda reliqui,
Hæc addant hi qui non ſunt ſermones iniqui.

35. Bruſſius adverſus ingentem potentiſſimi Regis Angli apparatum periculoſum ratus omnium fortunarum ſemel diſcrimen ſubire, conſilio magis quam manu rem decrevit tractare: pecora igitur in montes exercitui difficili aditu agi juſſit: reliqua quæ hoſti uſui eſſe poſſent, aut in loca munita conferri, aut corrumpi. Quod & ipſe aliàs, & alii ſepiſſime factitarunt.

36. Thomas Randolfus & Jacobus Duglaſius ad torrentem Varum, Anglis jubentibus in æquam planitiem deſcenderent, & vera virtute certarent, reſpondent ſe non hoſtis arbitrio ſed ſuo pugnaturos.

37. Ibidem poſtquam aliquot dies conſederant, animadverſum eſt nocturnas vigilias negligentiùs ab Anglis haberi. Duglaſius ne occaſioni deeſſet, aliquid audendum ratus, cum ducentis equitibus ſelectis transmiſſo flumine, caſtra hoſtium, quà maximè neglectam cuſtodiam intellexerat, ingreſſus; ad tentorium pene Regis penetravit: ac duobus ibi funiculis inciſis orto tumultu, trecentis fere Anglis in reditu peremptis, ſuos incolumes reduxit. Nunciato per Scotum captivum, edictum in Scotorum caſtris fuiſſe, ut de tertia vigilia omnes, quò Duglaſius duceret, ſequerentur: is nuncius tantam trepidationem Anglis injecit, ut tribus aciebus modico intervallo ſeparatis totam eam noctem in armis egerint, equosque inſtratos & in eventum paratos miniſtri in tentoriis haberent, ſtationesque firmiores ad omnia vada

ſu-

fluminis ponerent. Tandem sub lucem duo Tubicines Scoti ad Regem perducti exponunt, se nunciare jussos Scotos domum reverti: si Angli damna recepta velint ulcisci, sequi jubent.

38. Anglo Bervicum obsidente, Scoti Archibaldo Duglasio exercitum decernunt, quem in Angliam duceret, ac regiones proximas populando Regem Anglorum ab obsidione abduceret. Quod aliàs etiam sæpe factitatum.

39. In illa obsidione rarissimum execrandæ in Anglis immanitatis & perfidiæ, nec minus mirandæ in Scotis constantiæ exemplum extat memorabile. Scoti laboribus, vigiliis, & omnium rerum penuria confecti cum Anglo pacti, ni ante certum diem auxilia à suis missa obsidionem solverent, urbem Anglo se dedituros. Datus in id obses Thomas filiorum Alexandri Seronii urbis Præfecti natu maximus. Anglus etsi dies nondum advenisset, quo die convenerat ut oppidum dederetur, tamen cum Scotorum copias vicinas videret, Fœcialem misit ad Præfectum præsidii, qui denunciaret, nisi oppidum statim dederet, se animadversurum in Thomam ejus filium, frustra Præfecto contendente diem deditionis nondum venisse, ac fidem datam arrestante. Ibi cum caritas, misericordia, metus, & officium erga patriam varie animum paternum versarent, propriorem terrorem Anglus admovendum ratus, crucem in loco, ad quem prospectus ex oppido patebat, erigi jubet, & duos Præfecti filios alterum obsidem, alterum bello captum eò ad supplicium perducit. Ad hoc tam miserabile spectaculum cum patris animus fluctuaret, uxor ejus ex nobili Sinclarorum Hermistoni familiâ oriunda, eademque juvenum mater virilis fortitudinis mulier varia oratione eum confirmavit. Et cum oratione sua viri animum paulò tranquilliorem sensisset, ne supplicii fœditatem oculi perferre

non poſſent, eum in diverſam partem, unde conſpici nequibat, avertit.

40. Joannes Sterlinus Eques præpotens, cum aliis à Balliolo relicti ad lacûs Levini arcem oppugnandam, ædificato ex adverſo præſidio, quà breviſſimus eſt trajectus, omnibusque fruſtra tentatis, eam exitu amnis clauſo aquis ſubmergere tentant: exit enim amnis Levinus è lacu anguſtis faucibus patefacta rupe. Hunc locum congeſto è ſaxis & ceſpitibus aggere obſtruere conantur. Obſidione ducta in menſem Julium, in quem incidit dies D. Margaritæ quondam Reginæ Scotorum feſtus: Sterlinus cum majore parte ſuorum, alii ad mercatum, alii religionis ergò Fermelinodunum proficiſcuntur, caſtris cum non magno præſidio ad aggerem relictis, nempe de hoſte ſecuri, cum neminem adverſæ factionis, præter paucos in arce incluſos, eſſe in propinquis regionibus ſcirent. Obſeſſi verò de abſentia Sterlini & ſolitudine caſtrorum certiores, apparatu ad aggerem perforandum antea excogitato primo veſpere in naviculas impoſito, ſopitis vigilibus, pluribus ſimul locis eum perforant. Aqua vero tenues aliquot nacta exitus brevi latiores ſibi ipſa patefecit meatus, ac tanta vi tandem erupit, ut quicquid erat obvium devolvens plana omnia circùm inundaret, ac tentoria, caſasque & plerosque homines ſemiſomnes, ac jumenta magno ſecum fragore in mare deferret. Qui è naviculis erant egreſſi, & cum ingenti clamore in attonitos irruentes, huic tumultui tam inopinato alium adjecerunt: tantusque pavor cepit univerſos, ut nullius, niſi ſalutis memores rebus ſuis hoſti relictis, quà quiſque poterat in fugam ſe conjecerint. Arcis Præfectus per otium non ſpolia modo, ſed commeatus ad longam obſidionem paratos è caſtris in arcem comportavit. Altera etiam eruptione cum præſidiariis, qui Kinroſſæ erant, æque feliciter ge-

certatum. Præsidium captum ac dirutum, obsidio soluta.

41. Robertus Brussius in Carieta sua militans in angustis ripæ declivis faucibus positus, quà vadum amnis exibat, ubi singuli tantum pugnare possent, Anglos plus ducentos solus excipiens transitu prohibuit, repulit, & cæsis in ascensu quindecim, cæteros in turpissimam fugam vertit. Nisi Tydeum jactent, quem huic similem aut secundum vetustissima rerum monumenta celebrant?

42. Andrea Moravio Bothuelio Prorege rem Scoticam regente, Angli arcem Cupri munitissimam vacuam ob commeatus inopiam reliquerunt. Præsidiarios nauta Scotus ab iis malè mulctatus dum in Lothianam nocte transportat, in cumulum arenæ, maris æstu recedente, nudatum exposuit. Illi cum in continenti se esse putarent, paulum progressi, atque iterum mari reperto, frustra nautam inclamantes ad unum periêre.

43. Anno 1337. Angli arcem Dumbari obsederunt. Mari ab Anglis intercluso commeatuum penuria pene obsessos afflixit: ac procul dubio dedita fuisset arx, nisi Alexander Ramisæus audaci inceptо in tempore subvenisset. Is nocte intempesta ad arcem, deceptis qui in triremibus Genuensium maritimum latus observabant, navem ad arcem applicuit: & quadraginta selectos viros, commeatusque magnam vim exposuit. Deinde præsidii parte ad suos adjuncta, silentio noctis cum ingenti tumultu in vigiles Anglorum irruit: ac magna cæde hominum nihil minus quam eruptionem à prope victis timentium facta, proximâ nocte æquè occultè atque venerat discessit: sexto demum mense obsidio soluta est.

44. Eodem tempore obsidio Perthi jam in quartum mensem protracta diutiùs videbatur duratura, nisi Rossiæ Comes per cuniculos aquam è fossa derivasset, atque

atque ad murum usque cum ſuis penetraſſet: cum demum dejectis propugnatoribus telorum vi, potiſſimum è machinis emiſſorum, deditio facta eſt.

45. Brevi pòſt, arx Edinburgi non vi expugnata, ſed arte capta eſt. Valterus Currius Mercator, qui cum forte navem commeatibus onuſtam in æſtuario Tai ad Taodunum habebat, accerſitus à Gulielmo Duglaſſio in Fortham venit. Ibi communicato cum Bulloco Anglorum Præfecto conſilio, Currius Anglum ſe ſimulat, ac duos vini optimi utres, aliaque nonnulla munuſcula ad Præfectum arcis attulit: oravitque ut ibi reliquos commeatus diſtrahere ſine periculo per eum liceret: ſi qua re ei, præſidiove opus eſſet, commonerent, ſe libenter iis quoad poſſet gratificaturum. Præfectus ei ut aliquot dolia vini, certumque numerum panis nautici afferret, imperat: aditum ei cum vellet pollicetur. Ille, quod bene vertat, metu Scotorum, qui ſæpe incurſiones in loca vicina facerent, ſummo mane ſe adventurum oſtendit. Ea nocte Duglaſſius, duodecimque comites homines lectiſſimi, nautico veſtitu ſuper arma injecto, commeatum ad arcem portant. Suos quam proxime poſſent in inſidiis collocatos ſignum expectare jubent. Progreſſi paulùm Duglaſſius & Simon Fraſerius cæteros modico intervallo ſequi jubent. Intromiſſi à janitore intra munitionem è trabibus ante portam arcis ſtructam cum animadverriſſent claves oſtiorum è brachio janitoris ſuſpenſas, ipſum jugulant: & ſine ſtrepitu portam arcis aperiunt. Deinde ſuis, uti convenerat, cornu inflato ſignum dant: eodem ſono & qui erant in inſidiis, & cuſtodes arcis admonentur, alteri ab amicis, alteri ab inimicis arcem teneri: utrisque properantibus, Scoti onera in ipſo portæ aditu dejiciunt, ne ante ſuorum, qui per difficilem clivum lentius vadebant, adventum valvæ objici, ac ipſi occludi poſſent. Acri conflictu edito, ac cæde utrin-

utrinque patrata, tandem præfidiarii cefſerunt, cæteris præter Præfectum ac ſex comites occiſis. Simili etiam ſtrategemate, nomine & auſpiciis Roberti Bruſii captæ arces Duglaſia, à Jacobo ejus Domino, & Limnuchi à Gulielmo Binnio vicino agricola, Sanchari à Thoma Dickſono Vallæ cliente.

46. Eodem anno quo capta, ut diximus, Edinburgi arx, Alexander Ramiſæus maximus illius ætatis inter Scotos armorum & rei militaris magiſter, expeditione in Angliam facta, Northumbriam late populatus eſt. Eum revertentem Angli ex omnibus agris & caſtellis, longe majoribus copiis conſequuntur. Eorum congreſſum cum Alexander vitare non poſſet, & ſuorum animos ob multitudinem hoſtium nonnihil debilitatos ſentiret, præmiſſa præda pedites in inſidiis locat. Equites latè effuſos ſimulare fugam jubet: deinde ubi locum inſidiarum præteriſſent, ad ſignum buccinæ rurſus in unum coire. Eam equitum fugam Angli veram rati æque effuſi & ipſi ſequuntur, ad quos Scoti ſigno revocati, cum ſe momento temporis obvertiſſent, peditesque undique ex inſidiis proſiliiſſent, verſus eſt in Anglos ex re inopinata terror, ac non paulò concitatiore curſu, quam antea fecuti erant, fugerunt. Multi occiſi: complures capti, præda incolumis domum abducta.

47. Rosburgum ſemel à Duglaſio, iterum à Ramiſæo, ſopitis vigilibus, de nocte ſcalis admotis captum. Edinburgi arx ſimiliter à Thoma Randolfo capta, ſæviſſima rupe per areanum tramitem anguſtum ſuperata, cæſis præſidiariis. Britannoduni etiam arx Levinii Proregis imperio & auſpiciis, duce Thoma Crafordio, partim ſcalis admotis, partim manibus pedibusque nitendo per prærupta nocte tanto cum periculo ſuperata fuit, ut milites etiam faterentur, ſe, ſi periculum prævidiſſent, nullis conduci præmiis potuiſſe, ut illac ire tentarent.

48. Gordonius Angliam ingressus in reditu Joannis Lilburni Angli copiis multò majoribus cæsis ipsum captivum duxerat. Henricus Percius Comes Northumbriæ tras suorum clades indignissime ferens, coactis amplius septem millibus hominum, ad vicum Dunsum Joanne Scoto, qui Subtilis cognominatur, insignem castra posuit. Ibi rustici, & pastores nullis aliis armis freti quam crepitaculis, quibus cervos, & pecora, quæ illic passim sine custodibus vagantur, abterrent, nocte colles Lamyreorum montium vicoproximos insederunt. His crepitaculis ingenti strepitu in imminentibus Dunso collibus edito, equi Anglorum perterriti vincula rumpunt, ac passim per agros palantes in prædam agricolis cedunt. In exercitu toto tumultuatum, & ad arma clamatum est: & cum hostes adesse crederent, illam noctem insomnem duxerunt. Mane intellecto ludibrio, multis jumentis una cum equis amissis, sex millia passuum (tantùm enim is vicus ab Anglia abest) relictis impedimentis, pedibus prope fugientium modo transierunt. Nec mirum pastorum crepitaculis victos eos, qui territorum cervorum occursu ad arma clamarunt: quod Angli aliquot antè annis fecerunt, cum Thomas Randolfus & Jacobus Duglassius Northumbriam ingressi eos consilii inopes, & omnium rerum egenos per invia traherent, & dolo militari ductos defatigarent, atque labore, vigiliis, & inediâ confectos, ad incitas redigerent.

49. Anno 1384. Graftocus Anglus Rosburgi arcis præfectus, cum non modo commeatus amplos, sed omnem domesticam supellectilem illò mitteret, ratus nec alibi eam commodiùs ad suos usus, neque tutiùs ab hoste servari posse. Dumbarius Marciæ Comes, cùm & iter, & diem per exploratores resciisset, insidiis commode locatis, longum agmen & confusum ex militibus, plaustrariis, & vulgo promiscuo inva-

invadit, ac sine pugna magna præda cum ipso Domino potitus statim se recepit.

50. Jacobus Douglassiæ Comes singulari ad Novum Castrum certamine, feroci Percio dejecto, hastam ejus tam pulchræ victoriæ trophæum in Scotiam ferebat. Triduo post Otterburnum cum Anglis duplo pluribus congressus, & jam tribus lethalibus plagis saucius propinquis suis inquit, illa à vobis postrema peto: Primum, ut mortem meam & nostros, & hostes celetis: deinde ne vexillum meum dejectum finatis: demum ut meam eædem ulciscamini. Continuò illi Duglassi nomen (ut mos erat) quantum possunt inclamantes, magna alacritate in hostem invecti, eum ultra locum pugnæ longe propellunt, Percium utrumque capiunt: cæteri sine ordine se in fugam conjiciunt.

51. Postridie illius prælii, Episcopus Dunelmensis cum recentibus copiis adveniens pugnam renovat. Ejus adventu per exploratores comperto, Joannes Dumbarius Moraviæ Comes, quem omnes, mortuo Duglassio, unum intuebantur, convocatis illustrioribus, de captivis consultat, quos semel in fidem receptos trucidare crudele videbatur, & servare turbam hostium propè suis æqualem, periculosum. Consensum est, ut jurati, dum confligeretur, nihil moturos, & etiamsi à suis vindicati forent, captivos tamen permansuros, in castris cum levi custodia relinquerentur, quæ præsentem pœnam, si quid quis attentaret, de omnibus expeteret. His ita dispositis, è superiore victoria pleni animorum in aciem prodeunt, muniti retro paludibus, dextra levaque concædibus: illud etiam imperatum, ut simul ac hostis appropinquaret, singuli buccina, quam è cornu bubulo suspensam à collo gerebant, quam possent maximum clangorem ederent: qui sonus cum per se terribilis esset, etiam repercussu collium multiplicatus longe

majoris multitudinis ſpeciem reddebat. Angli qui magno grádu venerant inter ſtragem ſuorum pugnatum, & horribili illo ſono, & alacritate hoſtium in acie ex adverſo ſtantium attoniti, cum neque dux militi ſubitario, neque miles duci imperito ſatis fideret, ſtatim retro, unde venerant, ſigna convertunt.

Commodum viſum eſt hic referre illius temporis leges & ritus fidei à finitimarum gentium captivis datæ & acceptæ vulgo *A parol:* Captivus dimittebatur juratus intra certum diem ſe rediturum. Si quis ad diem dictum non rediret, hæc pœna erat. In congreſſibus, qui ob res repetundas fieri ſolebant, qui deceptum ſe querebatur, manûs effigiem aut chirothecam in haſta oblonga omnibus conſpicuam circumferebat. Ea ſumma apud ipſos infamia habebatur: adeo ut, qui fidem violavere, amicis, propinquisque fierent deteſtabiles: nec quis paulo honeſtior eos convictu, ſermone, aut domo ſua dignaretur.

52. Regnante Roberto tertio, duæ potiſſimum latronum familiæ inſignes inimicitias inſigni crudelitate exercebant, Thomas Dumbarius Moraviæ, & Jacobus Lindeſius Craſordiæ Comites ad eos pacificandos à Rege miſſi, cum animadverteſſent gentem ferocem neque voluptatis modo ſed etiam mortis contemptricem non poſſe domari ſine magna bonorum virorum ex adverſo cæde, rem aſtu tractare incipiunt. Conditio proponitur, ut ex utrisque triceni enſibus modo armati coram Rege decertent. Victis impunitatem præteritorum fore: victoribus decus, auctoritatem, Regis etiam & Procerum gratiam. Conditio placuit: dies certamini dictus: quo die cum Principes familiarum cum ſuis in aulam conveniſſent, campi ad ſeptentrionale urbis Perthi latus pars foſſis prælatis à reliquo ſecluſa iis ad congreſſum aſſignatur, ſtructis cum ſpectaculis. Cum multitudo ingens hominum ibi conſediſſet, mora pugnæ paulu-

Jum

lum facta est, quod ex alteris tricenis unus metu latuisset, nec pauciores adversus plures decertare vellent: nec reperiretur qui in absentis locum succederet: nec ex adversa factione quisquam eximi se numero pugnatorum pateretur, ne velut à propinquis contemptus ac rejectus videretur. Tandem Sellularius opifex prodiit, ac se in absentis locum successurum esse professus, si aurei scutati gallici dimidium representaretur sibi victori ac in posterum donec viveret, de victu caveretur. Ita rursus æquato numero certamen initur: ac tanta corporum animorumque contentione pugnatur, quantum efficere potuit odium vetus novis detrimentis inflammatum in hominum ferociſſimorum crudelitati assuetis ingeniis: & victori res decusque, victo mors & ignominia proposita. Nec minor spectantes horror, quam pugnantes furor tenebat deformes corporum laniatus, detruncatosque artus, & in hominis effigie rabiem ferarum detestantes. Illud autem inprimis est animadversum, quod nemo se omnium fortiùs gereret, quam suppositius ille & mercenarius bellator, cujus operâ maximè victoriam partam existimabant. Superfuerunt enim certamini ex ea cui se ille addixerat parte præter ipsum decem: sed omnes magnis vulneribus graviter saucii. Ex altera factione restabat unus, qui cum corpus adhuc ferro haberet intactum, iniquamque certaminis fortunam sibi videret objectam, in Taum flumen propinquum se conjecit, ac adversariis, quo minus eum sequerentur, ob vulnera tardatis, in adversam ripam evasit. Hac ratione ferociſſimo cæso, multitudo sine ducibus relicta, in multos post id annos à tumultuando repressa ad agriculturam rediit. Hæc pugna incidit in annum salutis 1396.

53. Jacobo secundo in oppugnatione Rosburgi cæso, ex aulicis qui proximè astiterant, etsi inopinato

nato casu perculsi erant, tamen, ne Regis morte palam facta vulgus dilaberetur, corpus velant. Regina, quæ eo ipso die in castra venerat, haud quaquam muliebri animo dejecto in luctus, Proceres convocat. Hortatur ut animo bono sint: neu unius hominis casu tot viri fortes deterriti rem pene ad exitum deductam turpiter deserant. Se in locum defuncti Regem alium brevi adducturam. Interea omni apparatu belli hostem urgendum, ne morte Imperatoris intellecta ferocior efficiatur, & in unius hominis morte tot virorum fortium simul virtutem extinctam existimet. Pudebat viros animi magnitudine à fœmina superari. Arcem igitur adorti sunt tanta vi oppugnare, ut neutra pars Regem abesse senserit. Interea Regis filius Jacobus septem annorum puer in castra adductus Rex salutatur: nec multi interesse dies, cum Angli, qui in præsidio erant, laboribus & vigiliis confecti arcem novo Regi dediderunt. Arx, ne iterum causa belli foret, solo æquatur.

54. Ante funestam ad Fluidonem pugnam à Jacobo quarto malè commissam, Proceres ostendunt fraude hostium fieri, ut de die in diem res protraheretur, dum ipsorum vires crescant, Scotorum imminuantur: itaque pari arte adversus eos utendum. Nam cum illi tempus à se designatum non obeant, nulla verecundia obstrictos iis esse Scotos, quo minus discedere domum sine prælio, aut suis locis depugnare possint. Horum prius consilium multis de causis tutius esse: id si minùs placeat, alterius capiendi summam occasionem dari. Nam cum Tillus amnis ripis prærultis, ac nusquam fere vadosus, nullum intra aliquot millia passuum, nisi per unum pontem exercitus transitum daturus esset, paucos ibi tantæ multitudini posse obsistere: posse etiam parte Anglorum transmissa, machinis commode locatis, pontem interscindi, primosque transgressos deleri, antequam ab adversa ripa subveniri posset. 55. Joan-

55. Joannes dux Albinus, Prorex Procerum consilio ad Solvæum ab Anglia invadenda retractus, non vult videri nihil tanto conatu egisse: Anglici limitis Præfectum ad colloquium vocat: ille, ut cui omnia erant imparata, libenter id audit.

56. Idem dux Albinus cum omnes portus Gallici littoris obsessos ab Anglis, qui reditum ejus in Scotiam observari jussi erant, sciret, quibus impar viribus erat, arte statuit eludere. Classem suam in nullum locum unum contraxit, sed per varios portus ita sparsam tenebat, ut nullam bellici apparatus speciem præferret; milites in locis mediterraneis ita collocârat, ut nihil minus quam de navigando cogitare videretur. Anglicæ classis Præfectus, qui ad eum excipiendum diu frustra toto mari volitaverat, per exploratores certior factus, neque classem, neque exercitum toto littore Gallico parari, ratus eum nihil ante ver proximum moturum naves subduxit. Dux Albinus hostium discessu cognito, repente quinquaginta navium classe contracta, post æquinoctium Autumni è Gallia solvit: atque Oct. Cal. Octob. Araniam Insulam tenuit.

57. Anno 1548. Angli Humum & Fascastellum tenebant, unde excurrentes magnis incommodis vicinas regiones afficiebant. Tandem Scoti, observato negligentiùs in Humo vigilias obiri, nocte per rupem, ubi sciebant fiducia loci minimam diligentiam adhiberi, in summum penetrarunt, ac cæsis custodibus, arcem in suam potestatem redegerunt. Nec ita multo post, cum Præfectus Fascastelli imperasset vicinis agricolis, ut magnam commeatuum vim ad certum diem adveherent. Hanc vicina juventus occasionem nacta frequens ad diem dictum affuit: ac deposita è jumentis onera cum in humeros extulissent, per pontem, qui duas rupes committit, recepti, repente quod ferebant dejecto, custodem

qui

qui aderant ſigno dato conficiunt. Ac priusquam reliqui Anglici convenire poſſent, armis & locis opportunioribus occupatis, ſuisque per patentem portam acceptis arce ſunt potiti.

58. Eodem tempore cum Anglis Hadinam tenentibus multarum rerum aut jam eſſet, aux mox inſtaret penuria, atque auxilium quod ſperabatur ſeriùs venturum crederetur, quam vires obſeſſorum affectæ ferre poſſent. Bervico interea duo Equites illuſtres eò mille pedites & trecentos equites quanta poſſent celeritate ducere juſſi eſſent. Hi omnes inſidiis excepti pene ad unum interierunt.

59. Anno 1562. Moravius Prorex, aciem ad Abredoniam contra Huntilæanos inſtruxit: ex militibus multi ſtatim inter ducendum adverſus hoſtem apertæ proditionis ſignum dederunt: quòd ramos ericæ, ut ab hoſtibus agnoſcerentur, tegumentis capitum affixerunt. Ubi propius ventum eſt, Huntilæani ſecuri de exitu gradum ad eos accelerant, & cum adverſam aciem à proditoribus turbatam viderent, & jam in fugam converſam, ut expeditius ſequerentur, ſariſſas abjiciunt: & ſtrictis enſibus ad terrorem integrorum proditionem ingeminantes, in hoſtem magno gradu feruntur. Proditores eodem illo impetu etiam ſtantem una ſe rati in fugam averſuros, ad eam accelerabant. Sed Moravius, qui nullam in fuga ſpem videret, neque quicquam præter honeſtæ mortis decus præſtare crederet, exclamavit, ut ſariſſas ſui præ ſe tenderent, nec in aciem ſuam fugientes reciperent. Illi præter opinionem excluſi cornua utrinque, confuſis ordinibus, præterierunt. Huntilæani verò, qui jam profligatam rem putârant, cum aciem quidem parvam, ſed prætentis haſtilibus horrentem cernerent, ipſi, ut qui ſparſi ac ſine ordine ſeſe inferebant, nec propter haſtarum longitudinem ex adverſo ad manus venire poterant, repentino terrore perculſi non

paulo

paulo celeriùs fugiunt, quam antea sequebantur. Eam Fortunæ mutationem proditores conspicati jam fugientibus instant, ac, ut se à priore culpa purgarent, quicquid fuit cædis eo die, ipsi ediderunt. Cæsi ex Huntilæanis circiter 120. capti 100. Ex altera acie nemo.

60. Levinio rerum potiente, Mortonius Comes insidiarum gnarus, quibus rebelles naves instruxerant ad cohortem Regis Danicam intercipiendam, ipse pro præsenti copia manu armata, nemine conscio quò duceret, adeo festinanter Letham venit, ut eos conscendentes pene oppresserit, sedecim è moratoribus in ripa, dum scaphas tardius solvunt capti. In posterum diem, quoniam citius per æstum Oceani non poterant, naves paratæ quæ reliquos persequerentur, aut redeuntes interciperent. Prorex quoque ea nocte Sterlini certior factus, & ipse postridie summo mane cum tumultuariis copiis à sinistro Forthæ littore festinavit, ut rebelles egressos in terram invaderet. Sed militum Cimbricorum properatio hos omnes conatus fecit irritos. Pari ante celeritate usus est Gulielmus Kircaldius Grangius in classe Bothuelii ad Orcadas opprimenda.

61. Eodem tempore, dum Prorex Sterlini comitia habebat, rebelles per Procerum absentiam aliquid tentandum rati, omnes ex Edinburgo copias eduxerunt, & ad speciem multitudinis augendam omnes oppidanos cum majore parte militum in acie statuerunt, eo consilio, ut, velut superioribus temporibus consuevemant, leviter lacessendo regias copias Lethâ elicerent. Interea dum intentos in se hostes distinerent, reliquis longiore itinere occulte circummissis, oppidum præsidio destitutum per aversam ingressi portam incenderent. Patricius Lindesius Lethæ præfectus, cum à deprehensis insidiis sibi satis caviſſet, suos rectà in hostem duxit, & impressione magna facta rebelles fusi, fugati, & usque ad oppidi portas non sine cæde compulsi.

62. Joan-

62. Joannes Cockburnus notæ domi forisque fortitudinis vir in Gallia militans, dum ipse cum exigua equitum manu ab hostibus longe pluribus peritus jam prope circumveniretur, & neque pugnandi neque fugiendi esset locus, ille se suosque præsenti consilio ab imminente interitu liberavit. Erat enim in propinquo pons, quà unica iis fugiendi, aut hostibus sequendi via patebat. Ille suis trans pontem præmissis, jussoque ut eum cum equo recenti parato ad ulteriorem pontis finem aliquis expectaret, in medio ponte descendens equum suum transfodit. Hostes quam poterant intento gradu sequentes ad medium pontem perveniunt. Ibi feroces equi conspecto in angustiis sui generis cadavere conterriti, & re subita consternati nulla vi cogi poterant ut tranfirent, donec quidam caute descendentes transfossi equi cadaver è loco moverent, & extra transeuntium equorum conspectum ponerent. Interea dum hæc fiunt, Cockburno satis amplum fugæ spatium datum est.

Hæc pauca strategematum exempla instituto nostro sufficiant: cætera persequi difficile, omnia complecti impossibile foret.

LIBER V.

De REBUS THEATRICIS, SIVE LUDIS ROMANORUM.

Cap. I.

LUdi vel *à Lydis* ex Asia transvenis, vel à *Ludo* sive *Luſu* appellati, ſunt celebritates publicæ, quæ vel placandæ Deûm iræ, vel pro ſalute populi, vel gratiæ ejus demerendæ cauſa, vel ad eum voluptate demulſum in officio continendum editæ atque inſtitutæ. Horum alii cum Æneâ à Trojanis, alii à Græcis, alii, ut dictum, à Lydis, alii ab aliis populis Romam tranſlati; alii à Romanis ipſis additi fuerunt.

Romanorum Ludi ſunt vel privati, vel publici.

Privati Rom. Ludi fuerunt.

Cap. II.

Latrunculi.

HI belli cujusdam ſimulacrum & imago. Latrones à Græco λατρεύειν *ſervire*, olim appellati omnes promiſcue ſive milites conductitii, ſeu Principum ſtiparores: quanquam Varro quaſi Laterones dictos contendat, quod Principibus ad latera ſemper eſſent; vel quod ad inſidias latererent; vel denique, quod latus ferro armatum haberent. Hujus appellationis locuples nobis author eſt Plautus in Mil. Glor. Palamedes Nauplii filius in obſidione Trojana, ut mi-

milites in officio contineret, illud ludicræ dimicationis genus excogitavit. Frequentiſſimus ejus uſus apud priſcos, creberrima apud authores mentio, Scenicos præcipue. Eſt hic idem Scacchi Ludus hodie in Europâ frequentiſſime uſurpatus: quo victi cenſentur, cum Regi nullus patet effugii locus, unde & ludo nomen: nam Hebræis *Sach* eſt vallavit, & *math* vel *meth* mortuus eſt; ut & periculum Regi & mors intenterur. Voluit antiquitas hunc ludum eſſe recreationem à ſeriis ſtudiis, licet contrarium experiantur quicunque eo ſe exercent: & Jacobus Rex Britanniarum Auguſtiſſimus in Baſilico Doro penitus ejus uſum filio interdicit, quod attentiùs multò implicetur eo animus quam ſtudiis etiam acrioribus.

CAP. III.

Tali, Teſſeræ, & Fritillus.

FUndem plane ludum ſignificant: Græcis, quibus idem etiam in uſu, Ἀστράγαλοι. Tali, quia ſex angulos habebant, Seniones dicti (Senio etiam eſt felix jactus ſenarii:) uti Teſſeræ à Græco τέσσαρες Ionice pro τέτταρες, quatuor, quia quatuor tantùm habebant Græcè κύβοι appellatæ ſunt, Latinè quaterniones. Inter ludendum teſſeris tribus, Talis quatuor utebantur. In Talis quatuor numeri deſignabantur, *Unio*, *Ternio*, *Quaternio*, & *Senio*. Unio ex reliquo numero quinque detrahebat: & ideò Perſio Sat. 3. appellatur *damnoſa Canicula*. Senio eſt numerus ſeu jactus felix: ab eodem ibid. dicitur *dexter Senio*, quia lucrum ferebat. Ex quatuor Talis diverſas ſpecies vel omnes numeros referentibus exurgebat *Venus* jactus omnium felicisſimus, in quo etiam Canis vel Unitas aliàs ſemper damnoſa proderat. Quidam jactum Baſilicum & Herculeum cum Venere, Vulturium autem

tem cum Cane eundem faciunt, alii dubitant. Id tamen omnibus liquet, jactus hos infelices fuisse, felices illos. Et ideo infelicibus maligna & infausta nomina induntur animalium rapacium. Ludentes ad fraudem cavendam Talos conjiciebant in Fritillum (vel, ut aliter appellatur, Fimum, Pyrgum, Turriculam, Orcam, Pyxidem corneam) dictum à fritinnire tinnulâ & argutâ voce hirundinum, propter strepitum quem faciebant Tali eburnei aut è liguſtro in orcâ moti, & in tabulam emissi. Romani omnis ætatis hoc ludo utebantur: Græci vix senes, quibus cognomentum Ἀστραγαλίζων puerile & in contumelia habebatur.

CAP. IV.

Alea.

INventum Dæmonis Teuth, ex Asia in Græciam; & è Græcia in Italiam transiit semper infamis habita, & cujus quantò quis doctior, tantò nequior; mendaciorum omnium & perjuriorum mater, & ex alienâ concupiscentia sua prodigens: furto & latrocinio ab Aristotele comparatur: legibus Rom. penitus interdicta fuit, nisi in Saturnalibus. Alea pro quolibet ludo in quo Fortuna & Casus dominantur, accipitur, adeoque etiam pro Tesseris & Talis. Et quia Casus in Aleæ certamine multùm pollet, quæcunque incertis casibus subjacent, Aleæ commissa, ut quæ certa & secura casûs, extra Aleam posita dicuntur.

CAP. V.

Pila.

LAudatiſſimum exercitamenti genus ſemper habitum, viris convenientiſſimum, communi gentium uſu probatum, utroque etiam jure Civili & Canonico receptum, non ſenum tamen ſed juvenum conſuevit eſſe, ad vires exercendas, firmandas & probandas: quo nomine digna viſa eſt ut de illa diſſererent Medici & Philoſophi. Pila duplex: Paganica, à Pagis ſeu Villis, in quibus aut primus, aut certe frequentior ejus uſus: & Trigonalis, propter angulos. Dicimus pilâ ludere, pilam jacere, mittere, emittere, dimittere, contramittere, in adverſum jacere, expellere, ludere expulſim, factim, datatim ludere Plaut. Curc. Act. 2. Scen. 3. ubi ſic Taubmannus: *Datores dicebantur qui pilam dabant: Factores, qui faciebant*, i. e. *qui feriebant* & *ludebant*, *quique in factiones erant diviſi*, i. e. *quod nos dicere ſolemus*, *in partes*. Genera autem ludendi videntur fuiſſe *datatim*, *raptim*, *expulſim*. Et Philoſophi & Principes pilâ delectati ſunt.

CAP. VI.

Pentathlum, ſive Quinquertium.

CElebre apud Græcos, etiam olim exercitium, ſunt quinque illa certamina, *Diſcus*, *Saltus*, *Cæſtus*, *Curſus*, *Lucta*. Ludiones etiam dicti Pentathli & Quinquertiones. Erat Senatus conſulto cautum, ne quis niſi his ludis pecuniam luderet. De cæteris, quod ſatis, in Militia ſupra habuimus. De Diſco & Cæſtu pauca hic ſubnectemus.

CAP.

CAP. VII.

Discus.

FUit instar pilæ æneæ, quæ brachiorum viribus excepta & in altum missa exercebat corpora animosque; ita ut, quantum quisque viribus præstaret, maxime enitereţ: namque is fortior & præcipuo robore habebatur, qui illam ultra signatum scopum jecisset.

CAP. VIII.

Cæstus.

A Cædendo, quem alii jaculationem appellant, alii pugillatum, fuit certamen factum clavis ferreis pilas plumbeas loris bubulis appensas habentibus, quibus se certantes mutuò petebant, ut pulchrè ostendit Virg. lib. 5.

Obstupuêre animi: tantorum ingentia septem
Terga boum, plumbo insuto, ferroque rigebant.

Et deinceps. In Gymnicis sive Athleticis hisce ludis omnibus nudi, subligaria tantùm induti, oleoque uncti certabant.

CAP. IX.

Harpastum.

VOlubili rotunditate in solo jactabatur. Hic ludus Polluce auctore fiebat, ut juvenes in geminas divisi turmas intra lineas seu metas consisterent. Harpastoque posito in medio, quisque contenderet, ut intra gyrum alterius lineæ immitteretur: quod si

contingeret, victores erant: *Alex. ab Alexand. Genial. dierum lib. 3. cap. 21.*

CAP. X.

Halteres.

A Græco ἅλλεσθαι ſalio, erant pondera quibus ad ſaltum ſe librare ſolebant, circuli ſcilicet non exacte rotundi, oblongiores, in quibus digiti inſeri poſſent, veluti per amenta clypeorum, quos facilibus brachiis rotabant: & nunc jactando, nunc rotando ludus committebatur: *ibid. Alex.*

CAP. XI.

Petaurus vel Petaurum.

CIrculus erat quem intactum certantes transvolabant, & ab eo Petauriſtæ appellabantur, vel Petauriſtarii, derivatione Græca, quod quaſi in aëre volitent. De eo ſic Scaliger: Rota in ſublimi poſita à duobus verſabatur, alter ſupernè, alter infernè nitebatur: ita fiebat ut alternis dejectis, nunc penderent, nunc erecti ſederent: per eandem rotam etiam corpora ſubjecta contento ſaltu trajiciebant.

CAP. XII.

Follis Pugillatorius.

DE quo *Plaut. Rudens. Act. 3. Scen. 4.* erat pila grandis ſuſpenſa, quam pugnis infectabantur pugiles, ut Author eſt Turnebus. Ludus hic remiſſior & ignavior habitus: eo enim ſenes imbelli ætate ludere ſolebant. *Alex.* ubi ſupra. Hæc de ludis virilibus.

CAP.

CAP. XIII.

Nuces.

AGitabant pueri divinantes, par esset numerus nucum manibus comprehensarum, an impar. Et prout conjecisset, ita victor aut superatus erat. Hinc *nuces relinquere* est relinquere puerilia.

CAP. XIV.

Trochus sive Turba.

QUoniam è buxo factus, volubile buxum Poëtis appellatus, nemini non est notus ante Alpha & Beta. De quo pulchre *Virg. lib. 7. Æneid.*

CAP. XV.

Micare digitis.

LUsûs genus quoddam, quod adhuc apud Italos durat, & inde ad nos etiam transivit, ut repente porrectis digitis certantium uterque numerum divinet: ejus meminit *Cicero lib. 2. de Divinatione. Vide Erasmi adagium, Dignus quicum in tenebris micet*, i.e. vir certissima fide, qui nec in tenebris fallere vult. Adagium ab hoc lusu derivatum est. Sic de ludis privatis.

CAP. XVI.

De Ludis publicis Rom.

HOs edebant vel Reges, vel Conſules & Prætores, vel Ædiles plebeii, vel Ædiles Curules, vel Imperatores. Funebres autem Ludos curabant & exhibebant illi qui proximi defunctorum, in quorum honorem ludi celebrantur hæredes fuerunt: quanquam & hi aliquando ab Ædilibus curati fuerunt: Ludorum præcipue Gladiatoriorum ſpectaculum *munus* proprie appellatum fuit, vel quia populo gratis daretur; vel ab officio, qui officium ſe mortuis facere arbitrabantur. Is qui præbebat *muneravius* dictus, etiam *munerator*, Dominus Ludi, item Editor; & res ipſa Editiones.

Ludorum duplex diviſio: nam à forma ſunt vel Circenſes, qui in Circo; vel Scenici, qui in ſcena, i. e. umbra agerentur. A fine alii ſunt Sacri, alii Funebres, alii Votivi, alii Ludicri, ſive exercitationis cauſa.

Primum Ludi omnes Conceptivi ſive Indicativi erant, non Annales aut Annui: poſtea in Calendario Romano fere omnes Ludi qui in Deorum honorem peragebantur ut Stati notantur: tum, igitur non ſtati ſunt funebres aut votivi.

CAP. XVII.

De Circo & ludis Circenſibus.

QUi Græcis Olympici, Romanis Circenſes ludi fuerunt. In Elide enim juxta fluminis ripam, anguſto tramite, altero latere urgente flumine, altero poſitis gladiis, ut utrinque præſens exitium eſſet, bi-

bigarum cursu certabatur, dimicatione perniciosâ adeo, ut intra præscriptum illas coërcere necesse foret: unde Circenses dicti. Romam deinde translati eximiè culti celebratique sunt. Primùm in Insula Tiberina, nullo ad id certo constituto loco, sed ab altera parte Tiberis pro meta erat, ab alterâ enses ponebantur. Posteà tamen metæ gladiorum loco fixæ erant, cùm ludis certus locus assignatus esset.

Circus Maximus à Tarq. Prisco quinto Rom. Rege, inter Palatinum & Adventinum montes primùm extructus, spectaculis designatus locus fuit, qui posteà ædificiorum magnitudine & aulico apparatu præcipuus semper exhibendis ludis est habitus.

Præter hunc Circum etiam alii progressu temporis sunt extructi, nec Romæ tantum, sed & alibi, ut Constantinopoli, Mediolani.

Circus autem dictus est, vel quod ibi fierent ludi in circuitu, & quod circum metas ferretur pompa, & equi currerent: vel, ut nonnulli volunt, à Circe veneficâ Solis filiâ: nam Circus Soli principaliter consecratur. Opus hoc procedente tempore numerandum erat inter spectacula totius urbis pulcherrima. Longitudo enim ejus trium stadiorum cum dimidio: latitudo quatuor jugerum: à duobus majoribus lateribus, & uno minore cingebatur Euripo qui aquas reciperet, decempedali profunditate simul & latitudine: post Euripum extructæ erant triporticus, ubi erant sedilia gradatim scandentia, sicut in Theatris. Forma erat amphitheatralis & ovalis, octo stadiorum amplitudine, capiens centum quinquaginta millia hominum. In altero minore latere erant fornicati carceres, unde emitterentur equi ad cursum, & feræ ad venationem. Externè ambit Circum simplex contecta porticus, quam spectatores intrant & ascendunt per officinas singulas, ut nulla confusio oriatur inter tot hominum millia tum venientia tum disce-

dentia. In Circo maximo loca erant plebi divisa per singulas curias.

Ludi Circenses (appellati etiam Gymnici, à nuditate, vel exercitatione corporis, γυμνὸς enim nudus & γυμνάζω exerceo significat) præcipui fuerunt. 1. *Pugna*: cum scilicet pugnis, cæstibus, gladiis, fustibus, hastis, pilis, similibusque armis certabatur. Quò spectat & gladiatura, cum gladiatores variis modis dimicabant, interim pro gloriâ, interim pro vitâ, idque spectante populo, ut juventus cædium, sanguinis, & vulnerum aspectu, assuesceret in bello minùs ista timere. Huc etiam refertur pugna cum bestiis: certantes Bestiarii dicti. Utrumque hoc genus omnino infame fuit ingenuis, & fere per servos agebatur. Huc etiam refertur Lucta, cum alter alterum in terram prosternere tum vi, tum agilitate corporis nitebatur.

2. *Cursus*, quo per certa stadia in campo currentes ad metam destinatam pervenerunt.

3. *Saltatio* in æquo campo, aut infernè ad superiorem locum, & contrà; aut cum in equos currusve insiliebant, non tantum nudi, sed etiam armati & cataphracti.

4. *Jaculatio* discorum, sagittarum, pilorum, telorum, omniumque armorum cujuscumque generis, quæ longè projiciuntur: & hi ludi erant fere pedestres. Neque quisquam moveatur, quod ex his ludis nonnullos inter privatos supra recensuerimus in Pentathlo: nam iidem privato consilio susceptì, ludi privati, & publico munere exhibiti, publici esse poterant.

5. *Decursio Equestris*, qua exhibebatur species pugnæ equestris: hic Trojæ ludus dicebatur, celebratus à pueris majoribus & minoribus turmatim congredientibus, quibus qui præcedebat, Princeps juventutis dicebatur.

6. *Au-*

6. *Aurigatio*, i. e. certamen bigarum, aut quadrigarum, quod septem curriculis, sive septeno circuitu, & viginti quinque missibus absolvebatur: ultimus missus, quod ex collatione populi fiebat, Ærarius dictus. Prima aurigantium cura erat, ne in circuitu metas contingerent, sed illas sine offensione transirent: fuitque moris, ut ante commissionem Circensium, ministri cum equis desultoriis missus exituros enunciarent. Aurigantium quatuor erant factiones, pro quatuor anni temporibus: *viz.* Veneta quæ Cœrulea, Prasina, quæ viridis dicta est, Alba, & Rosea, miro faventium studio coli celebrarique solitæ. Viridis color Veri dicatus erat, Æstati Roseus, Hyemi Venetus, Albus Autumno: pannoque versicolore per singulas factiones certabatur: in quibus spectantium favor & aura popularis gratiaque & studium ad victoriam multum loci dedit. Nam tanto faventium studio hinc inde certabatur, cùm suos quisque clamore & plausu foveret, ut magis studio & colore panni, ac favore quo affecti erant, quàm verâ virtute niterentur: isque popularis favor & gratia non dubiam plerunque victoriam dedit adeo ut non populus modò, sed & Principes ingenti studio & gratiâ factionum contenderent, unde lites & cædes sæpe secutæ sunt. His quatuor factionibus addidit Domitianus alias duas aurati purpureique panni. Moris erat, ut Prætor aliusve Magistratus qui ludis præerat, mappam aurigis mitteret, & cursûs signum daret, quod erat futurorum Circensium initium.

7. *Naumachia* in Circo ostendebatur: ubi emisso Euripo, naves metis appositis, ne illas contingerent, cursu præcipiti concurrebant, & formam navalis pugnæ repræsentabant.

8. *Venatio*, quam Principes dabant, arenâ in sylvam versâ; arbores enim validæ per milites radicibus vul-

vulsæ, connexis longe lateque trabibus, adfixæ erant, terrâ deinde superjectâ, totusque Circus ad sylvæ speciem consitus gratiam novi viroris obtulit, & imaginem veræ germanæque venationis exhibuit. In hoc spectaculum producebantur animalia & feræ omnis generis, quæ populo occidenda & rapienda permittebantur. Atque hæc sunt præcipua Circensium spectacula.

Circensium duo genera fuerunt: Patricii, qui per Patres; plebeii, qui per plebem agebantur, statodie, mense Novembri: In Circensibus, qui serò surrexerant, aut qui ante alios exierant, colaphis cædebantur. Qui coronam meruisset, tanquam ad supremum fastigium ventum foret, nihil ultrà de virium aut artis incremento speravit. Non tantum victores præmio donabant, sed illos etiam qui ad certamen provocabant, neque cum quo certaretur inveniebant. Si quis athleta eò fortitudinis processisset, ut parem non inveniret, plures uni objiciebantur.

CAP. XVIII.

De Theatro & Amphitheatro.

QUamvis Theatra, Circi, & alia ejusmodi loca singulares quæque ac proprios ludos haberent, & exercitationes cuique loco accommodatas, tamen eadem omnibus in locis peracta sine discrimine fuerunt: unde Circus & Theatrum aliquando distinctè, aliquando promiscuè ab authoribus usurpantur. Ut Circenses ludi in Circo, ita Scenici in Theatro peragebantur.

Theatrum nomen habet à θεᾶσθαι spectare, estque locus in quo ludos spectabant. Apud Romanos Theatrum diu nullum fuit: primò enim ludos humi specta-

ſpectabat circumfuſa turba: inde aggeſtis ceſpitibus editiorem ſpectandi locum, pulvillis actis faciebant: eam ob cauſam medius locus depreſſior fuit, ac propterea Cavea dictus. Primo ſtantes ſpectabant, poſteà ſubſellia ſibi quisque afferebat: Theatra deinde lignea, denique lapidea extructa fuerunt.

Primi Theatrum faciendum curârunt M. Valerius Meſſala, atque C. Caſſius Longinus Cenſores, anno 599. Deinde deletâ Corintho L. Mummius ludis quos in triumpho fecit Theatrum erexit, ſed temporarium. Inprimis autem celebratur M. Scauri Theatrum: de quo ſic ſcribit *Plin. lib. 36. cap.* 15. M. Scaurus fecit in ædilitate ſua opus maximum omnium quæ unquam fuere humanâ manu facta, non temporariâ morâ, verum etiam æternitatis deſtinatione Theatrum hoc fuit. Scena ei triplex, altitudine trecentarum ſexaginta columnarum. Ima pars ſcenæ è marmore fuit: media è vitro, inaudito etiam poſtea genere luxuriæ: ſummæ tabulis inauratis columnæ, imæ duodequadragenûm pedum. Signa ærea inter columnas fuerunt tria millia numero. Cavea ipſa cepit octoginta millia: cum Pompeii amphitheatro, toties multiplicatâ urbe, tantoque majore populo, ſufficiat largè quadraginta millibus ſedere: ſed & reliquus apparatus ingens Attalica veſte, tabulis pictis, cæteroque choragio fuit. Poſteà autem Curio Theatra duo juxta ampliſſima fecit è ligno, cardinum ſingulorum verſatili ſuſpenſa libramento: in quibus utrisque antemeridiano ludorum ſpectaculo edito, inter ſeſe averſis, ne invicem obſtreperent Scenæ, & repente circumactis, ut contrà ſtarent. Poſtremò jam die deſcendentibus tabulis & cornibus inter ſe coëuntibus, faciebat amphitheatrum, & gladiatorum ſpectaculum edebat, ipſum magiſtratorum Pop. Rom. circumferens. Primum

manſurum Theatrum Cn. Pomp. Magnus Romæ extruxit lapide quadrato, ad exemplum illius quod Mitylenis viderat bello Mithridatico, tanto opere & apparatu, ut Pompejus Magnus ſolo Theatro ſuo minor, Tertulliano referente, perhibeatur. Alia ſubinde alii ſtruxerunt. Veſpaſiani Theatrum memorat Lipſius ſtructum in mediâ urbe, cujus ſemiruta moles adhuc Romæ viſitur, tam altum, ut ad ejus ſummitatem ægrè viſio humana conſcenderet.

Erat autem Theatrum in modum hemicycli, cujus ab utroque cornu ſcenæ erant cum ſingulis aris, quarum una Bacchi, altera ejus Dei erat in cujus honorem ludi fiebant.

Amphitheatra verò circulari integrâ formâ conſtruebantur, aut ovali & oblonga, in quibus Gladiatorii ludi & concluſarum ferarum venationes exhibebantur. Coloſſeum hodie Romani vocant, quia Neronis cum capite Coloſſus in vicinia: priſci Caveam appellarunt, ut dictum eſt ſupra: & Arenam, quia arena ſternebatur in uſum pugnæ: unde ea vox paſſim pro certamine amphitheatrali, proque ipſo loco: unde & Arenarii, qui in arena depugnant.

Areæ Arena pura fuit ſine ſubſtructionibus & ædificiis, tota libera ad curſum ferarum & pugnam. Sub Arena erant cloacæ ad educenda ſtagna Neroniana, & ſpecus ad cuſtodiam & receptum ferarum, ſive ad uſum aquarum, quas in arenam occulte & ſubitò inducebant, atque educebant, ad Naumachias, & caveæ ferreæ extructæ erant, per quas beſtiæ intromittebantur in Arenam: in his caveis portæ erant oſtia, vel aditus appellatæ: unde cum impetu emittebant feras, iterumque immittebant poſt pugnam: habebant & caveas itinerarias, in quibus feræ clauſæ & transvectæ: ſæpe eæ

factæ ex argento & auro per splendoris speciem. Varia quotidie ab ambitiosis editoribus excogitabantur, ut studia spectantium allicerent lenocinio quodam nobilitatis: ut, Arenam totam vertere in sylvam, ut dictum est supra; navem ædificare grandem in ipsa Arena, quæ solutilis esset & subitò luxata emitteret omne genus ferarum pro arbitrio magistri temperantis: exiliebant navi Ursi, Leæ, Pantheræ, Leones, Struthiones, Onagri, Bisontes, &c. ita ut septingentas feras aut pecudes simul & currere liceret cernere & occidi. Nec naves solum ejusmodi induxere in Theatra, sed, quod magis mirere, quodammodo mare ipsum: reperti enim qui Arenam per occultos quosdam ductus & meatus subitò aqua replerent, & pro terrestribus feris monstra maris ostenderent, & classes, & navalem pugnam.

Post Arenam Murus occurrit qui podium sustinet, quique claudit & ambit infimum solum.

Podium, dictum, quia provehitur & propendet paulùm instar pedis, erat muri pars projectior & prominentior ante imum spectaculorum gradum, cui columnæ impositæ cum epistyliis ad ornatum, sive, cum liberet, ad innixum: Mænianorum ea quædam species est, facta in Theatris, templis, ædibus, ad circumeundum, innitendum, spectandum: vernacule *Bartresses*, *Balcomies*. In Podiis victoriolæ reponi solebant. Ad Podium spectabant primi è Senatu: quidam Sellis Curulibus, quæ positæ aliquando honoris causa absentibus, vel etiam mortuis. Ad Podium erat eminentior quidam suggestus extructus, & velut domus seu cubiculum, ex quo Princeps spectabat. Erat etiam tribunal Editoris: qui aliis etiam honoribus insignis, ut Lictoribus, veste prætexta. Consules, Prætores, aliique, quibus id jus, in Curulibus suis sederunt, cum lictoribus,

ribus, viatoribus, & magistratûs suî pompâ. Murus enim Podio altitudine erat habuitque duodenos quindenosve pedes, ne fera illum transiliret. Etiam contra inopinatos quosdam cassis retia valida nodosa in orbem undique Podium hoc cingebant, quorum raritas tamen non impediebat aspectum: retia illa per luxum inuenta. Sed & contra sessionem ferarum & assultum, murum circumdabant versatilibus truncis, aut clathris ferreis, aut, quod certius, cuniculis.

Amphitheatri partes septem: Gradus, Præcinctiones, Aditus, Viæ, Cunei, Cathedra, Porticus.

Gradus sunt ea ipsa loca quibus sedebant, dicti, quia ad formam scalarum gradum alii alios consequuntur.

Præcinctiones non sunt aliud quam gradum intervalla & divisiones quædam in orbem, nempe popularium, equestrium, orchestræ: unde & Baltei dicuntur Græcè διαζώματα.

Aditus in ipsâ gradatione portæ quædam sive ostia, per quæ ab exterioribus porticibus venitur & descenditur in ipsas sedes: Vomitoria voce vulgi dicuntur.

Viæ inter gradûs duûm generum: aliæ quæ ad cardines sive limites balteorum in circuitu, itinera præcinctionum appellantur: aliæ quæ vomitoriis illis in descensu & ascensu propriè scalaria dictæ. In his viis qui locum non habebant, quique, ut suo verbo dicam, excuneati erant, spectabant stantes. Hic etiam canaliculæ quædam & derivata aquæ coelestis & humanæ: quod necessarium dies totos in spectaculis persedentibus.

Cunei sunt sedilium ordines inter vias medii, dicti à forma, quia re ipsa scalarum directio talis, ut ab imo ordiens magis diffunderetur in altum, redderetque cunei formam. Hi Cunei certis certi assignabantur. Cunei etiam Senatorum & Equitum fuerunt.

Cathe-

Cathedra vocatur ipse in amfractu ad confessum situs, i. e. locus superus, ubi clivi subselliorum desinunt, & murus incipit, qui porticum facit, clivosque illos velut frangit: nam plani aliquid spatii ibi fuisse videtur, unde cathedris positis spectabant.

Porticus superiores è quibus tenuiores spectabant; pars est suprema sive summus fornix Theatri. Porticus illæ arcuato opere tectæ erant: ideo *Camera* dictæ.

Ordo in Confessu & discrimen fuit ejusmodi. Senatui, Equiti, Plebi discreta in spectaculis loca sua, & gradus: in Theatris quidem jam lege Roscià: & non ita diu in Circo & Amphitheatris: promiscue enim ibi spectabant, & quovis loco liberè, quamdiu libertas Romæ, at id mutatum sub Principibus, & discrimina dignitatum facta bono jure. Senatui in Amphitheatris sua sedes fuit, sua Equiti, sua Plebi; illam Orchestram dixêre, alteram Equestria, tertiam Popularia.

Orchestra vox nata in Scenâ & pulpito transiit communi abusu quodam ad alios etiam ludos: sedes fuit inter gradus imos, is enim locus, quia scenæ & arenæ proximus, ideoque auribus oculisque expositus, optimus habitus spectioni sive auditioni. Magnitudo ejus in gradibus quatuor aut quinque, aut fortasse pluribus, ut etiam Sacerdotibus ibi locus sit, & sociarum gentium legatis.

Equestria quatuordecim gradus tenuerunt: itaque passim *sedere in quatuordecim* legitur pro ipsâ equestri dignitate. Aucta fuerunt sub Principibus: & Tribuni quoque inter Equites spectabant.

Popularia erant reliqui omnes gradus; i. e. Cavea media & summa; nam ima Senatui & Equiti vacabat. Itaque propter granditatem discrimen aliquod in ipsis Popularibus; & pro variâ conditione plebis varii adsessus. Miles enim sua propria subsellia habuit,

habuit, mariti ſuos ordines, prætextati ſuum cuneum, & proximum Pædagogi Pullati ex loco ſuperiori ſpectabant, ut & fœminæ. Hinc *verba ad ſummam caveam ſpectantia* ſunt vilia, & ad guſtum minutæ plebis. Confuſa interdum locorum ſeries: avidi enim multi ludorum & excluſionem metuentes loca multa nocte occupabant, & inhærebant ut ſuis. Interdum & loca pretio aliqua diſtributa, quod Græci ἐπιθέτου vocant. Receptum, ut ſervi & alii etiam ex plebe Locariis aliquid pro ſedilibus penderent.

Locarii ſunt, qui loca deſignant, homines locant diſponuntque; alio nomine Deſignatores, Lictores eos comitabantur, ſeverioris imperii cauſa & ordinis ſervandi, ſicut in funere publico ita & in Theatris. Eorum dignitas ſub Principibus aucta, & non promodico beneficio à Principe dabatur. Horum munus, ordinibus ſua loca adnotare, pellere occupatores ab alienis; & id dicebant theatrali verbo *Excitare* & *Suſcitare*. Labenti ævo, præter Deſignatores fuere & digniore quodam nomine Tribuni, qui electi ad moderandas & temperandas ludicras populi voluptates dicebantur *Tribuni voluptatum*.

Tubi ſive fiſtulæ in imo & ſummo Amphitheatro diſpoſitæ erant, ea arte & fine, ut odoratum quendam humorem ejacularentur leviter, & inſpergerent ſedentes. Propriè autem vocabant illum ingenioſum rorem *Sparſiones*, & ſpargendi verbo in hanc rem utebantur: etiam à ſtatuis hic imber expreſſus velut humanus quidam ſudor. E Theatris in delicatorum conclavia migrarunt ſparſiones.

Tegmen etiam erat è velis in Amphitheatro, quod ſuperinduci ſolebat arcendo æſtui ac Soli. Ad antennas in ſummis lapidibus ſubjectas funes trans verſim ligati, ſuper quos ducta vela. Hinc, vela du-

ducere, & reducere, & velorum inductiones: Huic muneri præpoſiti milites è claſſe, quia illi jure periti tractandorum velorum. Vela iſta Carbaſina, ſeu ſerica aut purpurea ſtellis aureis varie interſtincta, variegata coloribus erant, ad ornatum. *Velaria* vocat Juven. Velarii præpoſiti velis ducendis. Si ventus (quod facile in Circo tam ſpatioſo) vela duci prohiberet, tunc ſuccedebat Cauſia, Umbella, Gauſapa, aut Pileus Theſſalicus, qui fere cum Petaſo idem.

Spoliarium receptaculum mortuorum fuit, & graviter in Arena læſorum, conſtitutum ad portam Libitinenſem, quo Gladiatores occiſi turpiter unco per arenam trahebantur.

Pegma Theatricum non aliud quam grandis quædam & ingenioſa contabulatio, quæ ſponte & occultè ſtatim creſceret, ſtatim ſubſideret, ideoque compacta raris quibusdam tabulis & ſubliciis: quæ ornatûs cauſa tecta ſæpe argento vel auro, ſed tenui. In pegmatis varia inventa & ſtupendi luſus ingeniorum. Duces etiam captivos & oppida in pegmatis oſtendere ſolebant: quæ tamen diverſa paulò ab iſtis Theatricis.

CAP. XIX.

De Ludis Theatricis ſive Scenicis.

A *Lex. lib. 5. cap. 16.* Scena, inquit, triplicis generis erat: nam Tragica columnis & Deorum ſignis exornabatur, quibus & tabulis pictis partim ab amicis, partim è Græcia commodatis utebantur. Comica ædificiorum figuram præfert: Satyrica verò montibus inumbratur & ſylvis: in ea enim Hiſtrionum ſedes erant, qui ad edendas in Scena operas locabantur. In Orcheſtra autem Cho-

Chori: reliqua vero loca popularia fuere, in quibus omnis ſexus & ætas atque infimus ordo ſine diſcrimine ſpectabat: qui vero à ſedibus excluſi fuerant excuneati dicti.

Ludi Scenici, à Græco σκηνὴ umbra, in umbrâ fiebant, & ingenii arte exercitabantur: originem à Græcis traxerunt. Romæ, victis ſuperſtitione animis, Ludi quoque Scenici, nova res bellicoſo populo (nam Circi modo ſpectaculum fuerat) inter alia cœleſtis iræ placamina inſtituti dicuntur ſæviente peſte anno urbis conditæ 389. *Liv. l. 7.* Tenue eorum initium: nam primum Ludiones ex Etruria acciti ſine carmine ad Tibicinis modos ſaltârunt: pòſt verſus ſed inconditi, & motus à voce non abſoni acceſſerunt: tandem arte omnia fuerunt perpolita. Ludorum ſcenicorum ſpecies recenſentur *Tragœdia*, *Comœdia*, *Satyra*, & *Mimus*. Poſteriores priùs paucis expediemus.

CAP. XX.

De Satyrâ.

DIcta eſt Satyra, ſive à Satyris, quod ſimiliter in hoc carmine ridiculæ res pudendæque dicuntur, quæ velut à Satyris proferuntur & fiunt: ſive à Satyra lance, quæ referta variis multisque primitiis ſacris Cereris inferebatur, & à copia & ſaturitate rei Satyra quaſi Satura vocabatur: ſive à quodam genere farciminis quod multis rebus refertum Satyram Varro vocitat. Eſt autem fabula in qua Tragici Poëtæ non Reges aut Heroas, ſed Satyros induxerunt, ludendi cauſâ jocandique, ut ſpectator inter res Tragicas feriasque Satyrorum quoque jocis & luſibus delectaretur. Iis à principio locus in Tragœdia non fuit: admiſceri cœpti ſunt, at non

ut

ut Tragœdiæ partes essent, verùm, ut intercinentes jocorum illecebris & dictorum acumine spectatorem detinerent; ex quo deinde argutum poëma hexametro versu confectum Satyræ nomen accepit, quale est Horatii, Juvenalis, Persii. Satyri in Tragœdiam inducebantur nudi. Rejecti tandem à Sophocle Satyri, ut suam gravitatem Tragœdia reciperet.

Cap. XXI.

De Mimo & Pantomimo.

Mimus ab imitando dictus, quasi solus imitetur: nam cum alia Poëmata idem faciunt, ipse quasi privilegio quodam, quod fuit commune, possedit. Est sermonis cujuslibet motus sine reverentia, vel factorum cum lasciviâ imitatio. Scaligero est Poëma quodvis genus actionis imitans, ita ut ridiculum faciat. Solebant Mimi introduci inter actus qui omnia gesticulatione imitarentur. Hi cum inter actus apponi soliti essent, exeâ extracti, atque assertâ libertate justum sibi Poëma fecêre. Planipedes vocabantur, quod cothurno Tragici, socco autem Comœdi pedes induebant, ipsi autem nudis pedibus agebant. Mimi non erant personati, sed fuligine obliti, & agninis amicti pellibus, quæ Pescia dicebantur, à plurali πίσια, à singulari πίσιον· quod à πίσσω vel πίσω, pecto, carmino, carpo. Ibant autem cum canistris & herbis, serpillo, mentâ, violis, hederâ, corollis; saltabantque in numerum & in honorem Bacchi, cujus more victores hederâ coronabantur. Inde procurrentes obvium quemque subsannabant: manuum quoque tegmina ex floribus contecta gerebant, & tunicas albo ad medium distinctas, à cinctura quam cogebat

gebat velum Tarentinum, ad talos demissas. Silentio per ostium ingressi, ubi ad Orchestræ medium evaserunt, convertebant se ad Theatrum, & loquebantur.

CAP. XXII.

De Comœdiâ ejusque speciebus & partibus.

Comœdia est Tragœdia antiquior: hæc ex illa nata, priùs tamen exculta fuit: à Græcis ad Romanos transiit. Appellationem habet à κώμη pagus, vicus & ᾠδὴ cantus: erant enim Comœdiæ lusus, quos rustici primùm in pagis, deinde cives vicatim sive per vicos canendo exercebant. Quemadmodum verò in cæteris quoque usu venit, ut tempus artium sit & lima & lex, ita Comœdia politioribus deinde seculis in artem redacta, certisque limitibus præscripta est, itemque constituta loca & tempora in quibus ageretur. Est igitur Comœdia privatæ civilisque fortunæ sine periculo vitæ comprehensio: sive fabula diversa instituta continens affectuum civilium ac privatorum, quâ discitur quid sit in vita utile, quid evitandum. Eam Cicero appellat, *imitationem vitæ, speculum consuetudinis, imaginem veritatis.* Scaligero est *Poëma dramaticum, negotiosum, exitu lætum, stylo populari.*

Comœdiæ triplex differentia: una à temporibus, alia à gentibus, alia autem ab argumentis. Pro primâ differentia Comœdia est vetus, media, nova. Vetus dicitur ea quæ primum in usu fuit, quo tempore summum imperium fuit penes populum, qui avide audiebat dicteria in corruptos tum civium tum Magistratuum mores, quasi malæ famæ metu deterriti, componerent animos avios à virtutibus, atque appellerent ad frugem bonam. Grassabatur ergo

ergo ea licentia in omnes ordines, ætates, sexus conditiones impunè, idque non in transcursu tantum, sed integro fabularum tractu ac primario studio. Vexatio autem illa, tametsi sparsim, atque ut res se dabat, exercebatur, ipsi tamen Choro potissimum est attributa. Deinde Ochlocratiâ in oligarchiam mutatâ, continuit Poëtas metus potentiorum in officio benedicendi: quocirca sublatus Chorus fuit. Quare cum cætera nihil mutata essent, mansit species quidem prior, parte tantum desideratâ, unde Mediæ nomen ortum est, non tunc quidem, sed posteaquam novæ Comœdiæ appellatio fuit instituta sub monarchia Alexandri; Nova autem Chori loco parabaseis quasdam ponebat, in quibus aliorum Poëtarum dicta scriptaque sine maleficii crimine aut pœnæ suspicione irridebantur. Differt autem à Vetere Nova multis modis; potissimùm verò compositione: astrictior enim certis legibus tam ad argumenta quam ad dictionem: non enim ridicula dramata in Nova, ut ex qualibet materia risum captet: quinque partitionibus secta Tibicinem interserit: vocabula nova non fabricat ad risum, aut ad cavillum: & populari sermone de medio sumpto propior nova fuit apud Græcos. Neque excurrit Nova ad alios versus, solis Jambicis aut Trochaicis contenta. In veteri multa carminum genera videmus; ortam tamen ex antiqua Novam satis apparet ex iis quæ veteres memoriæ prodidêre.

A gentibus Comœdiæ sunt Palliatæ, i. e. Græcæ, vel Togatæ, i. e. Romanæ, à gentis veste.

Latinarum species sunt, nobiliores sive prætextatæ, aut trabeatæ, à prætextâ & trabeâ Magistratuum: Minus nobiles, in quibus Senatores privati cum togis introducebantur. Tunicatæ à tenuiorum tunicâ dictæ; & Tabernariæ, quod cum tabernis earum Scenæ disponebantur. Fuit autem ab his di-

diverſum genus Atellanæ ab Atella Oſcorum oppido, natura omnium maxime jocoſa & dicaci: nam Romani inter ſerias Reip. tractationes ad animorum refectionem minimè turpe putarunt ad vicinorum abire mores.

Ab argumentis differunt: ſunt enim Amatoriæ totæ, ut Andria Terentii: Calumniatoriæ, ut Nubes & Ranæ Ariſtophanis: civilis fortunæ & morum, ut Theſaurus, Captivi, Aulularia Plauti: eventa, ut Phasma ſive Moſtellaria, Arcturus: fallacioſæ: ut Miles, Pſeudolus. Alia quoque ratione diſtinguuntur: aliæ enim turbulentæ & negotioſæ, qualis Adelphi: has *motorias* dixêre: aliæ ſedatiores, quas *Statarias* idcircò vocant, quòd in iis non ita diſcurratur, qualis Hecyra & Aſinaria: aliæ hilares & convivales ſunt, ut Bacchides.

Partes Comœdiæ, aliæ legitimæ, ſive primariæ ſunt; aliæ acceſſoriæ: aliæ attinentes, ſive circumſtantes.

Primariæ partes ſunt quatuor: Protaſis, Epitaſis, Cataſtaſis, Cataſtrophe. Protaſis eſt, in quâ proponitur & narratur ſumma rei ſine declaratione exitûs. Epitaſis in quâ turbæ aut excitantur, aut intenduntur. Cataſtaſis eſt ſtatus ac vigor fabulæ, in quâ res miſcetur in eâ fortunæ tempeſtate, in quam ſubducta eſt. Cataſtrophe eſt converſio negotii exagitati in tranquillitatem non expectatam. Harum partium communes portiones majores Actus dicuntur, verùm non penitus, neque ſemper. Eſt autem Actus pars actionis ſive actæ fabulæ, cum videlicet omnibus perſonis ſcena deſeritur, & interim Chorus, aut Tibicen populum delectat; quod cum videmus, finitum eſſe actum agnoſcimus. Debet autem omnis fabula non plures neque paciores quam quinque actus continere, juxta illud Horatianum,

Neve

Neve minor quinto, neu sit productior actu
Fabula, quæ posci vult, & spectata reponi.

Actuum minores partes sunt Scenæ, quæ sunt mutationes rerum & personarum in actibus, quarum non est definitus numerus. De scenis præcipitur, ne plures personæ recipiantur in Scenam quam tres, ut præcipit Hor.

——— *nec quarta loqui persona laboret.*

Accessoriæ partes sunt argumentum, Prologus, Chorus, Mimus. Argumentum summam totius fabulæ breviter recitat: hæc nova res, nec necessaria fere. Prologus prænarratio quædam est, in qua Poëta rem suam agit. Chorus pars est inter Actum & Actum: dicebatur autem Chorus multitudo canentium & saltantium cum tibicine. Canebant enim vel in initio, & hic cantus dicebatur Isodium, i. e. introitus: vel in medio, & Embola appellabant: vel in fine & appellabatur Exodium. Apud Græcos Chorus ascendebat in Orchestram. De Mimis diximus suprà.

Attinentes sive circumstantes partes sunt Titulus, Modi, Cantus, Saltatio, Apparatus. Titulus est inscriptio nominis, & authoris, & fabulæ à τίω honoro; honor enim & titulus idem. Modi erant mensura aut harmonia cantûs cum affectibus Comœdiæ congruens, quæ Actori indicabat quam vocem in agendo sequi deberet, humilemne an elatam, iratamne an tristem. Erat autem saltatio nihil aliud quam facultas quædam motibus ac gestibus corporis artificio quodam, numero, & ratione factis, imitandi hominum mores, affectus & actiones. De triplicis Scenæ apparatu diximus supra ex Alexandro.

CAP.

CAP. XXIII.

De Tragœdiâ, & ejus atque Comœdiæ differentia.

TRagœdia dicitur à τράγος hircus, & ᾠδὴ cantus; quoniam olim actoribus Tragicis hircus præmium cantûs proponebatur: ut Horat. in art. poëtica.

Carmine qui tragico vilem certavit ob hircum.

Estque imitatio per actiones illustris fortunæ exitu infelici, oratione gravi metricâ. Ejus species sunt Græca & Latina: utraque pro argumentis variis suas etiam habet differentias. Tragœdiæ utilitas est, quòd apud eam sint omnis vitæ atque conditionum exempla & documenta, unde omnem calamitatem æquiùs ferre discamus. Partes habet easdem quas Comœdia.

Differunt autem Comœdia & Tragœdia quinque modis potissimum. 1. Materia, hoc est rebus ipsis: nam in Comœdia amores fere & virginum raptus; in Tragœdiâ luctus, exilia, cædes introducuntur: in Comœdiâ sunt sales & risus: in Tragœdia perturbationes. 2. Differunt personis: nam in Tragœdia sunt Heroes, Reges, Principes, &c. in Comœdia privati homines & mediocris tantum fortunæ. 3. Dictione sive stylo: nam in Comœdiâ verba non sunt tam atrocia aut significantia, ut in Tragœdiâ, in quâ affectus atrociores regnant, quos afferunt res grandes: in Comœdia autem mitiores affectus sunt. 4. Exitu: nam in Comœdiâ exitus sunt jucundi & læti: in Tragœdiâ tristes & funesti, & fortunarum miserabilis commutatio: illorum exemplum est in Odysseâ, horum in Iliade Homeri. 5. Differunt propriâ notâ in Theatro: nam Comœdia socco utebatur,

batur, Tragœdia vero cothurno; de quibus diximus *part. 2. tit. de Calceis Rom.*

Cap. XXIV.

De cæteris ludis Romanorum.

Megalenſes Ludi fuerunt Scenici in honorem magnæ Deûm matris, ineunte vere, in Palatio per dies ſex celebrati; quorum curam Ædiles gerebant. In iis prælata divitiarum pompa, permiſſaque ludendi licentia perſonati juvenes Magiſtratuum privatorumque munia, perſonas, & facta, dictaque imitabantur, & ante Deæ ſimulachrum ludebant, & matronæ ſpectatæ pudicitiæ pſallebant. Quibus diebus Romanæ conſuetudinis erat, convivia & ſodalitates invicem agere & comeſſari, victu tamen frugali & modeſto, nec die tantum, ſed noctu epulari: namque hi ludi præcipuè caſti magno favore ſpectantium conſpicui erant, ad quos ſervis adire non licebat: illos Prætores & Magiſtratus purpurati in toga prætexta, atque in ornatu maximo celebrarunt. Quare *Purpura Megalenſis* in vulgare proverbium venit. Iis etiam diebus ſtipem cogere ſolis Ideæ matris famulis proprium fuit: & conſtitutum, ut Megalenſibus Patricii motitarent, plebs verò Cerealibus.

Cereales Ludi in honorem Cereris magnificentiſſimè in Circo celebrati, ducto more à Græcis ex Eleuſine. In his ludis repræſentabatur à Matronis luctus Cereris ob raptam Proſerpinam, & ejus peregrinatio cum face quæritantis filiam. Pompa producebatur cum Deorum ſignis & ovo: in iis pervigiliæ noctu fiebant, ſicut in ſacris Iſidis excubiæ. In his circum metas curſu contendere ſolebant; Ædiles Pleb. tamen, pro equorum curſu plerunque gladia-

torum certamen exhibuêre. Iisdem etiam Missilia, h. e. nuces, Cicer, & alia dabantur, & spargebantur in vulgus ab iis qui ludos exhibebant, ad plausum, & populi favorem captandum. His præerant Ædiles. Ab iis impii conscleratique voce præconis amovebantur: & si quis non initiatus adiisset, capite luebat. Cereris mysteria magno silentio inclyta, velut arcanum quid sanctumque in vulgus efferre non licebat. Hoc sacrum (teste Alexandro) à solis Matronis fiebat, annis singulis: in quo id observatum fuit, ut tunc Diis gratum esse censerent, si à lætis nec funere pollutis celebraretur: utque in sacris Cereris ante noctem epularetur nemo, atque à vino inprimis & Venere abstinerent. Utque quinto quoque anno, ex Sibyllinis carminibus prodigiorum causâ, jejunium fiat: inter quæ præcipuum fuit, ut sacris initiatos caldâ abluerent primum quod castimoniæ prodesse ducerent.

Florales Ludi in honorem Floræ florum Deæ celebrabantur, primum mense Aprili, postea Majo, ut omnia recte defloresceret. In his ludis fœminas, quæ vulgato corpore quæstum faciebant, denudari, & pudendis obscœnisque invelatis per luxum & lasciviam currere, & impudicos jocos agere moris erat: in quibus etiam Ædiles cicer, fabas, & alia missilia plebi spargere, leporesque & capras, aliaque mitia animalia ludis admittere consueverant. Hos in vico patricio aut proximo celebrabant, noctuque accensis facibus, cum multa obscœnitate verborum per urbem currebant, & ad tubæ sonitum conveniebant.

Martiales Ludi in honorem Martis peragebantur, quarto Idus Maji in Circo, cum equorum decursu & venatione. Celebrabantur etiam ad Calendas Augusti, quòd eo die Martis ædes consecrata fuit.

Apol-

Apollinares Ludi in Apollinis honorem celebrabantur prid. Non. Quintil. ex vaticinio Marcii vatis, cujus carmen extat apud *Liv. l.* 25. De iis sic Macrob. *Sat.* 1. 17. Cum Ludi primò Romæ Apollini celebrarentur, ex vaticinio Marcii vatis carmineque Sibyllino, repentino hostis adventu, plebem ad arma excitatam hosti occurrisse, eoque tempore nubem sagittarum in adversarios visam ferri, & hostem fugasse, & victores Romanos ad spectacula Dei sospitalis reduxisse. In his parasiti Apollinis, qui ita appellabantur, quod ridiculi essent, in scena dicere consueverunt. *Salva res est, saltat senex.* De quo sic *Serv.* 3. *Æn. v.* 279. Cum, inquit, iracundiâ matris Deum Romani laborarent, nec eam sacrificiis, nec ludis placare possent, quidam senex, statutis ludis circensibus, saltavit, quæ sola fuit causa placationis: unde hoc natum proverbium. Hos ludos populus laureatus spectabat, stipe datâ pro cujusque copia. Cum primum non stati, sed in annum à Prætore voverentur, postea in perpetuum, & in statum diem vovebantur ex lege.

Ludi Capitolini dicti fuerunt, quòd in honorem Jovis Capitolini, pro servato Capitolio ab hostibus Gallis Senonibus, instituti essent & celebrarentur. His ludis tradunt authores Sardianos venales proclamari: & senem quendam ludibrii causa produci solitum, bullam puerilem collo appensam gerentem; quia, cum Veientes Etruscorum populus per longum tempus Romulo bello restitissent, Romulus hanc urbem ultimam ceperit, multosque sub hastâ vendiderit, una cum ipsorum Rege, futilitatem ejus & stultitiam deridens. Cum enim Etrusci à Lydis originem trahant, & Lydorum primaria urbs sit Sardes, idcircò Veientes Sardianorum nomine proclamant, & in hunc usque diem ludicri gratia, morem istum conservant: unde proverb. *Sardi Venales,*

i. e. alius alio nequior, & noviſſimus omnium deterrimus, ut in venditione Veiorum captivorum. Præter hos verò Capitolinos ludos etiam alii erant, qui ſingulis quinquennis celebrabantur, inſtituti à Domitiano Imperatore, qui alio nomine *Agones Capitolini* appellantur: in quibus omne genus artifices certabant, Citharœdi, Hiſtriones, Poëtæ, Rhetores: unde Poëtarum laureatorum mos manavit, qui in magno pretio ſemper apud Italos & Germanos fuerunt. In veteribus Agonibus Capitolinis, qui vicerant, coronâ & ramo lemniſcatis aut torque involutis donabantur: qui ſecundi erant, eorum coronæ & palmæ ſine lemniſcis erant.

Ludi Romani ſub Regibus inſtituti, & *Magni* vocati, quod magnis impenſis dati ſunt, iis enim impenſa ducenta millia nummûm; aut, quod magnis Diis fierent, Jovi, Junoni, & Minervæ. Ludicrum fuit equi pugileſque ex Etruria maximè acciti. Ludi hi fuerunt amui. Primùm Circenſes, deinde Scenici, Primùm uno die, deinde biduo, item triduo, denique pluribus etiam diebus, menſe Septembri agebantur. Primùm à Regibus edebantur, tum à Conſulibus, inde ab Ædilibus plebeiis, tandem à Curulibus.

Ludi Plebeii ſunt, quos, exactis Regibus, pro libertate plebis pòſt fecerunt Romani, aut pro reconciliatione plebis poſt feceſſionem in montem Aventinum, aut ut alii, in montem Sacrum. Hos Ædiles plebeii edebant. Fiebant autem in Circo ad 17. Cal. Novemb. per triduum. Atque in his obſervabatur, ut quoties inſtaurarentur ab Ædilibus, ludorum cauſâ epulum daretur.

Ludi Conſuales fiebant in honorem Conſi, quem Deum conſilii putabant. Feriæ publicæ ei Deo, & in Circo ad aram ejus ab Sacerdotibus fiunt ludi illi, quibus virgines Sabinæ raptæ 12. Cal. Septemb.

In

In Consualibus equos asinosque coronabant, & otiari sinebant, vel quia feriæ Conso, qui equester Neptunus est, agebantur. Asinus autem tum equo consors est, juxtaque fruitur vacatione laboris, vel quia tum commoda navigandi maris tempestas exhibita jumentis qualemcunque quietem præbebat. Multis etiam celebrari ludi in Circo Maximo Consualibus consueverunt; quia id genus quadrupedum primum putatur currui vehiculoque adjungi.

Ludi Taurei fuerunt inferis Diis consecrati. Eorum origo antiquissima: cùm enim, regnante Superbo, vis morbi & insanabilis pernicies per omnes urbis regiones & compita pervagata esset, assiduisque funeribus exhausta civitas foret, atque ob esum carnium taurorum pestifer annus gravidas mulieres ita affecisset, ut sisti pestilentia nequiret, in Deorum inferorum placamento hos ludos concelebrarunt; qui Taurei dicti, quod ob taurinæ carnis morbum inventi primùm concelebratique sunt: in quibus metas circum currere velut in Circensibus servatum est.

Ludi Compitalitii Laribus dicati, quos bis in anno vernis æstivisque floribus ornabant. Eorum origo à Tarq. Prisco: Servius enim Tullius, quòd ei puero caput arseraţ Laris filius esse creditus est: inde Compitalitii ludi primùm instituti inventique fuerunt, quos per vicorum magistros fieri, & in Compitis celebrari memorant. Per multum temporis desiti, postea restituti (quia solemnia ludorum intermittere nefas esset;) denique discussi fuere. Agebantur autem pridie Id. Januar.

Ludi Palatini in Palatio triduo celebrari solebant in D. Julii honorem qui victam armis Remp. in dominationem convertit.

Capitolini, quod Jupiter Opt. Max. suam sedem servasset.

Augustales Tiberii tempore Tribuni pleb. in Augusti honorem facile instituerunt.

Ludi Seculares, quod singulis centum decem annis, vel, quod semel tantum hominis ætate fierent dictos accepimus: nam seculum hac finitione terminarunt. Alii nisi decurso trium ætatum spatio Seculares fieri negarunt, qui supra Tyberim, sæpius in Capitolio magna frequentia & favore sunt edi soliti: ad quos, licet Prætor invitaret ad ludos, quos nec vidisset quisquam nec visurus esset, illos tamen citra hunc annorum numerum persæpe celebratos comperimus: nam & Divus Aug. Seculares fecit, & haud multò post Claudius celebravit: quo intervallo sexaginta nec amplius interfuere anni. Mox Domitianus illos instauravit, habita temporis ratione ex quo ab Augusto editi fuerant. Quos Romæ per omnia theatra fieri servatum est: in quibus trinoctio tetra caligine, bobus atris, ad Tarentum sacrum Plutoni, & Proserpinæ lectisternium, pervigiliæ & supplicationes, instar Cæsaris initiorum fieri solebant, carmine & hymnis, in Capitolio à pueris puellisque patrimis & matrimis, in Apollinis & Dianæ laudem modulatis, cum quibus fæpe Circenses dabantur unà. Quorum institutio fertur antiquissima: cum enim Valerius Publicola qui Reges ejecit, tres filios morbo laborantes ex voto recepisset incolumes, voti reus hos instituit primus & celebravit; quos antea præteritos vel intermissos D. Augustus magnifico apparatu celebravit, quamvis non vera ratione dimensa. In quibus Juvenes, sine aliquo majore natu propinquorum, nocturno spectaculo interesse vetuit. Postremo Domitianus septimos exhibuit ad sua tempora ab ortu urbis observatos. Et demum post curricula temporum Philippus Imperator, millesimo urbis anno, ex omni seculorum memoria apparatissimos seculares fecit: in quibus præter elephantos triginta, leones, tigres,

tigres, alces, atque hyænas, etiam gladiatorum paria mille, hippopotamum & rhinocerotem, feraſque immaniſſimas venationi dedit.

Votivi Ludi erant, qui à Magiſtratibus ad bellum ituris vovebantur, poſt res feliciter geſtas & victoriam partam exhibendi. Atque hi introducebantur, aut Sibyllinis verſibus, aut augurum præceptionibus, aut promiſſis Imperatorum, vel ante bellum, vel confecto bello atque hoſtibus devictis. Vovebantur nonnunquam in quinquennium.

Ludi Victoriæ à Pub. Corn. Sylla inſtituti fuerunt bello civili, qui felicitatem diei quo Samnitium Teliſinique pulſus eſt exercitus, perpetuâ ludorum Circenſium honoravit memoria: quibus ſine nomine Syllanæ victoriæ celebrantur. Fuerunt etiam alii victoriæ ludi in memoriam victoriarum C. Cæſaris, Auguſti, &c. peracti. Huc etiam pertinent ludi quinquennales, decennales, vicennales.

Quinquennales inſtituti ab Auguſto, poſt devictum Antonium, & partam victoriam apud Actium Promontorium; unde etiam *Actiaci* Ludi nonnunquam appellantur. Ii quinto quoque anno facti ſunt; eorumque cura quatuor Sacerdotum collegiis per ordinem incumbebat, Pontificibus nimirum, Auguribus, Septemviris, & Quindecemviris, In iis fuit equeſtre certamen per pueros & viros Patricios: gymnici quoque ludi, ſtadio in campo Martio extructo, acti ſunt, & munus gladiatorium, depugnantibus captivis, exhibitum. Sub reliquis etiam Imperatoribus celebrati ſunt.

Decennales ludi à Cn. Octavio Auguſto ſunt inſtituti, prætextu quodam, ad Imperatoris titulum, Monarchiæque poteſtatem retinendam ſine invidia. Solebat enim decimo anno, conſtituto in hoc ingenti ſpectaculo ludorumque apparatu, imperium populo reſignare; quod tamen illicò, quaſi rogaretur, rece-

recepit. Atque hinc ortum est, ut posteriores etiam Imperatores, quoties decimum imperii annum attigissent, festum celebrarent, & ludos cum maximo apparatu darent; & quanquam non ad certum tempus, sed per omne vitæ spatium iis imperium deferretur, tamen singulis decenniis festum pro ejus renovatione agebant.

Vicennales ludi erant, qui similiter vicesimo quoque imperii anno habebantur.

Ludi Triumphales fuerunt, qui post insignes victorias celebrabantur.

Natalitii, qui in natalibus magnorum virorum edebantur.

Ludi Juvenales, licet Juvenum causa instituti forent, in hisque adolescentes per lusus & lasciviam admitterentur, plerumque tamen anus, & grandævas natu matres, senesque ingravescenti ætate ludis admissos comperimus. Dicti igitur Juvenales (inquit Rosinus) quod in iis veluti rejuvenescerent. Lusus erat quem ludebant turmæ puerorum primo ætatis flore, & juvenes generosi spiritus, ut equis instratis, hinc inde dispositis turmis, tanquam acie instructa composito agmine, in justæ modum pugnæ cursitarent: speciemque prælii, modo in occursum eundo, nunc à tergo & in gyrum occursando, præberent, & campestrem incursionem facerent, specimenque magnæ indolis, & commendationem ineuntis adolescentiæ præ se ferrent, ita ut qualis quisque futurus esset, cujusque spei, facilè enitteret. In his quoque Pyrrhicam saltari accepimus, quæ integris urbis moribus, magno faventium studio fiebat: quæ primum inventa fertur in Creta, nonnulli à Laconibus, ad res bellicas facile obeundas, ut armati levi flexu & saltu, nunc se contrahendo, nunc in altum exiliendo, nunc declinando, tela & plagas vitarent, disciplinamque edis-

ediſcerent, quæ Enoplia Saltatio dicta eſt, quam Tranquillus *Trojam* nuncupavit: idque à Romulo inſtitutum ferunt, ut cum armis ſaltarent milites ſaltatione, quam bellicrepam dixit. Fuerunt & alii ludi Juventutis, quos Salinator Senenſi prælio vovit: pro ſalute juventutis.

Ludi Miſcelli vocabantur, qui ad nullum certum genus Ludorum Scenicorum, ſive argumentum, ſive Scenæ inſtrumentum & apparatum ſpectes, referri poſſent: & fuerunt ex variis multi formibuſque ludicris commixti.

Ludi Funebres & Gladiatorii originem vetuſtiſſimam habuerunt: quippe Æneas ad Pallantis, Achilles ante eum ad Patrocli rogum mactabat inferias cum ludis: unde etiam Gladiatorum mos, ſine dubio, eſt ortus. Nam cum primum captos ex hoſtibus jugularent, vitantes fœdi ſpectaculi crudelitatem captivos inter ſe commiſerunt, ut penes eosdem eſſet & facinus & ſupplicium; quibusque ſors & virtus dediſſet, ſupereſſent, alii placarent Manes puris manibus parentantium. Etiam malo ingenio ſervos mercati in exequiis immolabant. Primus Romanorum Junius Brutus dicitur in defuncti patris honorem dediſſe Romæ gladiatores. Dabantur & à Magiſtratibus, & à privatis perſonis, & cum certaminibus & cum fabulis. Gladiatores magno ſumptu emebant & educabant, quorum multi in arena cadebant, alii, petente populo, manumittebantur. Magno etiam pretio conducebant eorum Magiſtros, quos Laniſtas appellabant. Tandem à Theodorico Gothorum Rege univerſus uſus ſublatus, quid enim immanius, quam vitam dare hominibus, ut eam ipſi mutuis cædibus ab ſe auferant? Nefas erat cum gemitu vulnus accipere, ſanguinem ſuum alio quam hoſtilem animo ſpectare. Laniſta enim rude prodibat. Erat rudis baculus gladiatorius

quo prima pugnæ rudimenta meditâbantur, unde & nomen: ea manumissi propter fortitudinem, cum libertate donabantur. Certaminis initio, postquam inter se rudibus batuissent, ferro nudi transigebant; fessis aut victis alia manus substituebatur. Nero quadringentos Senatores, sexcentos Equites, ad eam operam exhibuit. Domitianus etiam fœminarum pugnas noctu edidit. Qui funebres ludos curabant, Designatores dicti. De Gladiatoribus integrum librum scripsit Lipsius, ubi fusè omnia ad eos spectantia habeamus.

Ludi qui *Exercitationis* causâ fiebant, erant Trojani ludi, sive Trojæ ludus, ludicrumque (omnibus enim his nominibus appellatur) de quo supra: & Castrenses ludi, quibus milites in castris & exercebantur & delectabantur: nimirum Pyrrhica, Saltatio, Decursio, *&c.* de quibus etiam supra quod satis sit, diximus.

FINIS.

GRATIARUM ACTIO

ob Profligatam Hiſpanorum claſſem, quæ anno 1588. Eccleſiæ Dei in utroque Britanniæ Regno extremam vaſtitatem minata eſt. Auctore M. Jo. Bellо ſeniore, fideli & pio verbi Divini in Civitate Glascuenſi quondam Præcone.

In opuſculum & opificem Ogdoaſtichon.

Carmina ſunt triplici lectu hæc digniſſima cauſâ,
Facta ſtupenda Dei quòd memoranda canant:
Ut tumidum in tumidis Hiſpanum ſtraveris undis
Spirantem cædes, perniciemque ſacris.
Condideritque pius, ſacer Interpresque Tonantis,
Nectare qui verbi pavit ovile ſacri.
Denique materiæ carmen quòd congruat aptè,
Alta eſt materies, altiſonumque melos.

J. A.

Clariſſimo viro

ROBERTO BRUSSIO

Edinburgenſis Eccleſiæ Paſtori.

Lux optata diu, vix expectata, piorum
Solamen, ſeculi gloria rara tui:
Illuſtri proavo, pietate illuſtrior, ingens
Præſulis auguſto munere, cura Dei,
Accipe tincta licet nullo ſale carmina, tantis
Intento rebus ſi tibi fortè vacat.
Auribus illa tuis non æquè digna videri
Poſſunt, ac animo res placet ipſa meo.
At tibi qui me jungit amor, fore grata legenti
Spondet, & auſpiciis uberiora tuis.

JOANNES BELLUS.

Æternus mihi carmen erit Regnator Olympi,
Quem decorat multæ virtutum gloria, cujus
Olim venturi memorabunt facta nepotes:
Quippe tropæa novis cumulavit priſca, novamque
Materiem noſtris fuſo dedit hoſte Camœnis.
Ille ſuo fulcit nos robore, protegit alis,
Præſidio munit firmo, trepidantibus aſtat
Pervigil excubitor, rupeſque immota procellas;
Componit belli horrendas, quo vindice tuti
Spernimus hoſtiles turmas, adverſaque caſtra.
Undique collectam magno molimine, faſtu,
Barbariem tumidus numeroſam armavit Iberus.
Eductaſque rates cœlo, ceu mœnia celſis
Turribus in nubes minitantia milite multo
Munijt incaſſum; tonitrùque imitantia æheni
Pondera ſtipavit gravidis immenſa carinis.
Subſidiumque viæ Cererem, laticeſque Lyæos
Addidit, argentùmque ingens, nec plurima gaza.
Deſuit, extremis quam claſſe avexerat Indis.
His opibus fretus vaſtis dat puppibus Auſtros,
Nilque ſibi invictum ratus, ipſa laceſſere tentat
Aſtra: & quos rerum Dominus ſibi fœdere ſancto
Junxit, Marte petit ſcelerato; ac dira minatur.
Quæ ſimulac Pater omnipotens immania cœpta
In ſolio reſidens cœli deſpexit ab arce;
Infremuit, magnòque irarum incanduit æſtu.
Ac primùm ciet in denſas leviora phalanges
Prælia, nam ſubitò ventos ſpirare ſecundos,
Pacarique vetat pelagus, crebriſque procellis
Sublimes tundit proras, multùmque fatigat:
Ingeminant nimbi, nox circum funditur atra,
Pallentèſque diu jactantur gurgite vaſto.
Ipſi ſe accingunt Euri, & velut agmine facto,
Hinc atque inde ruunt, rapideque feruntur in hoſtem.
Ipſæ ſe glomerant nubes, ipſa æquora ponti
Cum fremitu horriſono ſimul indignata tumeſcunt:
Omnia certatim infandas à littore naves

Arcere optato cernat, atque arma movere.
Non tamen adversi cæcos absterruit ira
Numinis, insane juvat indulgere labori:
Stat semel undosum transmittere classibus æquor,
Et tandem extinctis iram satiare Britannis.
Hunc ubi rerum Opifex vidit perstare furorem,
Nec dum animos diræ genti cecidisse feroces,
Protinus instaurat Martem, & nova prælia tentat:
Jamque suis, quorum ferro populare penates
Millia tot nequicquam opibus confisa parabant,
Sufficit ingentes animos, viresque secundas;
Inque aciem prodit Ductor, formidine primùm
Cunctantes, dubiosque docet bellare, novisque
Artibus instructos, in Ibera exsuscitat arma.
Continuò vibrata cavo sparguntur aheno
Fulmina, collucent ignifreta, ferreus imber
Ingruit, & salsas latè cruor inficit undas,
Litteraque horrifico sonitu concussa resultant;
Inque polum piceo nigrantem turbine fumus
Volvitur, obtutumque in tela ruentibus aufert.
At nondum classis bello vis fracta nefandæ est,
Spem fovet, & latum expectat vesana triumphum:
Cùm subitò nova securis, inopinaque rerum
Objicitur facies, quæ mox fera pectora turbat.
Ecce etenim cursu, nullo rectore, citato
Puppes per tumidos portant incendia fluctus:
Indomitusque furens laxis Vulcanus habenis
In medium fertur, flammis lucentibus, agmen.
Nauticus extemplò ferit aurea sidera clamor,
Amentes rapiuntque, ruuntque, incidere tortos
Dum certant funes: & sæva per æquora tristem
Maturare fugam celeri premit ocior Euro
Turbatos adversa acies, duplicatque tumultum
Fervida, congeminantque tonitrua, fumat ubique
Pontus, crebescuntque faces, fragor horridus aures
Verberat armorum, totusque remugit Olympus:
Curulaque innumeris rostris sulcata dehiscunt:

Ictibus antennæ validis resonantque, tremuntque,
Trajectæque rates laterum compagibus imbrem
Accipiunt laxis, fundumque feruntur in imum.
Tu dextrâ, rerum Sator, armipotente cohortes
Fudisti armatas, valido tu robore fastum
Hostilem citò per domitum, fractumque dedisti:
Tu decus immortale tibi, tu nomina victor
Æterna, & laudes peperisti Marte perennes.
Hæc secum immitis frustra jactabat Iberus.
Vis mihi nulla virûm potis est formidine pectus
Concutere, aut armis ingentia cœpta morari:
Imbelles toto volitantes æquore classes
Disjiciam, laceræ vada demergentur in ima,
Undas permensus vitreas, optata subibo
Ostia, subducam naves, & conscia jungam
Agmina, devotique soli lata æquora densa
Milite inundabo, facibus ferroque colonos
Insequar, infandam gentem meus hauriet ensis,
Succidetque omnem silvam: si credere quisquam
Mœnibus audebit sese, convulsa ruinis
Tota repentè dabunt aditus mea sæviet ira
Ultrix incunctos, pariter natumque, patremque,
Consortemque tori charam mucrone corusco
Alterum in alterius tepido mactabo cruore.
Sin qui reptat adhuc, aut matris ab ubere vagit
Pendulus, infanti detur superare tenello,
Fœdis ora notis compunctus sentiet olim
Servitii juga dura, trahetque miserrimus ægre
Vitam, diceturque scelesto sanguine cretus.
Arva dehinc læta, & viduatas civibus urbes,
Prædamque in socios congestam largus opimam
Partiar, ac claræ virtuti debita pendam
Præmia victrici decoratus tempora lauro.
Hæc, tu magne Parens (quid enim te fallere possit?)
Auribus hausisti; calidâque incensus ab irâ es:
Protinus armâsti cœlum, terrasque, fretumque
Ventosque, & prærupta salo spumantia saxa,

Aërias-

Atriasque manus nebularum, & lecta virorum
Robora; quæ simul intrepide ac effusa ruebant,
Te Duce, & infestis domuerunt viribus hostes:
Qui modò sublimi feriebant vertice celsa
Sidera, momento detrusi in Tartara mærent.
Non gazæ, non arma juvant, non mole carinæ
Immensâ, aut validi nautæ, canive Magistri.
Quas cura annorum latè vulgata per orbem
Multorum conflavit opes (mirabile dictu!)
Accisæ, subito ingentem traxêre ruinam;
Quid tibi par, cœli Rex inclyte? quidve secundum
Orbis habet? solo qui torques omnia nutu:
Prostratosque premis pedibus, subigisque rebelles.
Te bellante, solum, totusque exterritus æther
Intremuit, magnòque furentia castra tumultu
Barbara, præcipiti cursu mox terga dedere.
Hi miseras tereti trans fixi corpora ferro
Exhalant animas, hos vivos obruit unda
Absorbens crebro laceratum fulminis ictu
Navigium, dulcemque avidis dat piscibus escam.
Humanis quibus extingui non contigit armis,
Sævit in hos æstus pelagi, ventique frementes
Insurgunt, rapidoque in saxa sonantia torquent
Turbine, & immergunt undis. In littore passim
Apparent inhumata cadavera, stragibus æquor
Obtegitur; ponti quibus indulgentia terris
Finitimis adnare dedit, nova bella, novosque
Inveniunt hostes, iterum cæduntur acerbo
Funere: quos nondum mors abstulit, omnium egeni
Omnibus ærumnis confecti ignota pererrant
Limina, mirantique orbi spectacula præbent.
Quod si quem quassata ratis per tela, per undas
Elapsum, ad patrias vix tandem deferet oras,
In luctu, lacrymis, ignominiâque perenni
Transiget infelix avum: lucemque perosus
Felicem dicet qui vitam effudit in armis,
Fœda nec in sese jactari opprobria sensit.

Inte-

Interea, Pater alme, tuos ex hoſte receptos
Exhilaras, omnique procul formidine cunctis
Lætitiâ dulci perfuſis pectora, laudes
Das celebrare tuas, & facta ingentia cantu
Solenni, ac feſtis ad ſidera ferre triumphis.
Hæc ſimulac rumor diffundet, Iberidos ora
Unguibus, & ſævis fœdabunt pectora pugnis.
Grandævus ſua cœpta amens infauſta tyrannus
Deflebit, mœſto reſonabit regia planctu.
Hæc Pater inſignis triplici diademate, faſtu
Sacrilego ſibi divinos qui poſcit honores,
Audiet, & ſolio vittas exutus ab alto
Se dabit in cineres. Cornutaque turba doloris
Mugiet indulgens, celſas maleſana tiaras
Abjiciet, largoque rigabit flumine vultus.
Quique occæcati mentes caligine fuſcâ
Errorum his ducibus ſeſe addixêre, ciebunt
Incaſſum fletus: & acerbam Numinis iram
Experti ſemel haud iterum ſe cominus hoſti
Objicient tanto. Vel ſi; dementia cæca
Præcipites aget, & rurſus ſcelerata movebunt
In bella Eumenides, tu magni Conditor orbis
Immotus longæva manes per ſecla, furorem
Qui nutu effrænem compeſces, telaque victis
Excuties dextris, & clades cladibus addes.
Quare agite ô tantis nuper virtute periclis
Numinis erepti; jam læti exolvite grates:
Damnati votis jam vota offerte ſupremo
Regi, jam meritos templis indicite honores.
Illi cuncta ſonent laudes, & carmina grata:
Lætitiam mentis concentu expromere lingua
Geſtiat; æternum cœtu celebrate frequenti
Rerum (nec pigeat ſemper meminiſſe) parentem.
Cum belli ingrueret tempeſtas atra feroxque,
Viribus & numero ſummus terroribus hoſtis
Mortem intentaret pavidis, & vincula dura,
Suppliciter triſtes, & tunſi pectora palmis

Aſtra

Aſtra fatigâsque precibus, lacrymisque vocatus
Regnator cæli gemitus, duplicataque vota
Audiit, & trepidas ſolvit formidine mentes:
Munificâque manu cumulavit gaudia, gentis
Cladibus & damnis oculos animosque ſuperbæ
Exatiare dedit: vobis extrema minati
Omnia, jam miſeris ſubmiſſi veſtra querelis
Auxilia imploranti, gemmis & murice quondam
Inſignis nulli jam non miſerandus obvertat
Tegmine pannoſus vili, macieque ſuprema
Squalidus effœtos artus trahit. Ergo Parentis
Ætherii vobis agnoſcite numen amicum,
Quæque ipſi veſtris alacres ſpectatis in oris
Inclyta venturo miracula pandite ſeclo,
Acceptam memori teſtantes voce ſalutem.
Non ſors hæc vobis, non arma dedêre tropæa,
Non artes hominum, non vis; ſed dextera Regis
Æterni, quam dis jactos libravit in hoſtes.
Hunc unum grato plauſu, fremituque ſecundo
Tollite in aſtra, uni præconia pangite læta:
Huîc uni decus, huîc parêre ſit una voluptas.
Ne ſi forte operum tantorum, & fœderis ictis
Protinùs oblitos, verâ pietate ſepultâ,
Inſanire juvet, deſertus deſerat hoſti
Bellum inſtauranti malegratos, dignaque factis
Supplicia indignis ſumat, flagrisque ſubactos
Proterat, averſamque neget clamantibus aurem.
Tuque, ô turba altis jampridem immerſa tenebris,
Lethiferiſque animos addicta erroribus, ultrò
Ne pudeat tandem impuris abſiſtere ſacris:
Sat mentita diu es pietatem, pelle profundam
Noctem, ſplendentis placidum jubar aſpice Solis.
Sat tenebris Erebóque datum; mox eripe cæcis
Te vinclis, juga confeſtim ſervilia collo
Excute, nonne vides ut nobis ænea turris
Eſt rerum Dominus, præſenſque vocantibus aſtat?
Sublevat, & tutos alarum protegit umbrâ.

Non-

Nonne vides nobis infestos illius altâ
Prosterni dextrâ, retroque in vista referri
Agmina, perniciem quam nobis sæva parârunt?
Tandem animos subeat ritus quos finxit avitos
Prava superstitio Stygiis emissa lacunis
Respuere, excussoque gravis torpore veterni,
Spreta diu nimium divina capessere jussa,
Quosque jubent castos oracula fallere cultus
Nescia: sin libeat sine fine odisse piorum
Gentem, & luminibus cæcis miranda tueri
Facta Dei, tætram noctem, tenebrasque secuta
Præfractè æternis meritò plectère tenebris.
Quicquam ubique sine patulus complectitur orbis,
Ætherium canat exultans celebretque Parentem,
Qui sibi dilectos ex arctis faucibus Orci
Eripuit, placidâque dedit, formidine pulsa
Pace frui, ac operi cæpto fastigia summa
Imponet tandem, populi votisque vocatus
Nusquam aberit, curas omnes, casusque levabit,
Inque ævum patrio nos complectetur amore.

De Coloniis Romanorum. 47.
De Comitiis Centuriatis. 51.
De occultandis Consiliis. 129.
De explorandis hostium Consiliis.
De Coronis Militaribus. 117.
De triginta Curionibus, & Curione Maximo.
De Custodiendo statu belli.
De Comitiis Curiatis.
De Comitiis Tributis.
De Constantia obsessorum.
De Conviviis Romanorum.

D.

DE Decemviris legibus scribendis Consulari potestate.
De Decemviris sacrorum.

Pro tollendo cordis callo carmen votivum.

OUtinam felix lux illucesceret illa,
Qua Deus omnipotens mea saxea corda domaret,
Corda adamantæis ipsis certantia saxis:
Quæ tamen (ut perhibent) hircino sanguine ponunt
Duritiem, calidòque recens de corpore fuso,
Molliret sic ille sui cor sanguine Nati,
Qui lacero sacros fluxit crudeliter artus,
Funderet ut lachrymas, ut fundunt flumina fontes,
Et flueret rapido ceu cera liquescit ab igne:
Pelleret & furvas vultûs fulgore tenebras
Mentis, uti cl[illegible] possem delicta videre,
Visaque deflere, & vitam vitare per omnem.
Haud tibi, Cunctipotens, res ardua, cœrula cœli,
Qui mare fluctisonum, terram omniparàmque creâsti:
E nihilo, idque oris verbo citraque laborem:
Condita cuncta tuo verbo fulcisque potenti.
Quod nisi Cœlituum faceres hominumque repertor,
In nihilum rueret compages dædala mundi,

F I N I S.

[illegible]
Proterat, aversamq. [illegible]
Tuque, ô turba altis jampridem immersa tenebris,
Lethiferisque animos addicta erroribus, ultrò
Ne pudeat tandem impuris absistere sacris:
Sat mentita diu es pietatem, pelle profundam
Noctem, splendentis placidum jubar aspice Solis.
Sat tenebris Ereboque datum; mox eripe cacis
Te vinclis, juga confestim servilia collo
Excute, nonne vides ut nobis ænea turris
Est rerum Dominus, præsensque vocantibus astat?
Sublevat, & tutos alarum protegit umbrâ.

Non-

INDEX CAPITUM
In
HOC TRACTATU
COMPREHENSORUM.

A.

De Acie Romana. p. 118
De Acie ordinanda. 152
De Acie hoſtium turbanda. 153
De Acie per conſtantiam conſtituenda. 162
De Ædilibus. 70. *De Æris.* 4. *De Alea.* 217
De dubiorum Animis in fide retinendis. 164. *De Annis.* 3
De variis Annorum computis. 4
De Animadverſione in devictos hoſtes. 122
De Arcubus Triumphalibus. 130
De Armis Romanorum militum. 99
De Auguribus. 29. *De Auxiliis.* 91

B.

De Bello Indicendo. 88

C.

De Calceis Rom. 76. *De Calendario Rom.* 2
De Calendis & earum computatione. 12
De Cæſaribus & nobiliſſimis Cæſaribus. 73
De Campo Martio. 55 *De Cæſtu.* 192
De Caſtrametatione & caſtris. 107
De Cenſoribus. 64. *De Centuriis.* 92. *De Centurionibus.* 94
De Circo & ludis Circenſibus. 222
De Cohibitione intempeſtivæ poſtulationis pugnæ. 146
De Coloniis. 123. *De Comœdia ejusque ſpeciebus ac partibus.* 236
De Comitiis Romanorum. 47. *De Comitiis Curiatiis.* 48
De Comitiis Centuriatis. 51. *De Comitiis Tributis.* 56
De occultandis Conſiliis. 129. *De Conſtantia obſeſſorum.* 179
De explorandis hoſtium Conſiliis. 136
De Coronis Militaribus. 117. *De Conviviis Romanorum.* 77
De triginta Curionibus, & Curione Maximo. 26
De Cuſtodiendo ſtatu belli. 137

D.

De Decemviris legibus ſcribendis Conſulari poteſtate. 70
De Decemviris ſacrorum. 36

De

INDEX CAPITUM.

De Decuriis. 92. De Decurionibus. 94. De Devotione. 89
De Devotione Vrbium & Exercituum Hostilium. 122
De Disciplina Castrensi. 111. De Dictatore. 63. De Diebus. 10
De Differentiis militum. 98. De DIIS Romanorum. 19
De Distringendis hostibus. 114. De Disco. 219
De Distructione Præsidiorum Hostium. 171
De Dissimulandis adversis. 160. De Duce. 93
De Duumviris sacrorum. 36

E.

DE Epulonibus. 38. De Effugiendo. 166
De Eliciendis ad proditionem. 168
De Emendandis adversis si res durius cesserit. 163
De Eruptione. 178. De Evadendo ex locis difficillimis. 140
De Evocatione deorum Tutelar. 122. De Repentino Exercitu. 167
De Exercitiis Militaribus. 113
De Exequiis Rom. 84. De Expeditione. 104
De Exercitu transducendo per loca hoste infesta. 138
De Exercenda cura obsessorum circa tutelam sui. 175

F.

DE Fallendis iis qui obsidentur. 167. De Flaminibus. 32
De Fluminum derivatione & vitatione aquarum. 172
De Feris. 123. De Fœcialibus. 34. De Fœdere feriendo. 88
De Follibus pugillatoriis. 220. De Fratribus arvalibus. 29
De Fritillis. 216

G.

DE Gallo Matris Deum. 36. De Generibus Militum. 98

H.

DE Halteribus. 220. De Harpasto. 219. De Haruspicibus. 29
De Hoste immittendo, ne clausus, ex desperatione prælium redintegret. 159

I.

DE Idibus, & earum computatione. 12
De Imperat. Aug. Cæsaribus donatis Tribunitia potestate. 72
De Imperatore. 93
De Incitatione exercitus ad prælium. 147
De Insidiis in itinere factis. 141. De Insidiis. 154
De Insidiis per quas eliciuntur obsessi. 174
De Introducendis auxiliis, & commeatibus suggerendis. 176
De Irruptione. 173

INDEX CAPITUM.

L.

DE Latrunculis. 215. De Legatis. 94. De Legionibus. 91
De Legionis partibus. 92. De Legibus Militaribus. 114
De Litterarum numeral. Rom. 6. De Loco ad pugnam eligendo. 150
De Ludis publicis Romanorum. 212
De cæteris Ludis Romanorum. 124. De Lupercis. 27
De Ludis scenicis sive Theatricis. 233

M.

DE Magistratibus Romanorum. 51. De Magistro Equitum. 63
De Manipulis. 92. De Mensibus. 7
De Mensis Romanorum. 77
Metrum de prælio apud Pannonhürn. 186
De Micatione digitum. 221. De Militaribus muneribus. 94
De Mimo & pantomimo. 235. De Missione Exercitus. 131
De Municipiis. 123

N.

DE Nonis & earum computatione. 12. De Nuptiis. 221
De Nuncio emittendo & accip. 175. De Nuptiis Rom. 82

O.

DE Oppugnatione urbium. 119
De Ordinibus militum. 98. De Ovatione. 126

P.

DE Patre Patrato. 34. De pavore obsessis injiciendo. 173
De Pentathlo sive Quinquertio. 218
Per quæ Hostes ad inopiam rediguntur. 170
De Persuasione obsidionis permansuræ. 171
De Petauro. 220. De Pila. 218
De Politia Rom. 45. De Pontificibus. 35
De Pontiliis & pinariis. 27. De Præfecturis 123
De Præfecto prætorio. 73. De Præfecto, sive Trib. Celerum. 60
De Præfecto urbis 62
De his quæ post prælia fiunt si res prospere cesserint, & de confirmandis reliquiis belli. 163
De Prætoribus. 63. De Principibus juventutis 73
De Proconsulibus. 71. De Provinciis & earum differentiis. 123

Q.

QVa ratione proditoribus & transfugis occurratur. 177
Quæ facienda sint pro Castris si satis fiduciæ in præsentibus non habeamus. 165

Quem-

INDEX CAPITUM.

Quemadmodum ea quibus deficimur videantur non deesse aut usus eorum explicatur. 142

De Quæstoribus. 65. *De Quindecim-Viris Sacrorum* 36

R.

De Rebus Civilib. Romanorum. 45

De Rebus Romanis. 19. *De Regib. Romanorum.* 60

De Rege Sacrificulo. 35. *De Romano Populo.* 15

De Roma Vrbe. 14

S:

De Sabiis Palatinis: 33. *De Sacerdotib. Cybeles.* 36

De Christiano Sacrorum Rom. usu. 40

De Sacramento Militari. 90. *De Locis sacris Romanorum.* 24

De Romanorum Sacrificiis, & Sacrificando ritu. 38

De Præcipuis Sacerdotibus Rom. 25. *De Satyra.* 234

De Senatoribus 61. *De Seditione militum compescenda.* 145

De Sibyllis. 37. *De Signis Romanorum militum.* 103

De Strategematis Scotorum. 181

De Strategematis. 132. *De Supplicatione.* 126

T.

De Talis, & Tesseris. 216. *De Tempore ad pugn. eligendo.* 149

De Theatro & Amphitheatro. 226

De Theatricis Rebus, sive de Ludis Rom. 215

De Titiis Sodalibus: 38. *De Toga Romanorum.* 73

De Tragœdia, & ejus atque comœdiæ differentia. 240

De Tribunis Plebis. 66. *De Tribunis Militum.* 94

De Tribunis Militum consulari potestate. 68

De Triumviris. 68. *De Triumphis.* 126

De Trocho. 221. *De Trophæis.* 130

De Tunica Romanorum. 76

De Turmis. 92. *De Turbine.* 221

V.

De Vestalibus Virginibus. 31. *De Vestibus Romanorum.* 73

De Vocabulis Instrumentorum & operum pertinentium ad munitiones Castrorum, & oppidorum oppugnatione. 119

FINIS.